Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600007475T

34-548.

[illegible] PAULI

[illegible]

[illegible]ONICENSES

[illegible]

[illegible]ATAS.

[illegible] RECOGNOVIT

[illegible]RIO PERPETUO

[illegible]STRAVIT

[illegible] AUGUSTUS SCHOTT

[illegible] ACADEMIAE JENENSIS.

[illegible]IAE, MDCCCXXXIV.

[illegible]NNIS AMBROSII BARTHII.

1834.548.

COMMENTARII

IN

EPISTOLAS

NOVI TESTAMENTI.

SCRIPSERUNT

D. HENRICUS AUGUSTUS SCHOTT

THEOL. PROF. PRIMAR. ACADEMIAE JENENSIS

ET

D. JULIUS FRIDERICUS WINZER

THEOL. PROF. PRIMAR. ACADEMIAE LIPSIENSIS.

VOLUME PRIMUM.



LIPSIAE, MDCCCXXXIV.

SUMTIBUS JOANNIS AMBROSII BARTHII.

THE

TEXT

ET

D. HENR

THEOL.

LIPS

SUMTIBUS

PRAEFATIO.

De indole et consilio commentarii in Epistolas Novi Foederis, ad quem edendum una cum S. V. Winzero Theologo inclito Lipsiensi, diuturno litterarum commercio summaque animorum concordia mihi coniunctissimo, animum appuli, breviter disseram necesse est, quum primam huius commentarii particulam mea qualicunque opera elaboratam lectoribus sim traditurus. Quanquam praeter eos Theologos venerandos, qui in editione N. F. Koppiana continuanda operam egregie collocaverunt, haud pauci prodierunt et ingenii acumine conspicui et multiplici eruditionis apparatu instructi, qui, suum quisque tramitem ingressi, Epistolas N. F. singulas nova commentariorum luce illustrarent; intelleximus tamen desiderari a multis eiusmodi opus sermone latino (quo exteris quoque patefiat, quae Theologis Germaniae hoc

tempore probetur libros epistolicos interpretandi ratio) conscriptum, quod omnes N. F. Epistolas commentario continuo complectatur, ad modum illius conformato, quo Theologus illustris S. V. Kuinoel librorum N. F. historicorum explicationem egregie instruxit. Proinde, quum bibliopola de litterarum cuiusque generis studiis quovis pacto promovendis meritissimus, Jo. Ambr. Barth, nobis significasset, V. Kuinoelium negotiis aliis impediri, quo minus operam suam in Evangeliis et Actis App. explicandis summa cum laude collocatam ad Epistolas N. F. transferat, non dubitavimus monitis eius obsequi utrumque nostrum cohortantis, ut in locum Kuinoelii labore communi suscipiendo succederemus.

Quae ratio partiendi laboris nobis probata fuerit, pridem in ephemeridibus publicis litterariis breviter indicavimus. Quot partibus commentarium in Epistolas N. F. integrum absoluturi simus, non possumus quidem hoc tempore exactius computando profiteri, quandoquidem, quae dicendi et interpretandi copia ad epistolas singulas pro diversa earum natura et indole commentario *perpetuo* recte illustrandas sufficiat, interpreti non prius omni ex parte patefieri solet, quam labori arduo perficiendo manum ipse admoverit, et de iis, quae interpretem N. F. quaevis subsidia caute adhibendo atque insignem sententiarum diversitatem diligenter considerando et examinando praestare oporteat, eo severius iudicatur, quo magis in dies increscit numerus et librorum et commen-

tationum, quae et crisi N. F. et partibus singulis Theologiae exegeticae novam lucem vel re vera utiliter adferunt vel adferre molituntur. Attamen uterque nostrum sedulo curaturus est, cum toto sermonis genere et interpretationis oeconomia recte moderanda, tum provocando in iis quae sequentur partibus ad ea quae in volumine priori de his illisve rebus aut vocibus et formulis (ubi prima vice obvenirent) uberius disputata fuerint, ut brevitati quam maxime consulatur. Volumine *primo*, consentiente amico, complexus sum epistolas Pauli ad *Thessalonicenses* et *Galatas*. Argumentis quippe idoneis evincere licet, has omnino fuisse omnium, quae aetatem tulerint, Pauli epistolarum antiquissimas. Epistolam ad *Romanos* amicus S. V. Winzer (qui in libellis academicis annis postremis editis loca Epist. ad Romm. difficiliora tractavit) interpretari constituit. Epistolae ad *Corinthios* mea opera et labore illustrabuntur. De commentariis in ceteras Epistt. edendis suo tempore dicemus.

Quam S. V. Kuinoel commentarii in libros N. F. historicos editi normam esse voluit, eidem convenienter nos profitemur, hanc esse interpretis provinciam, ut, quae scriptor sive orator, cuius sermoni explicando suam ipse operam addixit, dum scriberet aut loqueretur, et cogitaverit ac senserit et lectores suos sive auditores cogitare ac sentire voluerit, et fide ac vere et summa qua fieri possit perspicuitate ac subtilitate patefaciat.

Cui officio satisfieri existimamus interpretatione *historica*, ea quidem, quam sic dicere liceat *sensu amplissimo*, i. e. omnibus iis rebus in facto positis recte usurpandis, quae valeant ad cogitata et sensa scriptoris aut oratoris omni ex parte sedulo investiganda. Hoc genere comprehenduntur: 1) ingenii animique indoles et cultura, praesertim tota de rebus ethicis atque divinis cogitandi et sentiendi ratio scriptorum, quorum epistolas illustraturi sumus, sacrorum, qualem ipsa eorum placita et effata coniunctim spectata universe depingunt (accedentibus iis quae nobis insuper de his scriptoribus innotuerunt); quandoquidem persuasissimum habemus, neminem posse explicandi negotio recte defungi, nisi, dum interpretetur, toto animo et pectore ipse veluti transierit in vitam internam scriptoris explicandi; 2) eventa, instituta, mores, opiniones et iudicia illius aetatis, terrae, nationis, ad quam scriptores explicandi eorumque lectores primi pertinent, quatenus haec omnia vim suam exseruerunt cum ad ipsam horum scriptorum indolem et culturam religiosam atque moralem (sit venia verbis in brevitate sermonis!) moderante quidem Spiritu Numinis Summi conformandam et perficiendam, tum maxime ad definiendum modum, quo sensa sua et cogitata coram iis lectoribus, quorum desideriis *proxime* inservituri essent, sermone explicuerint; 3) quae in sectionibus commatibusve singulis interpreti ad orationem et antecedentem et sequentem animum probe attendenti nec opinio-

nibus praeconceptis indulgenti sponte offertur sententiarum series; etsi enim lubenter profiteamur, loca obvenire, praesertim in Pauli epistolis, quae per se spectata seriem admittant sententiarum admodum diversam, plerumque tamen, dummodo animum attuleris et scriptori adsuetum et cogitando exercitatum, hoc argumentorum genere logico multum efficitur ad iudicia interpretum recte examinanda, praesertim ubi locis parallelis similibusve et argumentis philologicis adiuvetur; *4) grammatice* Novi Foederis, nostro tempore partim S. V. Wineri aliorumque virorum eruditorum copiis, qui hanc disciplinam separatim tractaverunt, partim universa, quae nostris diebus efflorúit, indolem atque praecepta utriusque sermonis et hebraei et graeci (maxime doctrinam de articulo graeco, de usu temporum graecorum, de particulis, de ellipsibus et pleonasmis) subtilius investigandi ratione egregie instructa et emendata, ususque loquendi cum omnium tum singulorum N. F. scriptorum probe exploratus. Quam difficulter in explicandis vocibus formulisque singulis scriptorum sacrorum cuiusmodi modus teneatur, qui plurimis probe satisfaciat, nec apud alios parsimoniae nimiae apud alios luxuriei lectoribus molestae crimen incurrat, experiundo edocti probe sentimus. Nos quidem hac in re nihil quo sententiae loci explicandi prorsus illustrandae consulatur negligendum existimamus, nec temere repetituri, quae semel de usu et potestate huius illiusve loqutionis dis-

putaverimus, neque omnino eiusmodi copiam usurpaturi, qualem natura et indoles Lexicorum N. F. postulet (quum nobis persuasissimum sit, thesauros locupletes Schleusneri Wahlii Bretschneideri in manibus versari plurimorum); quanquam, ubi voces et formulae obveniunt, de quarum significationibus recte constituendis ac disponendis aliter iudicamus, ac vulgo vel in commentariis vel in Lexicis iudicari solet, non dubitamus paulo amplius exspatiari. Qua diligentia S. V. Kuinoel insigniorem sententiarum de locis vocibusve singulis recte intelligendis diversitatem enarravit, eandem in Epistolis tractandis imitabimur, interpretum recentiorum pariter atque eorum, qui a primis inde temporibus ecclesiae Christianae et aevo medio inclaruerunt, rationem habentes, eorumque iudicia diversissima examini modesto subiicientes.

Quum lectoribus commentarii nostri commodissimum fore videretur, ut hortante Barthio Amiciss. *textum graecum* adderemus, ea quidem ratione, qua nuper ab S. V. Fritzschio Evangeliorum editore illustri factum est, commentario inserendum, neque omnino interpretandi negotium succedere recte posset absque accurata textus graeci conformatione, etiam huic criseos provinciae operam nostram addiximus, more Kuinoelii quamvis notabilem lectionis varietatem (eam maxime, quae vel ad sententiam cuiusque loci recte constituendam vel ad formam, qua scriptor sententiam enuntiaverit, fide

servandam et exprimendam plurimum valeat) examinaturi. Proinde et apparatum criticum, qualem b. Griesbachii et Matthaeii editiones cum ab antecessoribus acceptum, iterata cura recognitum atque digestum, tum novis copiis auctum posteritati tradiderunt, et editiones minores Knappii Vateri Lachmanni, lucubrationem criticam Rinckii in Acta et Epp. (Basil. 1830.) et quaecunque insuper nobis parare possumus ad textum graecum Epistolarum N. F. conformandum recentiori aetate collata ac disputata (praeter observationes criticas commentariis quos contulimus plurimorum insertas), diligenter usurpamus, sedulo quidem caventes, ne vel nimium tribuamus ulli eorum, quae nostris temporibus exstiterunt, systemati recensionum, vel eam lectionem, quam saeculo IV. exeunte vulgo receptam fuisse probabiliter docere liceat, hac sola de causa antiquissimam ceterisque omnibus praeferendam ducamus (id quod ipse Lachmannus, Vir sagacissimus, cui haud raro consentimus, asserere noluit). Argumentis quae dicuntur internis eandem certe auctoritatem, eandem vim ad lectionem veram diiudicandam vindicamus, quae testimoniis codicum, versionum, patrum competit. Haec enim testimonia haud raro lectionibus diversis ita favent fere pari auctoritate, ut eiusmodi locis nihil certius constitui possit nisi argumentis ex natura rei tractatae, orationis serie, usu loquendi, locisve parallelis similibusve depromtis. Vicissim rationes internae solae

per se spectatae haud raro, utra lectio fuerit primitiva, ita relinquunt in suspenso, ut controversia nonnisi testimoniorum pondere conficiatur. Quam parum certam et stabilem crisin usurpet, si quis in conformatione textus graeci librorum N. F. totus pependerit ex auctoritate huius illiusve vel recensionis vel familiae, exempla docent lectionum, quae indole sua interna tantopere commendentur, ut, quicunque absque omni partium studio iudicare voluerit, ab iis textui restituendis nequeat abstinere, etsi paucorum nec insigniorum codicum suffragiis adiuventur (v. c. ubi codd. optimi et plurimi οὔτε exhibent in eiusmodi serie orationis, quae pro certa et explorata dicendi ratione voculam οὐδέ efflagitet in paucis libris iisque minusculis servatam). Quanquam igitur nunquam desinemus toto pectore et eruditionem atque industriam et sagacitatem admirari, qua Vir immortalis memoriae b. Griesbachius testimonia codicum, versionum, patrum secundum recensiones disposuit, quo acutius posthac iudicari posset de auctoritate lectionum singularum externa, saepenumero tamen accidet, ut a textu Griesbach. in singulis discedamus argumentis internis praeeuntibus. Ex animo adsentimur plerisque eorum, quae et b. Knappius in comment. isagogica suis N. F. editionibus praemissa et S. V. Dav. Schulz in praefatione ad editionem tertiam Novi Testamenti Griesbachiani a se curatam (Vol. I. Berolini, 1827.) disseruit. In textu graeco dividendo, in-

terpungendo, accentibus instruendo et orthographia vocum singularum, praecepta Grammaticorum recentiorum sequuti, eandem adhibemus diligentiam, qua praeter novam textus Griesbachiani editionem a Dav. Schulzio egregie inchoatam editio Lachmanni stereotypa (Berolini 1831.) eminet. Semicirculis ( ) includimus eiusmodi vocabula textus graeci, quae, quamquam spuria esse certo asserere nolumus, dubiae tamen existimamus auctoritatis. Parentheseos signo [ ] ea distinguimus, quae ex ipsius scriptoris mente ad parenthesin referenda iudicamus. Quodsi hac in re in prioribus plagulis aliquid fuerit peccatum (v. c. *I. Thess. 2, 13.*) lectorem benevolum, ut ipse corrigat errorem, rogatum cupimus.

Ceterum doleo, quod liber V. Usteri: *Commentar über den Brief Pauli an die Galater, Zürich, 1833.* non prius in manum venerit, quam commentarium integrum in hanc ep. absolutum tradidissem typothetae. Quo paulo ante de eadem epistola prodierant Matthiesii commentarius et liber Schulthessii: *Engelwelt, Engelgesetz und Engeldienst etc.*, quanquam et ipsi eo demum tempore mihi innotuerunt, quo laborem meum ad finem perduxeram, conferri tamen poterant cum iis, quae litteris consignaveram; unde factum, ut hic illic observata, quae ad loca insigniora utriusque libri erudite et acute scripti respicerent, insererentur.

His praemissis primum commentarii nostri volumen hac mente emittimus, ut, si quid commodi inde ad exegesin solidiorem (quae usum doctrinae historicae et philologicae cogitandique libertatem religioni ac pietati coniungit) redundaturum iudicaverint viri docti nec partium studiis indulgentes, hunc laboris nostri assidui fructum uberrimum nobisque iucundissimum grato erga Deum Ter O. M. animo existimaturi simus.

Jenae,
d. XXII. mensis Octobris
MDCCCXXXIII.

D. Henr. Aug. Schott
Theol. Prof. Ord.

PROLEGOMENA
IN
EPISTOLAS AD THESSALONICENSES.

§. 1.

*E*andem Macedoniae urbem, quae olim *Thermae* audiebat, seriores Graeci *Θεσσαλονίκη* appellaverunt, sive Philippus, rex Macedonum, testante *Stephano* Byzant. (de urbibus et populis p. 394. ed. Lugd. Batav. 1694.), in memoriam victoriae de Thessalis reportatae, nomen urbis, auctore Philippo amplificatae antiquum mutaverit, sive Cassander, qui seriori tempore Macedonia potitus fuerat, in honorem coniugis Thessalonices, Philippi filiae, Alexandri Magni sororis, urbem Thermae hoc nomine insigniverit, perhibente *Strabone* l. 7. excerpt. 10. ed. Lips. 1819. Vol. II. p. 131. Pertinuit ea ad regionem secundam Macedoniae, fere a. 164. ante Christum N. in formam provinciae Romanae redactae, senatusque Romani decreto in quatuor partes divisae. De situ urbis cfr. *Herodot.* l. 7. c. 121. *Livius* hist. Rom. l. 44. c. 10. c. 28. ex. l. 45. c. 29. eiusque nomine antiquo praeter Strabonem et Herodotum locis laudd. *Thucydides* de bello Peloponnes. l. 1. c. 61. Apud nostrates audit *Salonichi*, Turcarum imperio subiecta. Quum sinui Thermaeo proxime adiaceret, mature efloruit navigatione, mercatura, divitiis, multitudine incolarum (vd. *Strabo* l. 7.), qui maximam quidem partem gentiles fuere, mixti Judaeis, mercaturae com-

mercio, ut domicilium in hac urbe figerent, invitatis. Ex commentariis Lucae (*Actt. App.* 17, 1. 4. 17.) patet, Judaeos synagogam habuisse Thessalonicae, quum in ceteris Macedoniae urbibus *προσευχαῖς* tantum uterentur, i. e. aedificiis minoribus *extra* urbes sitis, ubi convenirent preces facturi, multosque civium, qui olim Ethnici fuissent, ad sacra transiisse Judaica, praesertim foeminas nobiliores. Hanc synagogam Paulus Apostolus, qui secundo itinere apostolico (intra annum post C. N. 50. et 53.) ad gentes suscepto (*Actt.* 15, 36—18, 22.) Thessalonicen venerat cum Sila (Silvano) et Timotheo [1]), pro more suo adiit, ut popularibus suis doctrinam de Jesu Messia commendaret. Ac primum quidem Judaeis haud ita multis, Proselytis graecis longe pluribus (quippe qui opinionibus praeconceptis Judaeorum minime impedirentur, quo minus doctrinam de Christo cruci adfixo probarent) evangelii veritas persuasa est. In quibus haud paucae fuerunt foeminae nobiliores. *Acta App.* 17, 1—4. Deinde, quum plerique Judaeorum (*ἀπειθούντων Actt.* 17, 5.) sermones Pauli et Silae repudiassent, Ethnicis potissimum operam impenderunt ad Christum

1) Non Silam tantum, sed etiam Timotheum cum Paulo Thessalonicen venisse, ex *Actis App. 15, 40. 16, 1. 3.* coll. 17, 14. recte colligimus. Add. *ep. ad Philipp. 2, 19—22.* quae verba docent, Timotheum Paulo Philippis degenti *(Actt. 16, 12. sq.)* adfuisse. *Assidue* Apostolum in hoc itinere Macedonico comitatus est. Quum vero Silas, qui diutius iam fuisset laborum Apostoli socius (Timotheum quippe nuperrime demum Paulus adsumserat comitem *Actt. 16, 1—3.)*, haud dubie illo tempore *partes primarias* gesserit in adiuvando Paulo, Judaeis Thessalonicensibus evangelium nuntiante; mirum videri non potest, quod Lucas *Actt. 17, 4. unius* Silae mentionem fecerit. Neque ea, quae *I. ad Thessall. 3, 2.* legitur Timothei commendatio, ullo modo ponit, hunc virum, quo tempore Paulus hanc epistolam exararet, Thessalonicensibus fuisse incognitum. Vd. quae contra Koppium recte monuit Jo. Burgerhoudt: specimen academ. de coetus Christianorum Thessalonicensis ortu fatisque, et prioris Pauli iis scriptae epistolae consilio atque argumento, Lugd. Batav. 1825. 8. p. 18. sq.

convertendis. Qui quam paratos promtosque se gesserint ad veritatem divinam agnoscendam, et ipse Paulus *I. ad Thessall.*. 1, 9. laetabundus exposuit, et Lucas breviter testatus est *Actt.* 17, 4. probata quidem lectione in paucis, sed antiquissimis codd. et versione vulg. expressa: *τῶν τε σεβομένων καὶ ἑλλήνων πολὺ πλῆθος.* Scriptura quippe vulgata, voculam *καὶ* omittens, magnam tantum *proselytorum ex gentilibus* multitudinem ad sacra Christiana transiisse perhibet. Attamen, quum phrasis illa *σεβόμενοι ἕλληνες* alibi nunquam obveniat, immo proselyti eodem Cap. XVII. v. 17. simpliciter appellentur *σεβόμενοι*, praeferre malim cum *Burgerhoudtio* (in comment. nota 1. laud. p. 93. sq.) lectionem *καὶ ἑλλήνων*, ut proselyti, *σεβόμενοι*, pariter atque pagani (qui hucusque religione pagani fuissent, *ἕλληνες*) permulti Paulo et Silae aures praebuisse dicantur. Nec probabile est, Lucam, ubi de proselytis ad professionem evangelii transeuntibus exponeret, de ipsis gentilibus nihil addidisse. Quamdiu Paulus Thessalonicae versatus fuerit, non accuratius definiit commentarius Lucae. Per tres quidem dies sacros, *ἐπὶ σάββατα τρία*, in synagoga *cum Judaeis* disseruisse narratur, *Actt.* 17, 2. Plures certe quam duas tresve hebdomades Apostolum in hac urbe transegisse putaverim. Etenim, quod Paulus, in eiusmodi urbes profectus, in quibus et Judaei et Gentiles vivebant, facere solebat, ut primum quidem Judaeos adiret, posthac, praesertim infestantibus ipsum Judaeis, ad Ethnicos sese converteret, idem Thessalonicae fecisse existimandus est, cfr. *Actt.* 17, 1—5. Itemque, ex more suo aliis locis, ubi diutius commorari constituerat, observato (v. c. Corinthi et Ephesi, *Actt.* 18, 3. 11. 19, 10.), victum sibi suisque inter Thessalonicenses suo quaesivit manuum labore, exercenda arte tenteria fabricandi, *I. Thessall.* 2, 9. *II. Thessall.* 3, 7. 8. Accedit, quod in *ep. ad Philipp.* 4, 16. testatus est, Philippenses ipsum Thessalonicae commoran-

tem *semel iterumque* (ἅπαξ καὶ δὶς) pecunia transmittenda sublevasse. (Qui forte coniecerint, Paulum h. l. de alio tempore cogitasse, quo iterum Thessalonicen adiisset, eiusmodi commorationis Pauli inter Thessalonn. serioris indicia certa monstrare nequeunt, vel in Actis App. vel in epistolis Paulinis obvia.) [2]) Quo laetius evangelii professio inter Ethnicos Thessalonn. efflоruit, eo acrius Judaeorum odium in Paulum concitatum est. Itaque, adiunctis sibi hominibus ex infima plebe, circumforaneis, turba collecta, tumultuantes adgressi sunt domum Iasonis (Judaei ad Christum conversi), qui Paulum cum sociis hospitio exceperat, ut illos ad iudicium raperent. Quos qúum non invenissent, Iasonem ipsum et alios quosdam Christo addictos, in eius aedibus commorantes, ad magistratus urbanos protraxerunt, accusantes Iasonem, quod homines, imperatorem profitentes Jesum, Caesari adversantes, hospitio excepisset. Magistratus quidem, re cognita, Iasonem ceterosque dimiserunt, accepta satisdatione. Christiani vero consultissimum existimarunt, ut Paulum, Silam, Timotheum absque mora noctu deducerent in aliam Macedoniae urbem, Beroeam, exiguo locorum intervallo Thessalonica distantem. *Actt.* 17, 5—10. Nec desiit, absente Paulo, ira fervere Judaeorum. Immo, qui Thessalonicae Apostolo frustra vim inferre moliti fuerant, ubi cognoverant, multos et Judaeorum et Gentilium Beroeensium doctrinam de Christo, Paulo et Sila praeeuntibus, an-

2) Quae Lucas *Actt. 17, 5.* perhibet, non demonstrant, *elapsis* tribus σαββάτοις (v. 2.) *confestim* exstitisse illam, quae v. 5. seqq. narratur, Judaeorum seditionem, Paulum discedere cogentem. Immo, postquam Apostolus, doctrina de Jesu Christo *Judaeis* et proselytis per tria sabbata in conventu sacro exposita, feliciori successu aliquamdiu *Gentilibus* (vd. quae supra de lect. καὶ ἑλλήνων diximus) eandem doctrinam commendaverat, Judaei, Paulo cum Gentilibus familiariter versanti graviter succensentes (quod in textu vulg. *Actt.* l. l. voc. ζηλώσαντες exprimitur) de tumultu cogitare coeperunt.

plexos esse, huc profecti sunt, populumque contra doctores evangelii commoverunt. Quo facto Christiani Paulum salvum incolumemque *Athenas* deduxerunt, itinere maritimo. In qua urbe Paulus aliquandiu commoratus est, remissis quidem Beroeam illis, quorum comitatu in itinere usus fuerat, mandaturis nomine Apostoli Timotheo ac Silae, qui Beroeae remansissent, ut et ipsi quam celerrime Athenas venirent. *Actt.* 17, 11 — 15. Qui socii magnopere desiderati, utrum (quod plerique statuunt) Athenas venerint, quo tempore Paulus ibi versaretur, an posthac demum Apostolum Corinthi commorantem adierint, diversimode disputatur. Etenim, quae Paulus I. Thess. 3, 2. de Timotheo, Thessalonicen legato, perhibet, nonnulli sic interpretantur, ut Timotheus Beroeae relictus, dum Paulus, periculis in Macedonia instantibus ereptus, Athenis vitam degeret, Thessalonicen rediisse, ibique, donec Corinthum proficisceretur, Christianis docendis et confirmandis operam navasse dicatur, obsecutus mandato apostolico, sive hoc Paulus coram, Beroea discedens, sive per illos itineris comites, Beroeam reversos, Timotheo iniunxisse putetur. Cfr. Hug *Einleitung in die Schriften des N. T.* Vol. II. ed. II. p. 306. B. Hemsen: *der Apostel Paulus u. s. w. Vier Bücher, nach des Verf. Tode herausgeg. von* F. Lücke, *Göttingen*, 1830. p. 138. coll. p. 151. Attamen sententiae plerisque probatae plurimum favet narratio Lucae *Actt.* 17, 15. 16. perhibentis, Apostolum, quum Athenas venisset, per comites illos Beroeam redeuntes exhortatum fuisse Timotheum ac Silam, ut ὡς τάχιστα Athenas proficiscerentur, eorumque adventum, quum adhuc Athenis esset, *exspectasse*. [Utrumque Athenas venisse non perhibuit quidem narratio Lucae Actt. c. 17. Attamen constat, hunc scriptorem, subinde breviorem, minime integram omnibusque numeris absolutam omnium Pauli eiusque sociorum fatorum factorumque historiam exposuisse.] Audia-

mus item ipsius Pauli verba *I. Thessall.* 3, 1. 2. affirmantis, se maluisse *Athenis solum remanere* (καταλειφθῆναι), quam diutius ferre inscitiam rerum, quae inter Thessalonicenses agerentur, *ideoque Timotheum ad eos misisse*, animos eorum confirmaturum. Ipsa, opinor, verborum series, ususque vb. καταλειφθῆναι utique docet, quo iure Timotheus, etsi Beroea Athenas ad Paulum mox profectus fuisset, ut desiderio Apostoli satisfaceret, eiusdem tamen, de conditione Thessalonicensium magnopere solliciti, mandato instructus, Athenis digressus, Thessalonicen rediisse dicatur. Nec aliam sententiam mihi persuaserunt, quae nuperrime V. Car. Schrader opposuit: *der Apostel Paulus, erster Theil, Leipzig*, 1830. p. 68. sq. Negat *a*) *Actorum* 17, 15. 16. de mandato sermonem esse, quod Timotheum Silamque *Athenas* potissimum venire iusserit. Etsi omnino verba v. 15. ἵνα ὡς τάχιστα ἔλθωσι πρὸς αὐτὸν per se spectata utrumque Pauli socium universe tantum *celeriter ipsum subsequi* iubeant, *loco* non indicato, ex iis tamen, quae v. 16. adduntur, neque nisi de Paulo *Athenis* illos invitatos exspectante intelligi possunt, luculenter patet, Apostolum comitibus suis Beroeam redituris *hac mente*, quod v. 15. commemoratur, mandatum dedisse ad Silam et Timotheum perferendum, ut uterque sine mora *Athenas* veniret. *b*) Parum probabile dicit, paucis illis hebdomadibus, ab eo inde tempore, quo comites Pauli Beroeenses in urbem suam redirent (*Actt.* 17, 15.), usque dum Paulus Corinthi a Judaeis ad Ethnicos sese converteret (*Actt.* 18, 4. 5. 6.), elapsis, fieri potuisse, ut Silvanus quidem ac Timotheus Beroea Athenas proficiscerentur, Timotheus vero iterum Thessalonicen rediret, peractisque Pauli mandatis ad Apostolum sese conferret, interea Corinthum profectum. At neque constat, *quamdiu* Timotheus, quum desiderio Apostoli satisfecisset, Athenis commoratus fuerit, neque Lucas, quot hebdomades Paulus inter Athenienses

transegerit, accuratius definiit (*Actt.* 18, 1.) *c*) Sententiam plerisque probatam hac utraque difficultate premi docet, quod omnino intelligi nequeat, *α*) quomodo Paulus *I. Thessall.* 3, 1. 2. adfirmare potuerit, se *solum* Athenis remansisse (quum, etsi Timotheum Thessalonicen misisset, etiamnum tamen Silam haberet comitem), *β*) quare Lucas *Actt.* 18, 5. narraverit, una cum Timotheo Silvanum ex Macedonia Corinthum venisse ad Apostolum, quum solus Timotheus (*I. Thessall.* 3, 2.), nec uterque, Athenis legatus fuisset ad Thessalonicenses? Quae quidem repugnantiae species evanescit, si modo coniecturam admiseris facilem, ex ipso Lucae testimonio *Actt.* 18, 5. oriundam, Apostolum, Athenis degentem, utique eodem tempore, quo Timotheum Thessalonicen mitteret, etiam Silae mandasse, ut in aliam Macedoniae urbem (forsan Philippos, aut Beroeam), eodem consilio, sese conferret. Cfr. Burgerhoudt specimen nota 1. laud. p. 117. Nec obstat, quod Paulus *I. Thessall.* 3, 2. huius *Silae* legationis mentionem nullam iniecit, siquidem l. l. minime historiam rerum omnium Athenis gestarum exponere instituerat, sed ea tantum commemorare, quae *Thessalonicensium* causa fecisset. Postquam Paulus, utroque muneris socio ad coetus Christianos, quibus consolandis et confirmandis tum temporis maxime consulere voluit, legato, aliquamdiu solus Athenis commoratus fuerat, evangelio Atheniensibus nuntiando occupatus, *Corinthum* abiit. *Actt.* 18, 1. In eandem urbem paulo post Timotheus et Silas sese contulerunt (*Actt.* 18, 5.), Apostolo iterum nuntiantes, quae hucusque inter Thessalonicenses accidissent. Commendabant quippe Paulo et constantiam insignem animique fortitudinem, qua Christiani illi propter ingenuam veritatis professionem durissima quaeque inter Judaeos perpessi fuerint, Pauli, doctoris sui, probe memores, eiusque videndi desiderio flagrantes, et summam eorum erga alios Christi cultores benevolentiam

factis conspicuam (*I. Thessall.* 3, 6.). Iidem vero non tacebant, plures eorum, qui Thessalonicae Christum profiterentur, in magnam animi sollicitudinem esse coniectos, de sorte futura eorum dubitantes, qui ante reditum Jesu Christi sollennem (quem plerique proxime fore exspectarent) diem obierint, nec deesse in hoc coetu, qui etiamnum his illisve animi vitiis indulgeant ex paganismo residuis [3]), et facile cedant exemplis malis, in urbe opulenta, luxu diffluente, frequenter obviis. Quo quidem rerum statu cognito Apostolus (munere apostolico Corinthi obeundo, quo minus statim ipse Thessalonicen proficisceretur, prohibitus) Christianis suis confirmandis, admonendis, edocendis *epistola* exaranda consuluit.

§. 2.

Pro more suo ordiendi epistolas laudibus eorum, qui laude digni essent, primum quidem, Deo gratias agens, egregiam illam praedicat alacritatem, qua Thessalonicenses Christo iis nuntiato fidem praebuerant, eorumque et persuasionis et amoris Christiani constantiam, hucusque inter vexationes gravissimas praestitam, insertis quidem pluribus, quae ad ipsum Apostolum pertinent, totamque et docendi et agendi rationem, qua Thessalonicae usus fuerat, in memoriam iis revocant. C. I. II, v. 1 — 16. Adnectit, quae desiderium significent intimum Thessalonicenses adeundi, curam Apostoli de salute vera horum Christianorum solliciti, spem laetam in iis positam, vota pia, quibus Deum imploret, ut eos perpetuo increscere iubeat persuasione vera et virtute Christiana. C. II, v. 17—20. C. III. Sequitur sermo exhortatorius de praeceptis vitae, quae Apostolus Thessalonicensibus

8) Incolas huius urbis et avaritiae et libidini magnopere indulsisse scriptores veteres testantur. Cfr. praesertim *Luciani* Lucius sive asinus n. 50—52. T. VI. ed. Bipont. p. 191. sqq.

auctoritate Christi dederat, strenue servandis, praesertim de fugienda scortatione, de liberalitate erga alios Christianos magis magisque perficienda, de negotiis, quae cuique competant, tranquille et sedulo peragendis. C. IV, v. 1—12. Refutatur deinde vana eorum dubitatio, qui sortem Christianorum ante reditum Christi mortuorum deteriorem fore existimabant conditione ceterorum, qui in terra superstites essent futuri usque ad *παρουσίαν* Servatoris. Sancte adfirmat Paulus, Dominum, ubi venerit, eiusdem vitae beatae auctorem fore omnibus veris ipsius sectatoribus, mortuis pariter atque in terra versantibus. C. IV, v. 13—18. Acquiescere iubet Christianos suos in exspectatione certissima, Dominum, tempore quidem hominibus incognito, inopinato et subito *iudicem* esse venturum; docetque, non esse, quod illa Christi *παρουσία*, forsitan *prope* instante, exspectanda anxii reddantur et solliciti, si modo animum servent vigilantem, adventui iudicis bene praeparatum, recte factorum sibi conscium. C. V, v. 1—11. Sequuntur iterum varii generis praecepta ad finem usque epistolae. C. V, v. 12—28. Haec omnia Paulus ita persequitur, ut facile pateat, eum lectores *Ethnico-Christianos* (quippe qui longe maiorem constituerent huius ecclesiae partem) prae ceteris ante oculos habuisse. Abstinet quippe (in utraque epistola) eiusmodi modis argumentandi sententiasque propositas illustrandi, ad placita indolemque Judaeorum maxime accommodatis, quales alibi frequenter apud Paulum obveniunt; nec laudat, nec allegorice tractat effata antiqui foederis; plerumque exempla adhibet et vocabula, ex vita moribusque hominum ethnicorum desumta; pluribusque locis lectores tanquam Christianos ex paganis alloquitur, *I. Thessall.* 1, 9. 2, 16. 4, 5. 13. (Cfr. Burgerhoudt spec. nota 1. laud. p. 95. sq.) Posterior tantum epistola Cap. II. continet, quae Judaeorum de Messia doctrinae propius cohaereant (v. 3—12.).

§. 3.

Errore manifesto, ex verbis *I. Thessall.* 3, 1. perperam intellectis oriundo, lapsi sunt auctores subscriptionis, quae vulgo sub utraque epistola legitur, Paulum has litteras *Athenis* exarasse perhibentis. *Corinthi* potius scriptas esse ipsa docet epistola prior testimoniis *Actorum App.* collata. Timotheus quippe, quem Paulus, quum Athenis versaretur, Thessalonicen miserat (*I. Thessall.* 3, 1. 2. vd. §. antec.), *redierat* ad apostolum (vid. l. l. v. 6.), priusquam prima vice litteras daret ad hanc ecclesiam, ubi Paulus, Athenis digressus, *Corinthum* venerat *Actt.* 18, 5. Patet insuper ex *I. Thessall.* 1, 7. sqq. Apostolum tum temporis iter fecisse per Macedoniam et Achaiam. *Corinthum* vero Paulus venisse recte existimatur anno post C. N. 52. aut 53., *quo tempore permulti et Judaeorum et Judaeo-Christianorum, edicto Claudii Caesaris depulsi, Roma discesserant* [4]). In his enim *Aquila* fuit, quem Lucas *Actt.* 18, 2. *nuperrime* (προσφάτως) ex Italia Corinthum profectum Paulo in hac urbe versanti accuratius innotuisse testatur. Praeeunte eodem Luca Apostolus haud ita multum temporis Corinthi transegerat, quum Silas ac Timotheus, Thessalonice digressi, ad ipsum venirent, *Actt.* 18, 5. Quo facto *mox* (*I. Thessall.* 3, 6. ἄρτι ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν) priorem dedit

4) Postquam Claudius anno imperii primo (41. post C. N.) Judaeis Romanis conventus sollennes interdixerat (*Dio Cassius* l. 60. p. 666.), seriori tempore, adsidue tumultuantes, Roma expulit (testante *Suetonio* in vita Claudii c. 25. anno non indicato). Posterius accidisse a. 49. *Orosius* perhibet histor. l. 7. c. 4. Cuius testimonium propterea suspectum habetur, quod perperam ad Josephum provocavit, hac de re nihil professum. Ad annum 54. plurimi referunt, praeeunte *Pearsonio* in annal. p. 669. De anno 53. rectius cogitari, collatis narrationibus *Taciti* Ann. 12, 52. 54. *Josephi* antiqq. Judd. l. 20. c. 5. §. 4. c. 7. §. 1. de bello Jud. 2, 12. 2. 8. docuit V. Vogel apud Gablerum: *Journal für auserlesene theol. Litter. 1. B. 2. St. 1804. p. 232. sq.*

ad hunc coetum epistolam, vel exeunte anno 52. vel ineunte 53. *Diutius* iam (plures certe menses) Corinthi versatum fuisse Apostolum, priusquam haec epistola scriberetur, nolim cum Michaeli (*Einleit.* Vol. II. ed. IV. p. 1206. sqq.) ex locis ibi laudatis demonstrare. Etenim, qui Thessalonice Athenas, inde Corinthum profectus fuerat, utique iam experiundo cognoscere potuerat, quam longe lateque pietatis Thessalonicensium Christianae fama dissipata esset per Macedoniam et Achaiam (*I. Thessall.* 1, 7. 8.), praesertim quum haud pauci Achaiae incolae Corinthum frequentarent. Nec video, quidni Apostolus hoc temporis intervallo ἅπαξ καὶ δὶς (*I. Thessall.* 2, 18.) consilium capere potuerit, Thessalonicen, si fieri posset, redeundi? Cfr. Eichhorn *Einl.* 3. *B.* 1. *Hälfte* p. 57. sq. Bertholdt *Einl.* 6. *B.* p. 3475. sqq.

§. 4.

Timotheo ac Sila etiamnum apud Paulum Corinthi versantibus (*II. Thessall.* 1, 1.), quum Apostolus iterum, sive per litteras, sive per Christianos ex illis regionibus Corinthum profectos, nuntium accepisset de statu Christianorum Thessalonicensium, epistolam exaravit *posteriorem*, priori quodammodo supplendae, amplius illustrandae, accuratius definiendae inservientem. Innotuerat Paulo, quam indefessam animi constantiam hucusque, vexationibus perpetuis adflicti, in profitenda evangelii doctrina praestitissent. Audierat vero etiam de erroribus, ad παρουσίαν Christi spectantibus, qui animos multorum sollicitudine vana perturbarent. Quanquam enim ex epistola priori cognoverant, idem felicitatis regni divini consortium omnibus Dei et Christi cultoribus probis exspectandum esse, seu mortui fuerint ante reditum Christi sollennem, seu vitam in his terris degerint usque ad ipsam παρουσίαν; haud pauci tamen sibi persuaserant, cum vanis aliorum sermonibus decepti, tum falsa interpretatione eorum, quae

Paulus ipse ep. *I. Thessall.* de *παρουσίᾳ* Servatoris dixerat, reditum Christi *tam prope instare*, ut quovis mense, immo die, probabilitate summa exspectetur. Unde factum, ut vel timore metuque perpetuo perturbarentur, insigni illa rerum humanarum terrestriumque mutatione, qualem oratio Christi prophetico-poëtica *Matth.* 24, 29. sqq. locisque parall. descripsit, quotidie exspectanda, vel cupidius hunc diem desiderarent, morae impatientes, ipsamque huius promissi, Servatorem aliquando rediturum esse, veritatem in dubium vocare inciperent, quum *παρουσία* de die in diem differretur, vel negotia sua missa facerent, et vitae indulgerent otiosae, quotidie existimantes Servatorem appariturum, finemque rerum huius saeculi omnium. Proinde Paulus, eadem docendi sapientia usus, qua prior epistola exarata fuerat, iterum laudationem coniungit institutioni et exhortationi. Ac primum quidem animum profitetur Deo gratias agentem, quod Thessalonicenses hucusque strenue obtinuerint, nullo vexationum impetu fracti, persuasionem veram amore Christiano conspicuam, qua digni reddantur felicitate summa in regno divino iis parata. Quam sententiam ita tractat, ut simul consoletur Thessalonicenses adflictos commemorando Dei et Christi iudicio iustissimo olim apparituro, precesque pias pro salute eorum aeternum futura adnectat. C. I. Transit deinde ad corrigendam eorum persuasionem, qui exspectationi indulserint arbitrariae reditus Jesu Christi *proxime* instantis, docetque, Servatorem non prius esse venturum, quam defectio magna a religione vera exstiterit, prodieritque Anti-Christus. C. II, v. 1—12. Redit ad gratias Deo actas pro Christianis Thessalonicensibus, et vota pia v. 13—17. C. III, v. 1—5. Adduntur denique v. 6. usque ad finem praecepta saluberrima, iis maxime iniungenda, qui procliviores fuerint ad vitam dissolutam et otiosam. *Corinthi* etiam hanc epistolam esse consignatam, inde patet, quod

Timotheus (qui praeeunte Luca *Actt.* 18, 18. sqq. quum Paulus Corintho discessisset, aliquamdiu non fuit in comitibus Pauli), quo tempore Apostolus hanc alteram ad Thessall. epistolam exaravit, etiamnum, cum Sila, apud ipsum versatus est, *II. Thessall.* 1, 1. *Temporis*, quo scripta fuerit, vestigia certa loco inesse epistolae II. c. 3. v. 2. nolim adfirmare, nec ipse Eichhornius *Einl.* 3. *B.* 1. *Hälfte* p. 69. certa existimat. Quaeritur enim, utrum verba loci laud. *ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων* de illo potissimum tumultu contra Paulum excitato, quem Lucas *Actt.* 18, 12. sqq. sub *finem* illius temporis, quod Paulus Corinthi transegit (unius anni et sex mensium, *Actt.* 18, 11.) accidisse testatur, an universe vel de adversariis Apostoli inter Judaeos, ipsius vitae saepenumero insidiantibus, vel de doctoribus falsis ad Judaismum propensis doctrinae Apostoli repugnantibus intelligi debeant. Eiusmodi quippe adversarios Apostoli, qui *iam ante tumultum* illum *Actt.* 18, 12. sqq. enarratum molestias ei creare possent, Corinthi fuisse, nemo facile improbabile dixerit. Quo quidem argumento *Bertholdti* quoque coniectura evertitur (*Einl.* 6. *B.* *p.* 3481.), cui Paulus *II. Thessall.* 3, 2. ad vexationes eo loco, quem iam aditurus esset, metuendas respexisse videtur. [5]) Attamen haud dubie epistola posterior *non statim post priorem* scripta recte existimatur. Quantum equidem video, non potuit certe prius exarari, quam Paulus, nuntio de Christianis Thessalonicensibus *iterum* sibi allato, cognoverat, haud paucos *παρουσίᾳ* Christi tanquam proxime instante exspectanda animo perturbari,

5) Dudum refutata est sententia *Grotii*, eam, quae in canone nostro locum posteriorem obtinet, epistolam Thessalonicensibus scriptam, *ante* I. exaratam esse. Argumentum quippe ex *II. Thess.* 3, 17. petitum nullius est ponderis, quum absque ratione idonea ponat, lectores, quo tempore epistola prior scriberetur, eodem authentiae epistolarum Paulin. documento indiguisse.

adeoque homines prodiisse, qui hanc persuasionem ipsius Pauli auctoritate defenderent, *II. Thess.* 2, 2.

§. 5.

Alium prorsus tramitem in definiendo tempore, quo Paulus utramque ad Thessall. epistolam dederit, ingressi sunt duumviri, qui recentius de vita scriptisque Pauli erudite exposuerunt: Car. Schrader: *der Apostel Paulus, erster Theil, Leipzig*; 1830. *p.* 90. *sqq. p.* 161. *sqq.* et J. F. Koehler: *über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften im N. T. und der Apocalypse, Leipzig*, 1830. *p.* 65—74. *p.* 90. *sqq. p.* 112. *sqq. p.* 120. *sqq.* Uterque probat subscriptionem vulgarem, has epistolas *Athenis* scriptas perhibentem, quanquam uterque negat, de ea Pauli inter Athenienses commoratione cogitari posse, quam Lucas *Actt.* c. 17. enarraverit. Immo Schraderus in auxilium vocat locum *Actt.* 20, 1. 2. ubi Paulus, Epheso digressus (in qua urbe per biennium commoratus fuerat, *Actt.* c. 19.), regionibus Macedoniae lustratis, in Graeciam (Ἑλλαδα) se contulisse dicitur. Hoc tempore (secundum computationem annorum vitae Apostoli Schradero probatam a. 58.) Paulum aliquamdiu Athenis substitisse, Timotheum Thessalonicen legavisse, eoque reverso utramque ad hunc coetum epistolam dedisse existimat. Quanquam universa Schraderi disputatio de chronologia itinerum Pauli eiusque epistolarum instituta haud pauca continet scite observata et ingeniose defensa, sententia tamen de tempore consignationis epistolarum ad Thessall. plerisque probata etiamnum adversus dubitationes ab illo excitatas recte, opinor, vindicatur. Provocavit quidem *α*) ad eiusmodi loca utriusque epistolae, quae doceant, ecclesiam Thessalonicensem, quum Paulus has litteras exararet, non amplius fuisse recentem. Quae indicia omnino ambigua putaverim. Adhortatur Paulus Christianos *I. Thessall.* 5, 12., ut doctores suos, et, *qui iis praesint* au-

cteritate Domini (τοὺς προϊσταμένους ὑμῶν), plurimi faciant. Negat Schraderus, hoc scribi potuisse, quum Paulus modo prima vice Thessalonicae fuisset (*Actt.* 17, 1. sqq.), siquidem coetus recens nondum haberet presbyteros, nec eiusmodi munera hominibus νεόφυτοις, *super* ad Christum conversis (*I. Timoth.* 3, 6.) demandarentur. Sed hoc mandatum de νεόφυτοις haud eligendis in prima demum occurrit ad Timoth. epistola, *serius* scripta, nec certum habemus et exploratum, Apostolum *quovis tempore*, quum rem experiundo nondum cognovisset, homines recens conversos ab eiusmodi muneribus arcendos existimasse. Deinde fieri utique potuit, ut Thessalonicen eiusmodi homines venirent, qui sacris Christianis diutius iam addicti essent. Et quanquam exigua pars Judaeorum Thessalonicae doctrinam apostolicam probaverat, inter illos tamen haud improbabiliter fuisse existimantur, qui, scripturae sacrae V. T. peritiores, ad religionem Christ. suscipiendam magis, quam alii, essent praeparati. Multum insuper distabat simplicitas institutionis apostolicae ab eo, qui apud nostrates obtinet, modo docendi. (Cfr. Koppe ad I. Thess. 5, 12.) In aliis quidem coetibus citius, in aliis serius constituti fuisse videntur presbyteri sive episcopi, pro diversa rei et opportunitate et necessitate. Admonentur Christiani Thessall. I. Ep. 4, 11. sq. II. Ep. 3, 10. sq. ut vitae tranquillae studeant, negotiis suis vacantes sibique labore assiduo comparantes, quibus indigeant; innotuerat quippe Apostolo (II. Ep. 3, 11.) nonnullos eorum vitam agere dissolutam. Putabimusne (inquit Schraderus) eo tempore, quo Paulus prima vice Thessalonicensibus evangelium nuntiaret, intra tres hebdomades, eiusmodi vitia in coetum irrepsisse? Perpendamus vero, quam depravati omnino, historia teste, mores fuerint incolarum (vd. §. 1. nota 3.); quam facile plures Thessalonicensium nuperrime conversorum, etsi praesente Paulo legem honestatis Christianae sequerentur,

tamen, postquam discessisset, exemplis Ethnicorum ad vitam dissolutam seduci, iterumve ad vitia vixdum deposita redire potuerint; quam parum exploratum sit, quod ponitur, Apostolum nonnisi duas tresve hebdomades fuisse Thessalonicae (vd. §. 1.). Iisdem de causis nolim contendere, non potuisse Apostolum illo tempore ad suum ipsius provocare exemplum (*I. Thessall.* 2, 9. sqq.). Nonne enim vel aliquot hebdomadum spatio satis aperte cognoscere licebat, quam sollicite Paulus, dum praedicationi doctrinae divinae indefessum manuum laborem coniungeret, hoc egerit, ut ne cuiquam Thessalonicensium oneri esset? Quod dubitationes attinet de *παρουσίᾳ* Christi et conditione futura eorum Christi cultorum, qui ante hanc *παρουσίαν* diem vel obiissent, vel obituri essent, in animis multorum illius ecclesiae Christianorum excitatas, in epistola *priori* c. 4. 5. refutatas, nemo facile improbabile dixerit, ab eo inde tempore, quo Paulus Thessalonice discessisset, usque dum epistolam exararet *posteriorem* (non statim post priorem scriptam cfr. §. 4. ex.), Christianos nuper conversos, qui *tirones* essent in doctrina divina, in eiusmodi dubitationem ac sollicitudinem coniici facile potuisse. Nec verba *I. Thessal.* 4, 13. *οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, περὶ τῶν κεκοιμημένων* etc. consignationem harum epistolarum tempori seriori vindicari iubent, quo plures *huius* ecclesiae Christiani diem supremum iam obierint. Nihil quippe impedit, quo minus Apostolum illud *κεκοιμημένων* de Christianis aliorum quoque coetuum, qui Thessalonicensibus vel cognatione vel amicitia iuncti essent, intelligi voluisse dicamus. Forsan de iis etiam cogitavit, qui posthac morituri essent (h. s. nolo vos, vel hoc tempore, vel posthac, propter conditionem eorum, qui ante *παρουσίαν* Christi diem obierint, in sollicitudinem nimiam, spe destitutam, coniici). Ex effatis *II. Thessall.* 2, 2. 3, 17. colligit Schraderus, Apostolum, priusquam posteriorem daret ad

Thessall. epistolam, haud dubie *plures* scripsisse. Verum enimvero, qua de causa Paulus cavendum putaverit, ne forte Christiani per epistolam quandam ipsi fraudulenter suppositam ad errores perducerentur, facile intelligitur, si modo *semel* eiusmodi molimen fraudulentum experiundo cognovisse existimetur. Quae c. 3. v. 17. dicit: ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ etc. absque duritie ita explicari possunt, ut Apostolus his verbis consilium profiteatur, in posterum, quoties necessarium duxerit, epistolas suas hoc authentiae documento insigniendi. Ceterum, etsi epistolas ad Thessall. anno 52. et 53. (§. 3.) scriptas existimemus, concedere utique possumus, Apostolum, priusquam Thessalonicenses instituerat, alias quasdam exarasse epistolas, ad hos illosve homines datas, *nobis incognitas*, in quibus eiusdem σημείου usum faceret. Quae Paulus *I. Thessall.* 1, 8. de fama persuasionis Thessalonicensium Christianae per Macedoniam et Achaiam longe lateque divulgata profitetur, neminem iubent de *seriori* Pauli itinere, ante consignationem harum epistolarum suscepto cogitare. Quum Paulus, a Thessalonicensibus recens conversis digressus, ex Macedonia Athenas, deinde Corinthum sese contulisset (*Actt.* c. 17, v. 10. — c. 18, v. 1.), et in ipso itinere, quo varias regiones Macedoniae et Achaiae obiit, et Athenis atque Corinthi (quas urbes homines regionum diversissimarum adire solebant), cognoscere potuerat, quantopere πίστις Thessalonicensium sermonibus hominum celebraretur. Denique tempori, quo Paulus *prima* vice inter Thessalonicenses commoratus fuerit, Schraderus neque accommodatum existimat locum *I. Thessall.* 3, 4. καὶ γὰρ, ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦμεν, προελέγομεν ὑμῖν, ὅτι μέλλομεν θλίβεσθαι, καθὼς καὶ ἐγένετο, καὶ οἴδατε, neque, quod Apostolus ad *Philipp.* 4, 15. 16. testatur, initio praedicationis evangelii, quum ipse Macedonia discederet, ecclesiam Philippensem primam fuisse, quae ipsum pecunia mittenda sublevaret, eam-

que hanc liberalitatem, dum Thessalonicae versaretur, iterata vice praestitisse. Quod prius effatum attinet, nihil obstare video sententiae plerisque probatae. Dum Paulus prima vice Thessalonicae versabatur (*Actt.* 17, 1. sqq.), initium evangelii praedicandi ita fecisse existimandus est, ut hominibus ad Christum conversis simul praediceret, eos una cum ipso (Apostolo) evangelii causa vexationibus fore obnoxios. Id quod eventu comprobari coepisse, priusquam Paulus urbem relinqueret, narratio Lucae docet *Actt.* 17, 5—9. Quae Thessalonicenses post abitum Pauli experti fuerint, non accuratius compertum habemus, quum Lucas minime integram fatorum huius ecclesiae historiam exponere constituerit. De Paulo constat (*Actt.* 17, 13. 14.) eum nec Beroeae tutum incolumemque diutius versari potuisse, iterum quippe a Iudaeis vexatum, Thessalonice Beroeam profectis, populumque concitantibus. Atque omnino verba Pauli *I. Thess.* 3, 4. *μέλλομεν θλίβεσθαι* ita se habent, ut satis commode etiam de vexationibus illo tempore ipsi Apostolo instantibus intelligantur. Omnino otiosa apparerent vbb. *καὶ οἴδατε*, nisi hoc innuerent, Thessalonicensibus aliunde iam innotuisse, quae fata Paulus, Thessalonice digressus, subiisset. Quod effatum posterius attinet (ep. ad *Philipp.*) vbb. (v. 15.) *ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας* etc. recte sic intelliguntur: quum in eo essem, ut Macedoniam relinquerem (quo tempore Paulus Thessalonice discedebat, utique sub finem vergebat illa commoratio Pauli inter Macedones), praeter vestram ecclesiam nulla fuit, cui gratias referre deberem pro beneficiis acceptis (cuius rei explicatio seq. v. 16.). Cogitasse Apostolum de eo tempore, cuius narratio *Actt.* c. 17. in. exhibetur, verbis professus est *ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου*. Quo minus vero cum Schradero utramque epistolam seriori tempori, quo Paulus iterum Athenis fuerit, vindicemus, haec impediunt. *α*) Etsi concedamus, Lucam *Actt.* 20, 1 — 4. narratione huius itine-

ris Pauli per Macedoniam et Achaiam facti admodum breviter esse defunctum, nec singulas regiones omnes, ab Apostolo tum temporis lustratas, commemorasse (vd. Schrader l. l. p. 151. sqq.); verba tamen v. 3. ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, quum proxime praecessisset v. 2. ἦλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, in hac orationis serie nequeunt nisi ita intelligi, *ut Apostolus in* Ἑλλάδι (*Attica*) *tres tantum menses transegisse dicatur.* Putabimusne, hoc temporis spatio haud ita magno Apostolum Athenis non tantum Timotheum Thessalonicen legavisse, eoque reverso priorem dedisse ad hunc coetum epistolam, sed etiam posteriorem (quae haud dubie, ut supra vidimus, priorem non statim exciperet) *exarasse*? Nonne haec omnia aptius conveniunt illi, quae *Actt.* c. 17. 18. enarratur, commorationi Apostoli inter *Athenienses atque Corinthios? b*) Eo tempore, quo Paulus priorem epistolam Thessalonicensibus scripsit, nonnisi πρὸς καιρὸν ὥρας (per *breve* tempus) consuetudine eorum caruerat (*I. Thess.* 2, 17.). Verissime hoc dici poterat, si Paulus, quum Corinthi hanc epistolam scriberet (*Actt.* c. 18.), desiderium intimum, quod *iam Athenis* senserit (paulo post discessum a Thessalonicensibus, *Actt.* c. 17, v. 15. coll. v. 10.), ad hos redeundi, declarasse existimetur. Attamen, ut hoc effatum cum sententia Schraderi concilietur, praeeunte ipso (p. 86.) coniiciamus necesse est, Apostolum, priusquam in Atticam sese conferret (*Actt.* 20, 2.) ibique has epistolas scriberet, *altera vice* Thessalonicenses visitasse. Quod posterius, ex sententia Schraderi, eo tempore accidit, cuius historiam Lucas *Actt.* c. 19. enarravit, ubi de biennio sermo est, quod Paulus inter Ephesios transegit. Existimat quippe, narrationem Lucae c. 19. v. 20. 21. mancam esse et imperfectam, supplendam itinere prorsus omisso, quo Apostolus tum temporis, Epheso digressus, regiones Macedonicas (in his Thessalonicen), Corinthum, Cretam, Nicopolin, Hierosolymas, Antiochiam

lustraverit, Ephesumque redierit. Quanquam commentarius Lucae haud dubie non de singulis omnibus Pauli itineribus exposuit, nequeo tamen mihi persuadere, scriptorem c. 19. post v. 20. eiusmodi iter longius, quale Schraderus h. l. inseri voluit, si vere accidisset, ne verbulo quidem indicandum existimasse. Verba quippe v. 21. ὡς δὲ ἐπληρώθη ταῦτα nexu manifesto iis cohaerent, quae Lucas v. 17 — 20. monuerat, doctrinam Domini inter *Ephesios* magnopere increvisse et invaluisse, docetque scriptor verbis seqq. v. 21. usque ad finem capitis, Apostolum nunc demum, his peractis, de novo itinere, quo per Macedoniam et Achaiam Hierosolymas tenderet (cfr. c. 20. in.), immo de ipsa Roma visitanda cogitasse, sed, priusquam ad iter se accingeret, Timotheum et Erastum ad Macedones legavisse, ipsum vero aliquamdiu porro in Asia minori substitisse, donec, composito tumultu, qui Ephesi contra Paulum eiusque comites excitatus fuisset, ab Ephesiis discederet. Haec omnia sermone continuo ita enarrantur, ut omnino pateat, Lucam plane nihil compertum habuisse de longiori quodam Pauli itinere, eventa v. 17—20. enarrata inter et, quae deinde a v. 21. sequuntur, interposito. Parumque probabiliter Lucas, cui omnino res Pauli inter Ephesios gestas probe cognitas fuisse c. 19. docet, eiusmodi iter, si vere accidisset, ignorasse putatur[6]). *c*) Quae Paulus *I. Thessall.* c. 1. 2. dixerit, memoriam illius temporis repetere, quo *prima vice* Thessalonicae versaretur (*Actt.* c. 17. in.) Schraderus ipse p. 66. concedit. Attamen, quae c. 3. in. leguntur de Timotheo Athenis Thessalonicen legato (quo desiderio Pauli, de statu horum Christianorum solliciti, quodammodo satisfieret), argumento capitis I. et II. tam arcte connectuntur (vd.

6) Cfr. quae contra similem Curtii sententiam de itineribus Pauli, quae eo tempore susceperit, quo inter Ephesios domicilium haberet, in isagoge mea historico-critica in libros N. F. sacros p. 235. paucis disserui.

I. Thess. 3, 1. 5. coll. 2, 17. sqq.), ut interpreti absque omni partium studio effata Paulina comparanti utique persuadeant, Apostolum etiam h. l. de iis cogitasse, quae *paulo post* illum a Thessalonicensibus discessum, *Actt.* 17, 10. commemoratum, accidissent. Atque omnino, quam *recens* eo tempore, quo Paulus has epistolas scriberet, in ipsius animo memoria fuerit caritatis, qua Thessalonicenses ipsum excepissent, eorumque alacritatis in admittenda et cognoscenda de Christo doctrina, quam parum probabiliter haec omnia multis demum annis post conversionem Thessalonicensium elapsis scripsisse dicatur, universa docet capitis I. et II. elocutio admodum vivida, adfectus plena. Contra sententiam Schraderi uberius nuper disseruit M. Schneckenburger: *Beiträge zur Einleitung in das N. T. u. s. w. Stuttgart*, 1832. *p.* 165. *sqq.*

Ad annos vitae Pauli postremos utramque epistolam referri voluit V. Koehler l. supra laud. priorem quidem non ante annum 66. post C. N. posteriorem anno demum 68. consignatam existimans.[7]) De nonnullis quidem argumentis, quae hic potissimum interpres sententiae plerisque probatae opposuit, eadem valent, quae modo diximus, argumentationem V. Schraderi examinantes. Quod cetera attinet, *a*) ex iis, quae plerique de tempore consignationis utriusque epistolae statuunt, *sequi* existimat, locis quidem *I. Thessall.* 2, 18. 3, 10. sq. praeeuntibus, Paulum, ubi *Beroeae* versaretur (*Actt.* 17, 10. sqq.), de eo iam cogitasse, ut Thessalonicen rediret. Qua de re quomodo tum temporis, furore coeco Iudaeorum, qui Thessalonicae essent, contra Apostolum eiusque comites saeviente

7) Similem sententiam olim Whiston commendaverat, utramque epist. a. 67. scriptam coniiciens in l. *von den apostolischen Constitutionen* p. 46. p. 110. cui recte contradixit Benson: *paraphrast. Erklärung und Anmerkungen über einige Bücher des N. T. 1. Band. übersetzt von Bamberger, Leipzig, 1761. p. 67. sqq.*

(*Actt.* 17, 5—10.), cogitare potuerit, parum intelligi. Sed verba Pauli locis laudd. ita se habent, ut accuratius definiri nequeat, utrum, quod dixerit *I. Thess.* 2, 18. se ἅπαξ καὶ δὶς voluisse ad Christianos illos redire, Beroeae potissimum, an posthac Athenis et Corinthi acciderit. Nec video, quidni Apostolus, Beroeam profectus, *aliquamdiu* sperare potuerit, tumultum illum brevi tempore iri compositum, donec adversarii Thessalonicenses (*Actt.* 17, 13.) Beroeam venirent. *b*) Quae Paulus *I. Thessall.* 3, 1. 2. profitetur: διὸ μηκέτι στέγοντες εὐδοκήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόνοι, καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον etc. et v. 6, ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς etc. *ex sententia Koehleri* ad *Paulum et Silam* referenda sunt. Uterque (ait) Timotheum Athenis Thessalonicen legaverat. Utrumque, absente Timotheo, aliorsum abiisse, loco certe *I. Thessall.* 3, 2—5. non docetur. Proinde (inquit Koehlerus) quae v. 6. sequuntur de reditu Timothei ad Paulum et Silam, minime Corinthi (ubi Paulus initio quidem Silam comitem non habebat, *Actt.* 18, 5.), sed Athenis accidisse existimanda sunt, tempore seriori, cuius historiam non attigit commentarius Lucae. De his omnibus aliter iudicamus. Concedimus, personam 1. plur. pluribus locis capitis I. et II. epist. *I. Thessall.* ad comites Pauli, de institutione Thessalonicensium egregie meritos, pariter posse referri atque ad ipsum Apostolum. Attamen, quum neminem fugiat consuetudo Apostoli (cuius documenta permulta ceterae eiusdem epistolae exhibent), de semet ipso modo personam primam pluralem (more Graecorum, qui Paulo, *Tarsi* nato et educato, haud dubie pridem innotuerat) modo singularem usurpandi, demonstrari profecto non potest, *quóties* Paulus capite I. II. III. huius epistolae personam primam plur. adhibuerit, et *ipsum et comites* indicari. Immo se ipsum, nec alios, intelligi haud dubie voluit pluribus locis, v. c. *I. Thessall.* 1, 8. ὥστε μὴ χρείαν ἡμᾶς ἔχειν λαλεῖν

τι (in illo quippe per Achaiam itinere, de quo h. l. sermo est, Apostolus Timotheum ac Silam secum non habuerat, *Actt.* 18, 1 — 5), ib. c. 2. v. 9. *νυκτὸς γὰρ καὶ ἡμέρας ἐργαζόμενοι* etc. (aliis locis de *se* testatur Apostolus, operam se dedisse, ut ne cuiquam Christianorum, apud quos versaretur, molestias facesseret alimentis accipiendis, *II. Corr.* 11, 9. 12, 16. cfr. *Actt.* 18, 3.), ib. c. 3, v. 2. *ἐπέμψαμεν Τιμόθεον* (cfr. v. 5. *ἔπεμψα*), ib. c. 4, v. 15. *τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν* etc. (*solius* Pauli placitum his verbis continetur, auctoritate Christi enuntiatum). Cfr. insuper *II. Thessall.* 2, 2. 15. *Romm.* 1, 5. *Coloss.* 4, 3. (coll. *Ephess.* 6, 19. 20.) *II. Corr.* 1, 8. 9. 12. 13. Plerumque exspectare poterat, fore ut lectores ex ipsa rerum, de quibus sermo esset, indole et serie orationis cognoscerent, utrum persona prima plur. Apostolum solum, an ipsum aliosque innueret. Quanquam interdum, ubi praecipue cavendum putabat, ne forte sermo ambiguus existeret, aliquid addidit, v. c. *I. Thessall.* 2, 18. *διὸ ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς (ἐγὼ μὲν Παῦλος)* etc. Quae verba quum satis dilucide monstrent, de Apostolo solo (nec aliis) intelligenda esse, quae c. 2, v. 18. enarrentur, iisdemque *arctius cohaereant* verba v. 19. 20. et c. 3, v. 1. 2. profecto nullam omnino ambiguitatem habere poterat pluralis ille v. 2. *καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον pro singulari* (qui de eadem re v. 5. *legitur*) positus. Paulus, sua tantum auctoritate, non item Silas Timotheum Thessalonicen legaverat. Silas (ut §. 1. vidimus) aliorsum abiit, ab eodem Paulo legatus, quanquam huius rei l. l. mentio nulla facta est. Iam vero Thessalonicensibus aliunde innotescere potuerat, Apostolum, quum, Sila ac Timotheo legatis, aliquamdiu solus Athenis fuisset, posthac Corinthum abiisse, in eamque urbem Timotheum profectum esse cum Sila. Itaque c. 3, v. 6. sufficiebat scripsisse *ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν*, nec habebat Apostolus, quod de itinere Athenis Corinthum fa-

cto separatim diceret. c) Epistolae I. ad *Thessall.* Koehlerus vestigia inesse docet temporis serioris, quo persequutio Christianorum Neroniana exstiterat, bellumque Iudaeorum contra Romanos ingruere coeperat. Verba quippe *I. Thessall.* 2, 17. ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν πρὸς καιρὸν ὥρας, προσώπῳ, οὐ καρδίᾳ, eo referri vult, quod multi Thessalonicensium tum temporis Paulo, amore paterno hanc ecclesiam complectenti, morte violenta erepti fuerint, ideoque ab iis seiunctus sit προσώπῳ attamen per breve tempus, usque ad παρουσίαν Domini, ex sententia Apostoli prope instantem. Nolim equidem necessitatem huius interpretationis ex usu vb. ἀπορφανίζεσθαι demonstrare. Concedimus, ubi sensu *proprio* adhibeatur, de iis dici, quibus parentes *morte* erepti fuerint. Attamen h. l. *tropice* usurpari res ipsa docet, quum illa, quam propriam dicimus, significatio minime conveniat Apostolo de amicis Thessalonicensibus loquenti. Sensu tropico universe exprimit conditionem *illi similem*, in qua homines constituti sunt parentibus orbati. Inter omnes constat, saepenumero duas res similes ita comparari, ut minime, *quaecunque* alteri competant, eadem ad alteram transferantur. Proinde, qui consuetudine hominum dilectissimorum carebat, *locorum intervallo ab iis seiunctus*, recte etiam tropice dici poterat ἀπορφανισθείς, *neglecta mortis cogitatione*, ad usum tantum huius vb. proprium pertinente. (Cfr. *Jeremiae* threni c. 5, v. 3. LXX. ubi ὀρφανοὶ dicuntur Iudaei in captivitatem abducti, doctoribus tutoribusque destituti). Nostro potissimum loco hoc sensu latiori usurpatum esse, Paulus ipse innuebat verbis seqq. περισσοτέρως ἐσπουδάσαμεν τὸ πρόσωπον ὑμῶν ἰδεῖν coll. v. 18. διὸ ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς etc. Itemque nihil impedit, quo minus verba πρὸς καιρὸν ὥρας spem laetam Apostoli exprimere censeamus, fore, ut mox reverti liceat ad amicos Thessalonicenses (*I. Thessall.* 3, 11.). Quae Apostolus eodem cap. II. ep. I.

v. 14—16. profitetur: *vos* (Thessall.) *a popularibus vestris eadem estis perpessi, quae illi* (*coetus Christianorum Palaestinenses*) *a Judaeis, qui adeo Dominum Jesum vatesque suos interfecerunt, nos persequuntur, Deo displicent, omnibusque hominibus sunt contrarii*, V. Koehlero innuere videntur acrem quandam Christianorum, qui in Palaestina versabantur, persequutionem, anno primo belli Judaeorum contra Romanos, a. 66. factam, quo tempore furor Judaeorum tantopere saevierit, ut adeo manum inferrent omnibus, qui cunctarentur in societatem venire seditionis contra Romanos excitatae (*Joseph.* de bello Jud. l. 2. c. 17. §. 5. sqq.). Verum, si Paulus v. 14. (*καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων*) de *persequutione cruenta* cogitasse existimetur, licet omnino effatum apostolicum absque omni difficultate ad ea referre, quae pridem in Judaea acciderant, priusquam Paulus Thessalonicenses ad Christum converteret, in *Actis App.* c. 8. in. c. 11, v. 19. c. 12, v. 1—4. exposita. Itemque Judaei dudum ante tempora belli Judaici verissime dici poterant et *πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίοι* v. 15. (siquidem supra alios omnes populos sese efferrebant, tanquam unicam gentem Deo dilectam, nisi illud *ἐναντίοι* malueris de studio pessimo Judaeorum interpretari, propagationem doctrinae Jesu divinae, toti hominum generi salutaris, quovis pacto impediendi) et *κωλύοντες* Apostolum *τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι ἵνα σωθῶσιν* v. 16. Patet quippe ex rebus gestis in volumine Actorum expositis, priusquam Paulus Thessalonicen veniret, iam satis superque efferbuisse odium, quo Judaei Paulum ea potissimum de causa persequerentur, quod palam doceret et gravitate summa contenderet, aditum ad regnum divinum Ethnicis pariter patere atque Judaeis. Quaecunque vero Judaei contra Apostolum suscipiebant, et calumniando, et libertati eius ipsique vitae insidiando, utique eo spectabant, ut, quae ei maxime curae cordique esset, evangelii praedicatio impediretur. Nec verba v. 16. *ἔφθασε*

δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος: ***citius opinione eorum attigit ipsos poena divina, ad finem usque duratura, sive: ad internecionem*** (miseriam summam) ***valitura***, argumento inserviunt, Paulo hanc epistolam exarante Judaeos immergi iam coepisse calamitatibus, quae Hierosolymis totique civitati instarent, ex bello contra Romanos oriundis. Poterat quippe aoristus ἔφθασε, dudum ante initium belli Judaici, de poena huius populi duplici modo adhiberi, vel, quatenus iis decreto divino *certo* constituta erat et *prope* instabat devastatio urbis ac civitatis (quemadmodum *Io.* ev. 15, 6. dicitur ἐβλήθη ἔξω: eiusmodi homo tanquam eiectus habendus est decreto divino), vel, quatenus illa ipsa, verbis antecedentibus descripta, perversitas summa, qua Judaei animum magis obduraverant, doctrina Jesu salutari repudianda, ad poenam divinam referebatur (cfr. *Matth.* 13, 12. sqq. *Romm.* 1, 24). De loco *I. Thessall.* 4, 13. quem Koehlerus ad Christianos Thessall., qui tempore persecutionis Neronianae martyrium subierint, respicere existimat, supra diximus in examinanda Schraderi sententia. Cogitatio mortis *violentae* nec participio κεκοιμημένων per se spectato inhaeret (quanquam concedimus, etiam de martyrio usurpari *potuisse*), nec phrasi νεκροὶ ἐν χριστῷ. *d*) Epistolam I. ad Thess. a consignatione posterioris epist. eiusmodi temporis intervallo seiungendam esse, quo Paulus iterum Thessalonicae fuerit, et Christianos hujus ecclesiae de quaestione, quo tempore παρουσία Christi futura sit, recte aestumanda edocuerit, Koehlerus ex *II. Thessall.* 2, 5. colligit: οὐ μνημονεύετε, ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν; itemque verba *I. Thessall.* 5, 1. περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν, ἀδελφοὶ, οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι, hoc sensu dicta existimat, Apostolum, dum epistolam I. exararet, omnino *nondum* habuisse, quod Christianos illos de tempore reditus Christi edoceret (quum hanc in rem curiosius inquirere nondum coepissent). Verum enim-

vero, quod effatum posterius attinet, verba v. 2. *αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε, ὅτι ἡ ἡμέρα Κυρίου, ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ, οὕτως ἔρχεται*, docent, opinor, Apostolum v. 1. hoc sibi voluisse: de tempore reditus Christi *iam accepistis*, quae ad pietatem Christianam sufficiant, ita ut supervacaneum videatur, litteris hac de re fusius exponere (*οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι*, cfr. c. 1, v. 8. *ὥστε μὴ χρείαν ἡμᾶς ἔχειν λαλεῖν τι*, ubi eadem phrasis de re aliunde satis cognita usurpatur). Nihilque impedit, quo minus vbb. *II. Thessall.* 2, 5. *ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς* de eodem tempore interpretemur, quo Thessalonicenses, praeeunte Paulo, ad sacra Christiana transierant. Quum Christiani recens instituti paulo post vel *iusto cupidius* vel *anxie et sollicite* exspectare coepissent *παρουσίαν* Domini, Apostolus consultissimum putabat, ut eos probe perpendere, et persuasione firma amplecti iuberet, quae ore docuisset. *e*) Quae Ep. II. ad *Thessal.* 2, 7. de *κατέχοντι* dicuntur (de eo, qui improbitatem summam in occulto iam serpentem etiamnum cohibeat) Koehlerus p. 120. sqq. de Imperatore Galba interpretatur, quemadmodum *τὸ κατέχον* v. 6. (quod Antichristum impediat, quo minus citius palam prodeat, quam tempore ei constituto) imperium Romanum innuere existimat, inter tumultus horrendos in decem regna dispergendum (praeeunte *Daniele* c. 7, v. 7. 8. 23—25.), priusquam Antichristus *efficac*itatem suam palam exserere coeperit. Quum Galba (quo mortuo demum imperium Romanum interiturum, posthac Anti-Christum appariturum esse Apostolus, e sententia Koehleri, exspectavit) anno post C. N. 68. Neroni successerit, anno sequente interfectus fuerit, colligitur inde, epistolam II. ad Thess. anno 68. exaratam esse. His ingeniose disputatis universe opponimus, illius loci Paulini, ubi de *κατέχοντι τὸν Ἀντίχριστον* sermo est, tam ambiguam esse interpretationem (cfr. v. c. de sententiis diversissimis Peltii commentar. in epp. ad Thess. nuperrime editus in

excursu p. 185. sqq.), ut ex eiusmodi verbis explicationem diversam admittentibus indicia temporis, quo epistola consignata fuerit, parum certa eruantur. Immo de ipso Danielis loco laud. ambigitur inter viros scripturae sacrae peritos, utrum regnum Romanum, an Macedonicum innuatur. Deinde, si Paulus utramque epistolam *post* captivitatem Romanam scripsisse existimetur, intelligi vix poterit, quomodo factum sit, ut neque captivitatis, nec libertatis impetratae mentionem ullam iniiceret. Denique, quod Koehlerus epistolam II. ad annum 68 refert, prorsus contradicit sententiae iis etiam probatae, qui captivitatem Pauli Romanam duplicem distinguunt, nec testimoniis destitutae, Apostolum a. 67. certe 68. martyrium subiisse. Sed Koehlerus omnino non acquiescit in duplici illa captivitate Pauli Romana. Certum existimat, Apostolum *ter* vincula sustinuisse Romana, *ter* liberatum esse, immo quartam coniicit captivitatem Rom. accidisse sub finem vitae Apostoli, p. 151. 163. Attamen non huius est loci ac temporis, hanc prorsus novam fatorum et epistolarum Pauli historiam, non sine multa quidem lectione, et assiduitate, ingenii acumine adiuvante, contextam, sed multis etiam coniecturis et interpretationibus singulorum locorum arbitrariis superstructam, examini subiicere.

§. 6.

De *authentia* epistolae *prioris* nunquam dubitatum est. Quaecunque enim his litteris continentur, et ingenio Pauli aliunde cognito, et testimoniis Actorum App. ad fata Apostoli eiusque res gestas spectantibus prorsus conveniunt. Et, quanquam vestigia huius epistolae, quae plures apud *Clementem Romanum* ep. I. ad Corinth. c. 38. *Ignatium* ad Polycarp. c. I. *Polycarpum* ad Philipp. c. 2. c. 4. deprehendisse sibi videntur, ambigua dixerim; testimonia tamen originis eius Paulinae luculentissima exhibuerunt (ut seriores

permultos taceamus) *Irenaeus* contra haerr. l. 5. c. 6. §. 1. *Clemens Alex.* paedag. l. 1. p. 89. A. ed. Sylb. *Tertull.* de resurr. carnis c. 24. *Origenes* contra Celsum l. 2, p. 437. l. 3, p. 458. T. I. ed. Benedict. comment. in Matth. p. 489. in Origenis exegeticis ed. Huetius. Itemque, quod *posteriorem* attinet, non prorsus certa quidem ac definita sunt, quae apud *Polycarpum* ep. ad Philipp. c. 11. ex. et *Justinum Mart.* dial. cum Tryphone ed. Colon. p. 336. ad verba huius ep. respicere videantur. *Irenaeus* vero contra haerr. l. 3. c. 7. §. 2. *Clemens Alex.* stromm. l. 5. p. 554. ed. Sylb. *Tertull.* de resurrectione carnis c. 24. (praeter alios multos seriores) originis eius Paulinae testes exstant gravissimi. Nec *Marcionis* Gnostici canoni utraque defuit epistola, vd. Epiphanius haer. XLII. *Tertull.* contra Marc. l. 5. Comprobari insuper posterioris ep. authentiam et sententiarum et elocutionis indole prorsus Paulina, hucusque omnes agnoverunt, praeter Christ. Schmidtium: *Bibliothek für Kritik, Exegese und Kirchengeschichte* Vol. II. p. 380. sqq. *Einleit. in das N. T.* ed. II. Vol. II. p. 256. [s]). Cuius argumenta nuperrime accuratius examinata sunt, ita ut mihi quoque persuaderetur, ne illius quidem sectionis, quae C. II. v. 1 — 12. continetur, nedum totius epistolae authentiam recte in dubium vocari. De singulis breviter disseramus. *a*) Adversarius eruditus in iis offendit, quae ep. II. c. 2. v. 1. 2. 3. obveniunt: rogo vos, fratres, ne patiamini vos cito deiici persuasione recta, aut desiderio anxio perturbari, neque per eos, qui adflatum divinum mentiuntur (prophetas mendaces), neque per sermonem aut epistolam tanquam a me profectam, *quasi proxime immineat dies Domini.*

s) Quanquam Vener. De Wette has dubitationes ratione haud destitutas esse profitetur, tolli tamen omnino posse concedit, iisque praevalere argumenta interna, quae Paulum prodant auctorem, cfr. *Lehrbuch der historisch-krit. Einleit. in das N. T.* ed. II. p. 231.

Haec enim prorsus repugnare existimat locis epistolae I. c. 4. v. 13. sqq. c. 5. in., ubi Apostolus *παρουσίαν* Servatoris tanquam eventum *haud ita procul remotum* nuntiavit. Quodsi vera esset horum locorum repugnantia, sequeretur omnino (quum *prior* quidem epistola nihil contineat, quod originem eius Paulinam suspectam reddere possit, immo in ipsa hac descriptione reditus Jesu Christi futuri ceteris Pauli epistolis plane consentiat), fraudatorem quendam vel totam hanc epistolam posteriorem Apostolo supposuisse, vel locum laudatum C. II, v. 1—12. inseruisse, et illa potissimum verba v. 2.: *neque per sermonem aut epistolam tanquam a me profectam* etc. usurpasse[9]), quo Christianis persuaderet, priorem illam (vere Paulinam) pro spuria esse habendam. Negamus vero, utramque epistolam alteri contradicere. Optabat quidem Apostolus, quod coetus Christiani antiquissimi magnopere optabant, ut Christus *mox* appareret, iudicio sollemni veros ipsius cultores malis omnibus erepturus, et felicitate regni divini aeterna ornaturus; videmusque eum pluribus locis in cogitatione huius reditus Jesu Christi *forsitan prope instantis* (ipso Paulo adhuc in vita superstite eventuri) lubenter animum defigentem. Cfr. *I. Corinth.* 15, 52. *καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι, καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα.* coll. c. 7, v. 29. sqq. Desiderabat interdum *eiusmodi* transitum ex hac terrestri vita in sedes beatorum, qui fieri posset *absque*

9) Aliter quidem verba *II. Thess. 2, 2. μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν* Koehlerus in libro §. antec. laud. p. 192. intellexit, Apostolum hoc sibi voluisse existimans: si quis, *παρουσίαν* Domini proxime iam adesse probaturus, *ad meos ipsius* (Pauli) *sermones* provocaverit, *measque epistolas* (I. Thess. c. 4, v. 13. sqq. c. 5. in.), teneatis, velim, me utique docuisse, fieri posse, ut Domini adventus finem illius temporis apud prophetam (Danielem) constituti antevertat, sed etiam addidisse, Anti-Christum appariturum esse, priusquam Dominus venerit. Calculum huic interpretationi adiicerem, nisi illud *ὡς δι' ἡμῶν* (*γεγραμμένης*) manifesto epistolam a Paulo non vere scriptam innueret.

dira moriendi necessitate (*II. Corr.* 5, 4.), corpore terrestri non exuendo, sed subito immutando, quam sortem iucundam eorum fore dixit (*I. Corr.* 15, 52. *I. Thessall.* 4, 17.), qui superstites essent futuri Christo veniente. Quum vero Servator divinus ipse palam professus fuisset, *tempus* huic *παρουσίᾳ* divinitus destinatum nec hominibus, nec angelis, nec sibi, hominis filio in terra versanti, sed soli Deo omniscio cognitum esse, *Matth.* 24, 36. 42. 44. 50. 25, 13. *Marci* 13, 33. 35. *Luc.* 12, 36. sqq.[10]) itemque aliquoties innuisset, hunc reditum *serius* eventurum, quam multi essent exspectaturi, *Matth.* 24, 48. 25, 5. 19., nec Paulus, nec alius Apostolorum vel curiosius annum, diem, horam huius eventi indagavit, vel unquam *certo* exspectavit, se in terra superstitem fore ad reditum usque Servatoris. Alia quippe effata docent, eundem Apostolum etiam de *morte*, forsitan propius sibi instante, saepenumero cogitasse, ad se quoque transferrem, quod aliis omnibus ante *παρουσίαν* morituris nuntiasset, de Christo mortuos in vitam revocaturo. *I. Corinthh.* 6, 14. *II. Corr.* 4, 14. 5, 1. *Philipp.* 1, 21. sqq. 3, 10. 11. al. Similiter in ep. *I. Thessall.* quanquam c. 4. v. 15. 17. persona prima plurali usus est: *ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου*, maluitque, illo certe tempore, hanc *παρουσίαν* haud ita longe remotam cogitare, quam olim demum magna saeculorum serie elapsa eventuram, minime tamen his verbis reditum Christi *proxime iam instare* docuit, sed c. 5. v. 1. sqq. in eo acquievit, ut simpliciter adfirmaret, Dominum aliquando subito et improviso esse venturum, nullo temporis termino addito. Videmus Apostolum ubique ea potissimum docendo illustrantem, quae desideriis Christianorum sibi cognitis illico satisfacerent. Ita, quum plures Chri-

10) Cfr. de his locis observata in commentario meo in eos Jesu Chr. sermones, qui de reditu eius ad iudicium futuro, et iudicandi provincia ipsi demandata agunt, Jenae, 1820. 8.

Haec enim prorsus repugnare existimat locis epistc lae I. c. 4. v. 13. sqq. c. 5. in., ubi Apostolus *παρου σίαν* Servatoris tanquam eventum *haud ita procul re motum* nuntiavit. Quodsi vera esset horum locorui repugnantia, sequeretur omnino (quum *prior* quide epistola nihil contineat, quod originem eius Paulina suspectam reddere possit, immo in ipsa hac descri tione reditus Jesu Christi futuri ceteris Pauli epist lis plane consentiat), fraudatorem quendam vel tota hanc epistolam posteriorem Apostolo supposuisse, v locum laudatum C. II, v. 1—12. inseruisse, et illa p tissimum verba v. 2.: *neque per sermonem aut ep stolam tanquam a me profectam* etc. usurpasse[9]), qu Christianis persuaderet, priorem illam (vere Paulina pro spuria esse habendam. Negamus vero, utramqu epistolam alteri contradicere. Optabat quidem Ap stolus, quod coetus Christiani antiquissimi magnope optabant, ut Christus *mox* appareret, iudicio sollem veros ipsius cultores malis omnibus erepturus, et fel citate regni divini aeterna ornaturus; videmusque eu pluribus locis in cogitatione huius reditus Jesu Chris *forsitan prope instantis* (ipso Paulo adhuc in vita s perstite eventuri) lubenter animum defigentem. Cf *I. Corinth.* 15, 52. *καὶ οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθα τοι, καὶ ἡμεῖς ἀλλαγησόμεθα.* coll. c. 7, v. 29. sq Desiderabat interdum *eiusmodi* transitum ex hac te restri vita in sedes beatorum, qui fieri posset *absq*

9) Aliter quidem verba *II. Thess. 2, 2. μήτε δι' ἐπιστολῆς δι' ἡμῶν* Koehlerus in libro §. antec. laud. p. 192. intelle Apostolum hoc sibi voluisse existimans: si quis, *παρουσίαν* Dom proxime iam adesse probaturus, *ad meos ipsius* (Pauli) *sermon* provocaverit, *measque epistolas* (I. Thess. c. 4, v. 13. sqq. c. 5. in teneatis, velim, me utique docuisse, fieri posse, ut Domini adve tus finem illius temporis apud prophetam (Danielem) constituti a tevertat, sed etiam addidisse, Anti-Christum appariturum es priusquam Dominus venerit. Calculum huic interpretationi adiic rem, nisi illud *ὡς δι' ἡμῶν (γεγραμμένης)* manifesto epistolam Paulo non vere scriptam innueret.

holdt christologia Judaeorum Jesu Apostolorumque aetate, p. 69. sqq.). Constat, Apostolum et placitorum et formularum Christologiae Judaicae usum lubenter fecisse, suae evangelii praedicationi accommodatum. Audimus eundem universe tempora praesagientem, quae propius instent, calamitosa *I. Corr.* 7, 26. *II. Timoth.* 3, 1. *hostesque Messiae* commemorantem, potestati eius aliquando subiiciendos *I. Corr.* 15, 25. sqq. Proinde, quamquam eiusmodi descriptio certi cuiusdam adversarii Messiae, et verae religionis, qualem locus *II. Thessall.* 2, 3. sqq. exhibet, in ceteris Pauli epistolis desideratur, nihil tamen inesse videmus, quod ab exspectationibus placitisque eum ceterorum Jesu legatorum, tum Pauli, alienum fuisse recte dicatur. Vd. Usteri *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs, Zürich*, ed. II. 1829. 8. p. 197. sqq. Nec mirum videri potest, quod Apostolus *semel* in hac epistola, Thessalonicensium opinionem de reditu Christi proxime iam instante emendaturus, *Ἀντίχριστον* illum delineaverit, quum alii coetus Christiani, quibuscum Paulo litterarum fuit commercium, non huic potissimum errori, *ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ* (*II. Thessall.* 2, 2.) indulgerent. *Thessalonicenses* prae ceteris edocendos putabat, non quosvis vulgares Dei virtutisque hostes, quales tum temporis iam adessent, sed *eiusmodi adversarium Christi, qualis hucusque nondum prodiisset*, documento adventus Christi proxime instantis inservituros esse. *c*) Locus ep. *II. Thessall.* c. 3. v. 17.: *salutationem ego Paulus mea manu subscribo, quod signum est in quavis epistola mea* (non supposititia), *sic scribere soleo*, aliam peperit de authentia huius epistolae dubitandi rationem, hac usam argumentatione: „alia Pauli epistola nulla lectoribus eiusmodi signum „indicavit, cuius ope originem eius cognoscerent apo„stolicam; sed ille Pseudo-Paulus hoc artificium usur„pavit, quo facilius lectoribus persuaderet, priorem „epistolam ad Thessall. datam, hoc signo destitutam, „non esse Paulinam.“ Concedimus Paulum hoc uno

stiani Thessalonicenses, quae Paulus in ep. I. de παρουσίᾳ Christi certo exspectanda professus fuerat (haud obscure innuens, hunc reditum sibi haud ita longe remotum videri), perperam interpretati essent, quum de die in diem Christum *statim* appariturum existimarent, huiusque exspectationis abusum facerent, et verae animi tranquillitati et moribus pernitiosum, *huic errori* opposuit Paulus, quae epistola posterior c. II, 1 — 12. continet. Perpendamus insuper, Apostolum, quo tempore has litteras exararet, nondum fuisse aetate provectiorem, ideoque, etsi interdum animum spe grata deliniret, forsitan ipsum, veniente Christo, adhuc in terra fore superstitem, de eadem tamen παρουσίᾳ absque ulla sententiarum repugnantia dicere potuisse, errare eos, qui diem Domini *proxime iam instare* affirmaverint. *b*) Offendit porro V. Schmidt in doctrina de Anti-Christo prodituro (ep. II. c. 2. v. 3. sqq.), maluitque hanc descriptionem ingenio Montanistae cuiusdam, quam Apostoli vindicari. Verum, quod Montanistas attinet, eorumque amicos, neque huic potissimum loco Paulino notionem Anti-Christi superstruxerunt, neque omnino haec doctrina Montanistarum fuit *propria*. Cfr. Christ. Heydenreich *über 2. Thess. 2, 1 — 12. im neuen kritischen Journal der theologischen Litter. von Winer und Engelhardt*, 8. *B. 2. St.* 1828. p. 135. sqq. Quae loco Paulino de homine quodam scelesto et fastuoso dicuntur, Christi adversario, ita palam prodituro, ut supra ipsum Deum verum sese efferat, hominesque et potenter factis prodigiisque fallacibus, et quovis alio fraudis genere a religione et virtute vera avertere studeat, ipsius vero Christi παρουσίᾳ prorsus conficiendo perdendoque, iis apparent similia, quae Joannes aliquoties (I. ep. 2, 18. 22. 4, 3. II. ep. v. 7.) de ἀντιχρίστῳ habet, quae apocalypsis c. 12. c. 13. c. 17, v. 14. sqq. al. de adversariis nuntiat contra Messiam pugnaturis, quae Judaei seriores de certaminibus Messiae futuris perhibent, (vd. Bert-

holdt christologia Judaeorum Jesu Apostolorumque aetate, p. 69. sqq.). Constat, Apostolum et placitorum et formularum Christologiae Judaicae usum lubenter fecisse, suae evangelii praedicationi accommodatum. Audimus eundem universe tempora praesagientem, quae propius instent, calamitosa *I. Corr.* 7, 26. *II. Timoth.* 3, 1. *hostesque Messiae* commemorantem, potestati eius aliquando subiiciendos *I. Corr.* 15, 25. sqq. Proinde, quamquam eiusmodi descriptio certi cuiusdam adversarii Messiae, et verae religionis, qualem locus *II. Thessall.* 2, 3. sqq. exhibet, in ceteris Pauli epistolis desideratur, nihil tamen inesse videmus, quod ab exspectationibus placitisque cum ceterorum Jesu legatorum, tum Pauli, alienum fuisse recte dicatur. [illegible] *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs*, Zürich, ed. II. 1829. 8. p. 197 [illegible] quod Apostolus [illegible] sium opinionem de redux [illegible] emendaturus, [illegible] coetus Christiani, [illegible] commercium, [illegible] [illegible] gerent. *Thessalonicenses* [illegible] bat, non quoovis vulgares [illegible] les tum temporis [illegible] rium Christi, [illegible] cumento adventus Christi [illegible] rum esse. c) Locus [illegible] *salutationem ego Paulus* [illegible] *signum est in quamvis epistola* [illegible] *sic scribere soleo*. [illegible] epistolae dubitandi [illegible] „alia Pauli epistola [illegible] „indicavit, cuius [illegible] „stolicam; sed ille [illegible] „pavit, quo faciliu[illegible] „epistolam ad Thessal. [illegible] „non esse Paulinam." [illegible]

loco salutationem *sua* manu scriptam (reliqua tota epistola per scribam, cui Paulus more suo verba singula dictasset, exarata) diserte tanquam documentum epistolae ab ipso vere profectae lectoribus proposuisse. Attamen haud obscure etiam lectores epistolae *I. Corinthh.* 16, 21. et ep. ad *Coloss.* 4, 18. ad eandem rem his paucis: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου attentos reddidit. Quo tempore *prima vice* ad Thessalonicenses litteras dedit, nondum habebat, quod de eiusmodi signo cogitaret, quum nondum evenisset (quod paulo post accidisse, ex *II. Thessall.* 2, 2. intelligimus),[11]) ut epistola, quae nomen Pauli mentita fuisset, in coetu Christiano circumferretur. Nec probat locus laudatus (3, 17.) Apostolum veluti officium sibi iniunxisse, in posterum *cuivis epistolae*, sive Thessalonicensibus, sive aliis coetibus, singulisve hominibus scriberetur, eiusmodi formulam: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου adiiciendi. Non dicit l. l. pro epistola ipsi supposita esse habendam, quaecunque hoc signo caruerit, sed, usum huius signi, quoties usurpetur, authentiae scripti confirmandae inserviturum esse. Saepiusque accidit, ut eiusmodi verbis subiiciendis omnino non opus esse putaret. Etenim (ut taceamus, aliquoties epistolam *totam* ab ipso Paulo exaratam esse, ad *Galatas* 6, 11.) plerique scriptorum Paulinorum lectores ex ipso scribendi docendique genere, singulisque effatis auctorem agnoscere poterant. Accedebat, quod testimonia eorum, qui hanc illamve epistolam coetui Christiano, cui destinata fuerat, adferebant, haud raro sufficerent ad originem eius apostolicam certo declarandam. Nolim denique ex eo, quod *formula* illa: salutationem ego Paulus mea manu subscripsi, praeter epist. II. Thessall. tantummodo in I. Corinthh. et ep. ad Coloss. data

11) Nisi malueris, quae *II. Thess. 2, 2. 3, 17.* leguntur, eo referre, quod Apostolus *metuerit*, fore, ut eiusmodi fraudes committerentur, etsi hucusque, tale quid factum esse, nondum comperisset. Cfr. Reiche authentiae posterioris ad Thess. epistolae vindiciae, Gottingae, 1829. 4. p. 9 sqq.

occurrit, certo colligere, Apostolum in ceteris omnibus epistolis per scribam consignatis nullam partem earum, quae sub finem leguntur, salutationum manu sua exarasse, etsi hoc non ubique formula sollemni indicaverit. [12]) *d*) Ceterum neque in similitudine offendimus locorum *I. Thessall.* 1, 2. sqq. *II. Thessall.* 1, 3. sqq., quae similitudo in eo tantum versatur, ut Paulus utroque loco Deo gratias agat pro illa et persuasionis et amoris Christiani constantia, quam Thessalonicenses hucusque praestiterint (quod quam lubenter Apostolus fecerit, exempla docent epistolae ad Romanos, I. ad Corinthios, ad Philippenses, ad Colossenses C. I.); neque propterea suspectam habere possumus epistolam posteriorem, quod effata desiderentur, quae ad vitam, res gestas, labores Pauli, eiusque cum hac ecclesia necessitudinem respiciant. Talia enim profecto obveniunt ep. II. c. 2, v. 2. 5. 15. c. 3, v. 2. v. 6—11. Quis plura desideret in epistola breviori, elapsis forsan paucis mensibus priorem subsequuta? Prorsus Paulina est et elocutionis universe spectatae et vocum singularum formularumque indoles (cuius rei exemplum prae ceteris observandum laudasse sufficiat phrasin C. II. v. 2. obviam ὡς ὅτι, praeter hunc locum bis tantum in N. F. apud eundem Paulum usurpatam, *II. Corinthh.* 5, 19. 11, 21.). Sententiae omnes atque praecepta prorsus conveniunt ei religionis morumque institutioni, quam scripta Paulina exprimunt. Quae Ep. II. c. 2, v. 1. habet (καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτὸν) manifesto respiciunt ad Ep. I, c. 4, v. 17. Itemque verba Ep. II. c. 2, v. 13. ita apparent versui 12. *opposita*, ut facile pateat, totam illam, quae nonnullis suspecta fuerit, sectionem Ep. II, c. 2. v. 1—12. quemadmodum Capiti I. probe cohaereat, ita etiam cum reliqua parte Capitis II. nexu firmissimo esse con-

12) De ipsa quidem *priori* ad Thessall. epistola non ausim certius definire, utrum Apostolus eam vel integram vel maximam partem per scribam exaraverit (vd. Reiche in comment. nota 11. laud. p. 13.), an manu sua consignaverit.

iunctam. Cfr. de authentia et integritate epistolae: Bertholdt *Einleitung in die Schriften des A. und N. T. Vol. VI. p.* 3482 sqq. Heydenreich comment. supra laud. Usteri *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffs* loco supra laud. Guericke *Beyträge zur historisch-krit. Einleitung in das N. T. Halle*, 1828. 8. p. 92. sqq. Ewald in diario: *Berliner Jahrbücher etc.* a. 1827. N. 167. 199. Censor isagoges De Wettii in N. T. *Hallische allgem. Litteraturz. August* 1828. N. 188. Reiche comment. supra nota 11. laud. Pelt prolegg. commentarii in has epp. p. XXVI. sqq. Hemsen in l. §. 1. laud. *der Apostel Paulus etc.* p. 177. sqq.

§. 7.

Inter doctores ecclesiae *graecae* antiquiores has epistolas una cum aliis illustrant: Chrysostomus (Saec. IV.) in Opp. omnibus editis opera et studio Bernardi de *Montfaucon*, T. XI. Paris. 1734. fol. Theodoretus (Saec. V.) in Opp. ex recensione *Sirmondi* denuo ed. *A. Noesselt* T. III. Halis Sax. 1771. 8. (Hos principes dixerim inter graecos epistolarum interpretes.) Euthalii (Saec. V.) Actuum App. et quatuordecim Pauli aliarumque septem catholicarum epp. editio inserta libro: collectanea monumentorum vett. ecclesiae gr. et lat. T. I. ed. *Zacagnius*, Romae, 1698, 4. (usum magis criticum praestat, quam exegeticum.) Joannes Damascenus (Saec. VIII.), cuius scholia exstant in eius Opp. ed. le *Quien* T. II. Paris. 1712. fol. Oecumenius (Saec. X.) in l. *ὑπομνήματα εἰς τὴν νεὰν διαθήκην*, Pars II. Lutet. Pariss. apud Morellum, 1631. fol. Theophylactus (Saec. XII.) in Opp. omnibus T. II. Venet. 1755. fol. Qui quidem tres posteriores praesertim colligendis antiquiorum observationibus operam dederunt, quanquam etiam de suis quaedam addiderunt. Inter *latinos:* Ambrosiaster (Hilarius Saec. IV.) cuius commentarius in epp. Pauli, ceteris, qui inter latinos exstiterunt, inter-

pretibus praeferendus leg. in *Ambrosii* Opp. T. V. *Basil.* 1567. fol. (ed. *Bened.* 1686. 1690. II. Voll. fol.) Pelagius (Saec. V.) cuius scholia exstant in Opp. *Hieronymi* (ed. Martianaei T. V. Vallarsii T. XI.) et Augustini (ed. Bened. T. XI.), Beda Venerabilis in Opp. ed. Basil. 1563. Vol. VI. (quanquam etiamnum dubitatur, an ipse fuerit auctor earum, quae h. l. obveniunt, expositionum), Atto Vercellensis (Saec. X.) in Opp. ed. a *Burontio del Signore*, Vercellis, 1768. 2. Voll. fol. Omissis aliis, ex aevo medio Nicolaum Lyranum (Saec. XIV.) nuncupamus (cfr. eius postillae Norimb. 1482. et saepius editae) et Laurentium Vallam (cuius observationes in Criticis sacris Londinensibus legantur, Lond. 1660. fol.). Uterque enim ceteris illorum temporum interpretibus multum praestitit. Ex commentariis *saeculo emendationis sacrorum* editis praesertim commemorandi: Epistolae Pauli Ap. ex commentario praeclarissimi viri Jacobi Fabri Stapulensis, Paris. 1512. fol. Zwinglii opera exegetica, Tigur. 1581. fol. Calvini commentarii in epp. Pauli in Opp. Vol. VII. Amstelod. 1567. fol. ed. recentior Vol. I. Halis Sax. 1831. Vol. II. (epp. ad Thess. una cum aliis continens) 1831. 8. Musculi comment. in epp. P. ad Philipp. Coloss. Thessall. et I. Timoth. 1565. Piscator analysis logica epistolarum Pauli, ed. II. Sigen. Nassov. 1596. 8. Tarnov comment. in epp. ad Ephh. Philipp. Coloss. Thessall. Lips. 1636. Ex *serioribus*: Conr. Vorst comment. in omnes Pauli epp. Amstelod. et Haderv. 1631. Balduini comm. in omnes Pauli epp. Francof. 1710. ed. VII. Quistorp comm. in epp. Pauli, Rostoch. 1652. Chemnitii comment. in omnes Pauli epp. Jenae, 1667. Poli *synopsis* criticorum aliorumque sacrae scripturae interpretum, Vol. V. Francof. ad Moenum, 1694. *Criticorum sacrorum* (Amstelod. 1698. IX. Voll., itemque Francof. ad Moenum, 1697. VII. Voll. cum duobus Voluumn. supplementorum, 1700. 1701.) *tomus septimus*. Sebast. Schmid comm. in epp. P. ad Romn. Gal. Col. etc. Hamburgi, 1704. 4. Calixti expositio litteralis in de-

cem priores Pauli epp. cura *L. Reinhardi*, Jenae, 1731. 4. Christoph. Wolf curae philol. et crit. in decem posteriores Pauli epp. Basil. 1741. J.D. Michaelis Paraphr. und Anmerkk. über Pauli Briefe an die Gal. Ephh. u.s.w. Göttingen, 1750. 4. Benson *paraphrast. Erklärung und Anmerkungen über einige Bücher des N. T. 1. Band aus dem Englischen übers. von Bamberger, Leipzig*, 1761. Baumgarten *Auslegung der Briefe Pauli an die Galater, Ephh. Phil. Col. Philemon und Thess. mit Beyträgen von Semmler, Halle*, 1767. Zachariae *paraphr. Erklär. der Briefe Pauli an die Gal. Ephh. Phil. Col. und Thess. Göttingen*, 1788. E. Bengel *erklärende Umschreibung der vierzehn Briefe des Paulus, Tübingen*, 1787. 8. Ge. Rosenmüller scholia in N. T. T. IV. Norimb. 1793. 8. ed. VI. 1830. *Die neutestamentlichen Briefe übers. mit Anmerkungen von* Bolten, 2. *Theil, Altona*, 1801. 8. Novum Testam. graece perpetua adnot. illustr. a Koppe, Vol. VI. ed. III. cur. Chr. Tychsen, Gottingae, 1823. Frieder. Flatt *Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Phil. Col. Thessall. und Philemon, herausg. von Kling, Tübing.* 1829. Die vierzehn Briefe des Ap. Paulus übers. erkl. und in einer historisch-krit. Einl. erläut. von D. Augustin Scholz, Frankf. a. M. 1830. (sive: die heil. Schrift des N. T. übers. erkl. u. s. w. 3. Band) 8. mai. Praeterea *in has epistolas separatim* commentatus est Turretin (comment. in epp. Pauli ad Thess. Basil. 1739. 8), itemque, ep. ad Philipp. addita, W. Krause: *die Briefe an die Phill. und Thess. übers. mit Anmerk. Frankfurt a. M.* 1790. Recentissime vero Ludov. Pelt: *epistolas P. ad Thess. perpetuo illustravit commentario*, Gryphiswaldiae, 1830. (ubi in prolegg. p. XXXV. sqq. index uberrimus omnium harum epp. interpretum exhibetur.) Operam interpreti praecipue utilem praestant inter recentiores scripta Wolfii, Bensoni, Baumgartenii, Turretini, Zachariae, Koppii, Krausii, Flattii, Peltii, modo laudata. Ceterum effata permulta epistolae I. interpretatus est Burgerhoudt in specimine §. 1. laud.

ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ
Η ΠΡΟΣ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΙΣ
ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΡΩΤΗ.

Caput I.

V. 1. *Παῦλος καὶ Σιλουανὸς καὶ Τιμόθεος τῇ ἐκκλησίᾳ θεσσαλονικέων ἐν θεῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ· χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Salutem Paulus Christianis Thessalonicensibus ita dicit, more consueto, ut eandem nomine sociorum enuntiet, tum temporis apud Apostolum Corinthi versantium, qui Thessalonicensibus probe innotuissent, de ecclesia illa stabilienda et confirmanda egregie meriti (vd. prolegomena §. 1.). Σιλουανὸς formam esse Romanis usitatiorem eiusdem nominis proprii, cuius forma graeca brevior Σίλας in Actis App. usurpatur, comparatio docet locorum *Actt. 16, 19.* sqq. *I. Thessall. 2, 1. 2.* (coll. 1, 1). *Actt. 18, 5. II. Corinth. I, 19.* Judaeo-Christianus fuit *Actt. 16, 19. 20.* inter primos eorum, qui Hierosolymis Christo nomen dederunt, ab ecclesia Hierosolymitana una cum Paulo, Barnaba, Juda Barsaba Antiochiam legatus *Actt. 15, 22.* sqq. in Syria, Asia minori, Graecia aliquamdiu Pauli itinerum laborumque socius *Actt. 15, 40.* sq. c. 16. c. 17. c. 18. Quam insignis fuerit religione, fide, docendi dexteritate, auctoritate, et narrationes demonstrant in Actis App. obviae, et testimonia honorifica *Actt. 15, 22. II. Corr. 1, 19. I. Petri 5, 12.* *Timotheum* ex Lycaonia oriundum, patre Graeco natum, matre Judaea posthac Christum professa, Paulus illo tempore *novitium* habebat laboris

socium, *Actt. 16, 1.* sqq. Unde factum, ut nomen Silvani, aetate provectioris, qui diutius Apostolo se comitem adiunxisset, atque in Thessalonicensibus potissimum edocendis et convertendis una cum Paulo partes gessisset primarias (vd. prolegg. §. 1.), in hac salutatione locum teneret priorem (cfr. *Actt. 17, 14* sq. *18, 5. II. Corr. 1, 19. II. Thessall. 1, 1.*). Timotheum accuratius cognoscemus ex comment. in epp. pastorales. Qua de causa Paulus nomini suo h. l. noluerit praedicatum addere ἀπόστολος, eo minus videtur subtiliter investigandum, quo luculentius effata ep. ad *Philipp. 1, 1.* ad *Philem. v. 1.* docent, Paulum non ubique, tanquam legem certam, hunc tenuisse morem, in salutatione sollenni provinciam suam commemorandi apostolicam. Ἐκκλησίᾳ θεσσαλονικέων coniungi solent vbb. ἐν θεῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ etc. (*suppl.* οὔσῃ): coetui sacro, Deo patri et Domino J. Chr. addicto s. coniuncto. Vd. *Romm. 16, 11.* τοὺς ὄντας ἐν κυρίῳ. *Coloss. 1, 2.* ἐν χριστῷ (οὖσιν.) Quicunque Deo s. Christo animo sint coniuncti (cogitatione, voluntate, amore intimo), eos dici εἶναι ἐν θεῷ s. χριστῷ, res notissima. *Jo. ev. 10, 38. 14, 10. 17. I. ep. Jo. 2, 5.* Sed huic interpretationi utique obstat, quod Apostolus, si hoc sensu diceret: ἐν θεῷ πατρὶ etc, vix omissurus fuisset post θεσσαλονικέων repetitionem articuli τῇ, vd. *I. Corr. 1, 2. II. Corr. 1, 1. I. Thess. 2, 1. 14.* Malim cum *Censore* doct. commentarii *Pelt.* Hallische Litter. Zeit. N. 82. 1831. haec: ἐν θεῷ πατρὶ etc. ad verba referre ante: χάρις ὑμῖν etc. *supplenda*: χαίρειν λέγουσιν, cuius loquendi brevitatis exempla saepissime in N. F. (v. c. *Romm. 1, 1. 7. I. Corr. 1, 1. 2. II. Corr. 1, 1. Gal. 1, 1. 2.*) *interdum* etiam apud profanos (*Lucian.* conviv. c. 22.) obveniunt: Paulus, Silvanus, Timotheus ecclesiae Thessalonicensi, *nomine s. auctoritate Dei Patris et Domini Jesu Chr. haec fausta precantur.* Simil. ἐν χριστῷ *II. Corr. 2, 17. 12, 19.* al. Sequitur ipsa precationis faustae formula: χάρις ὑμῖν etc. gratia vobis contingat, et (quam gratia div. largitur) salus etc. Verba Paulo epistolas exordienti *ubique* usitata. Omissio huius formulae: ἀπὸ θεοῦ etc. quae in nonnullis codicibus (in quibus est Vaticanus), in versione Syr.

Peschito, Aethiopica, Armenica, Vulgata, apud Origenem, Chrysostomum, Theophylactum, Ambrosiastrum, Pelagium desideratur, tam aliena apparet a consuetudine Pauli, ut causam omissionis ex errore scribendi, cui verba praecedentia *ἐν θεῷ πατρὶ* etc. ansam praebuerint, repetere malim, quam cum nonnullis haec textui primitivo addita existimare ex II. Thessall. 1, 2. ceterarumve Pauli epistolarum initio. Neque cum Koppio dixerim, si verba: *ἀπὸ θεοῦ — χριστοῦ* omissa fuerint, commate s. semicolo post *θεσσαλονικέων* posito, verba: *ἐν θεῷ πατρὶ — καὶ εἰρήνη* hoc sensu commode iungi: *per* Deum patrem et Dominum Jesum Chr. gratia vobis et salus confingat. Nunquam enim sic dicitur: *χάρις ὑμῖν* (*ἔστω*) *ἐν θεῷ* etc. sed *ἀπὸ θεοῦ* etc.

Salute Christianis dicta, Apostolus pro iis, quae Deo juvante apud Thessalonicenses effecerit, gratias agit Numini Summo, laudatque et persuasionis alacritatem atque constantiam, quam Thessalonicenses hucusque praestiterint, et amoris assiduitatem.

V. 2—5. *Εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ πάντων ὑμῶν, μνείαν ὑμῶν ποιούμενοι ἐπὶ τῶν προσευχῶν ἡμῶν,* (v. 3.) *ἀδιαλείπτως μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν·* (v. 4.) *εἰδότες, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ θεοῦ, τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν,* (v. 5.) *ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ· καθὼς οἴδατε, οἷοι ἐγενήθημεν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς.*

Sollemnis est Paulo eiusmodi laudatio Christianorum, quae simul piam contineat professionem animi Deo, cuiusvis sapientiae, virtutis, salutis verae auctori, propter conditionem horum Christianorum laudabilem gratias agentis, *Roman. 1, 8. 9. Ephes. 1, 16. II. Timoth. 1, 3. II. Thessall. 1, 3. 2, 13. Philem. v. 4. εὐχαριστεῖν* i. q. gratias agere, *Actt. 27, 35. Ephh. 1, 16. al.* profanis quoque a Polybio inde hoc sensu usurpatum, vd. Koppe ad II. Thess. 1, 3. et Lobeck comment.

ad *Phrynichi* eclogas nominum et verborum attic. p. 18. In N. F. praeter nostrum locum *I. Corr. 1, 4. II. Thessall. 1, 3. 2, 13.* cum *περὶ τινός* ita struitur, ut causa gratiarum actionis indicetur (i. q. al. *ὑπὲρ τινός*). Cfr. *Diod. Sic. 16, 11.* Pluralis et h. l. et in plerisque eorum, quae c. I. II. sequuntur (vd. prolegg. §. 5.), ad Paulum pariter atque ad Silam et Tim. potest referri, quanquam demonstrari non potest, Apostolum, *quoties* persona I. plurali uteretur, de sociis cogitasse. Capite quippe II. v. 18. C. III. aliisque locis haud dubie semet ipsum *(solum)* intelligi voluit. Quod Apost. ab initio profitetur: gratias Deo vestrum omnium causa *quovis tempore* agimus, uberius explicat: *μνείαν ὑμῶν* etc. vos commemorantes in precibus nostris (inter precandum). Suspecta quidem est vocula *ὑμῶν* et h. l. in nonnullis quippe codd., in quibus sunt *Alexandrinus* et *Vatic.*, omissa, et loco simillimo *Ephess.* 1, 16., ubi praeter alios codd. *Alex. Vatic. Claremont. ὑμῶν* non exhibent, alii post *ποιούμενος* collocant. Quodsi cum Lachmanno (in ed. stereotypa N. T. Berol. 1831.) deleatur, in promptu tamen est, ex antecedd. cogitando esse supplendum. Admodum assidue precabantur Paulus et socii quovis tempore eiusmodi pietate adfecti, quae animum facile ad Numen Summum vel implorandum vel laudibus celebrandum attolleret. Sed, quoties precabantur, eorum quoque beneficiorum, quae Thessalonicensibus divinitus contigerant, recordati sunt. Ad sententiam illustrandam cfr. quae iisdem fere verbis dicc. *Ephess. 1, 16. Philipp. 1, 3. 4. Romm. 1, 9. 10.* De formula *μνείαν ποιεῖσθαι τινός* (profanis haud incognita) vd. *Wettsten.* ad l. l. ep. ad Romm. *ἐπὶ* seq. genitivo *προσευχῶν* (ut locis modo laudd.) eadem ratione, qua apud profanos interdum (v. c. *Diod. Sic. 4, 3. ἐπὶ τῶν δείπνων*), de rebus tempore iunctis adhibetur. Causam, quare inter preces pias memoriam Thessalonicensium assidue recolant, ipsis eorum virtutibus laude dignis inesse docet (v. 3.) *ἀδιαλείπτως μνημονεύοντες* etc.: perpetuo memores operis fidei vestrae (persuasionis), amoris, spei Christianae. *ἀδιαλείπτως*, quanquam sub finem enuntiationis c. 2, v. 13. collocatur, aptius tamen *hoc loco* sequentibus iungitur (commate ante *ἀδιαλ.* po-

sito), quam antecedentibus. Quum Paulus *universe* v. 2. (*πάντοτε μνείαν ὑμῶν* etc.) professus fuisset, se cum sociis Thessalonicensium *perpetuo* memorem esse, Deum laudibus celebrantem, nunc *accuratius* erat dicendum, *cuiusnam potissimum rei* in Thessalonicensibus laudandae *perpetuo* memor esset. Primum quidem *τοῦ ἔργου τῆς πίστεως*. *Πίστις* eodem sensu dic., quo saepenumero apud nostrum cum *ἀγάπη* (ad *Gal. 5, 6. Coloss. 1, 4.* al.) interdum etiam cum *ἐλπίδι* (*I. Corr. 13, 13.*) coniungitur, ut persuasionem certam, fiducine plenam, quae in vitam et facta transeat, de divina Jesu Christi filii Dei legatione, eiusque doctrinae totiusque instituti origine et auctoritate divina innuat. De significatione vocabuli biblica erudite disser. Dav. Schulz: was heisst Glauben etc. *Leipzig*, 1830. Quod vero totam attinet formulam *ἔργον τ. π.* (in II. quoque ep. ad Thess. 1, 11. obviam) nolim cum B. Koppio vel *ἔργον τ. π.* vel seqq. *κόπος τῆς ἀγ.* et *ὑπομονὴ τῆς ἐλπ. simplicem* existimari *periphrasin* vocabulorum *πίστις*, *ἀγάπη*, *ἐλπίς*. Neque enim effatis Koppio laudatis *Romm. 9, 15. Ephh. 4, 12.* (quae aliam omnino interpretationem vel admittunt vel efflagitant), nec aliis N. F. locis elocutioni Paulinae cuiusmodi pleonasmus vindicatur. Alii (vd. Calov. in bibl. illustr. et Wolf in curis ad h. l.) persuasionem Christ. *ἔργον τῆς π.* dici existimant, quatenus sit opus egregium, quod Deus in animis Thessalonicensium effecerit. Vix putaverim, Apostolum, si hoc sibi vellet, simpliciter scripturum fuisse *ἔργου τῆς π.* nulla omnino Dei, auctoris *πίστεως*, mentione iniecta. Aliter sese habet cum locis similibus *Jo.* ev. 6, 29. *ad Philipp. 1, 6.* Ad parallelismum membrorum animum attendamus. Quemadmodum in seqq. *κόπου τῆς ἀγάπης* et *ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος* sic dicitur, ut prius substantivum rem indicet ex ea, quam posterius innuit, oriundam, ita *ἔργον τῆς π.* i. q. *opus, quod ex fide proficiscitur*, sentiendi agendique ratio ex persuasione Christ. oriunda, sive, si *sensum* spectaveris, *πίστις ἐνεργουμένη* (ad *Gal. 5, 6.*), persuasio, quae magnam habet efficientiam, quae factis probatur, constantia potissimum inter tentationes cuiusque generis conspicua. Similiter ep. Jacobi 1, 4. de *ὑπομονῇ* dicitur: *ἔργον τέλειον*

ἐχέτω, itemque *Hebrr. 6, 10.* τὸ ἔργον, studium, quod Christiani illi praestiterint, laudabile universe commemoratur. Hanc rationem plerisque video probatam, Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, Grotio, Vorstio (de hebraismis N. T. ed. Fisch. p. 257.), Krausio, Knappio (in scriptis varii argum. ed. II. T. II. p. 435.) Peltio ad h. l. aliis. An Paulus hoc ἔργον π. Judaeis opposuerit ἔργοις νόμου gloriantibus, certe non exploratum dixerim. Memorem porro se profitetur eorum του κόπου τῆς ἀγάπης, i. e. laboris molesti, haud detrectantis molestias aliorum causa perferendas, et bona instrumenti paupertati aliorum liberaliter adiuvandae (*I. Thess. 2, 9. 3, 5. II. Thess. 3, 8. II. Corr. 6, 5.* al.), oriundi ex amore, sive, si sensum spectaveris i. q. ἀγάπης κοπιώσης. His plane congrueret locus ad *Hebrr. 6, 10.*, nisi verba τοῦ κόπου loco laud. in pluribus praestantissimorum codd. et verss. desiderarentur. Denique, τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος etc. i. e. constantiae recte sentiendi et agendi, quae nulla vexationum tempestate frangitur (*Romm. 2, 7. 15, 4.* al.), qualem efficit spes certa in Domino nostro Jesu Chr. posita, auctore salutis verissimae, redituro olim (v. 10.) ad regnum instaurandum, sive, si sensum spectaveris, ἐλπίδος ὑπομενούσης. Recte Oecumenius: ὑπομονῆς τῆς γινομένης διὰ τὴν ἐλπίδα etc. ἐλπὶς τοῦ χριστοῦ eodem modo dic. quo ἐλπὶς τῆς δόξης τοῦ θεοῦ *Romm. 5, 2.* s. ἐλπὶς σωτηρίας *I. Thess. 5, 8.* Quo nexu verba seqq. ἔμπροσθεν etc. antecedentibus cohaereant, diversimode disputatur. Quo minus cum verbis proxime praecedentibus connectamus Ἰησοῦ Χριστοῦ (suppl. ὄντος), utique impedit, quod dignitas Jesu Christi Deo dilecti non solet aliis locis *hac* potissimum *ratione* enuntiari, ut coram Deo versari dicatur, neque omnino in hac orationis serie causa huius additamenti idonea apparet. Facilius probetur eorum sententia, qui vbb. ἔμπροσθεν etc. ad illa remotiora referunt: τοῦ ἔργου — τῆς ἐλπίδος: *assidue memores efficaciae fidei vestrae* etc. *quae Deo patri maxime probatur.* Vd. Chrysost. ad h. l. Beza, Koppe, Krause, Burgerhoudt specim. in prolegg. laud. p. 102. Phrasis quippe satis cognita hebraeo-graeca rem hominemve talem, qualis describitur, esse, sive aliquid

fieri dicit *coram Deo*, ἔμπροσθεν s. ἐνώπιον τοῦ θεοῦ (לִפְנֵי יְהוָה) i. q. *volente sive probante Deo*, ita ut haud raro veritas rei, de qua sermo est, sive praestantia eximia innuatur, *Genes. 7, 1. 10, 9. Luc. ev. 1, 6. 15. Ephes. 1, 4. Coloss. 1, 22. I. Thess. 3, 9. 13.* Sed, quamvis eiusmodi loca neque apud Paulum, nec apud profanos Graeciae auctores desiderentur, quae nullum habeant articulum verbis subiecto commemorato amplius definiendo inservientibus praefixum (vd. Winer Grammatik des neutestam. Sprachidiom ed. III. Leipz. 1830. p. 119.); durior tamen hoc loco videtur omissio articuli ante: ἔμπροσθεν, quum enuntiatio illa: τοῦ ἔργου — τῆς ἐλπίδος ab his postremis: ἔμπροσθεν etc. seiuncta fuisset verbis interpositis: τοῦ κυρίου etc. Malim cum Baumgartenio, Storrio (opuscc. acadd. Vol. I. p. 213.), Bensone, Michaele, Peltio, aliisque facere, verba: ἔμπροσθεν etc. ex participio μνημονεύοντες pendere existimantibus: perpetuo coram Deo patre (i. q. ἐπὶ τῶν προσευχῶν v. 2.) memores operis fidei vestrae etc. Quemadmodum Apostolus alibi adfirmabat, se vera dicere ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, sciente Deo, ad *Gal. 1, 20.*, sive aliquem obsecrari ἐν. τοῦ θεοῦ, Deo testante, *I. Timoth. 5, 21.* al., ita h. l. profitetur, se quovis tempore harum virtutum, quas Christiani Thessalonn. adhuc praestiterint, memorem esse, ubi cum Deo solo agat, sincere et pie, in precibus, ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ. Docet porro, fieri omnino non posse, ut ipse et socii unquam, precibus ad Deum fundendis laudibusque Dei celebrandis intenti, Thessalonicensium obliviscantur, quum, testes olim oculati originis huius ecclesiae, memoriae alte infixum teneant, quam felicem successum praedicatio Christi apud eos habuerit. V. 4. Partic. quippe εἰδότες haud dubie pariter ac μνημονεύοντες v. 3. ex verbis pendet v. 2. εὐχαριστοῦμεν — προσευχῶν ἡμῶν. Sententiarum series, hac ratione probata, optime sibi constat, neminemque iubet (quod nonnullis praeplacuit) vocab. εἰδότες, tanquam nominativum absolute positum (*Coloss. 3, 16.*) ad ipsos referre Thessalonicenses (pro οἴδατε γὰρ ὑμεῖς). Alloquitur Paulus Christianos iisdem verbis, quae *Coloss. 3, 12. II. Thessall. 2, 13.* obve-

niunt: fratres, religionis socii (ex usu loquendi apostolico). Deo dilecti. Quam vulgarem verborum coniunctionem, etiam h. l. cuivis lectori in promptu positam (ἠγαπημένοι ὑπὸ θεοῦ), loca modo laudata contra eos vindicant, qui, praeeuntibus Chrysostomo et Theophylacto, commate post ἠγαπημένοι interpungentes (h. s. *fratres nobis dilecti*) verba ὑπὸ θεοῦ ad seqq. τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν pertinere existimant: quum probe teneamus, a Deo profectam esse electionem vestram, s. a Deo vos esse electos. Ad homines per Christum Deo consecratos transfertur formula, qua Judaei suam gentem Deo praecipue dilectam praedicabant, יְדִידֵי יְהוָה *II. Chronn. 20, 7.* Ἐκλογὴ electio (*Diod. Sic.* 19, 80. *Plato* republ. l. 7. c. 15. in. p. 334. in. ed. Ast.), ex usu loquendi V. T., ubi Deus gentem Judaeorum, cui beneficia singularia contingere iusserat, elegisse dicitur (בָּחַר *Jes. 44, 1. 2. Ps. 105, 6.* al.), in N. F. Dei favorem gratuitum innuit, quem homo populusve ita experitur, ut hac ratione ab aliis multis distinguatur (separetur), *Actt. 9, 15. Romm. 11, 28.*, praesertim *curam Dei benevolam* (singularem Dei gratiam) *qua homines ad doctrinam Christi profitendam convertuntur*, participes futuri bonorum regni divini, *II. Petri 1, 10.* coll. *Ephess. 1, 4.* Concedimus, adiectivum ἐκλεκτοὶ ita adhiberi, ut notionem praestantiae involvat, quae aliquem dignum reddat, qui prae ceteris eligatur, *Matth. 20, 16. 22, 14.* al. Attamen h. l. vocab. ἐκλογὴ parum recte cum Koppio de illa Thessalonicensium praestantia v. 3. commemorata intelligi, immo Paulum hoc sibi voluisse: quum probe teneamus, vos Numine Summo iuvante ad sacra Christiana transiisse, et (quod insuper cogitando complecteretur) hanc vestram conversionem efficientia Dei fuisse insignem, verba docent seqq. V. 5. Ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν etc. Ὅτι vim notissimam habet explicandi, quo sensu Apost. ἐκλογὴν Thessalonicensium praedicaverit: hoc mihi volo etc. εὐαγγέλιον ἡμῶν i. q. nuntius regni divini laetus, qualem adferre solemus s. nostra doctrinae Chr. praedicatio, *Romm. 16, 28. II. Thessall. 2, 14. II. Timoth. 2, 8.* Quod vulgo praecipiunt, εἰς ὑμᾶς (sic enim recte habet textus receptus, quum scriptura πρὸς ὑμᾶς, in pluribus quidem bonis codd. item-

que apud Chrysostomum et Theophyl. expressa, interpretamenti praepositionis εἰς in N. F. admodum diverse usurpatae speciem referat) et h. l. et alibi simpliciter positum esse pro ἐν ὑμῖν (vel: inter vos, vel: in animis vestris) verissime impugnavit doctrina recentior elocutionis graecae N. F. Vd. Winer Grammatik des neutestam. Sprachidiom ed. III. p. 349. sq. Tenemus etiam h. l. significationem praepositionis propriam; sive vertatur: *quod vos attinet* (*Actt. 28, 6. Xenoph.* anab. Cyri l. 1. c. 9.), seu *loco* indicando inserviat (ut γενομένων ἡμῶν εἰς Ἱεροσόλυμα *Actt. 21, 17. 25, 15.*): nostram evangelii praedicationem non ita *ad vos pervenisse*, ut ἐν λόγῳ tantum esset etc. Quam postremam interpretationem, facilitate praecipua commendabilem, sequuti, praeeuntibus insuper iis, quae infra leguntur καθὼς οἴδατε, οἷοι ἐγενήθημεν etc. verba: ἐν λόγῳ, ἐν δυνάμει etc. minime cum Koppio ad virtutes, quas Thessalonicenses doctrina Pauli admittenda et retinenda exhibuerint (constantiam obsequii doctrinae re vera praestiti et persuasionis firmitatem), laudandas, sed ad describendam indolem et vim eximiam, quam institutio Pauli et sociorum apud Thessalonn. Deo iuvante habuerit, referenda putamus. Suam doctrinae Chr. praedicationem ita dicit ad Thessalonn. pervenisse, ut non tantum in verbis posita esset, quo sensu ἐν seq. dativo haud raro qualitatem s. conditionem innuit, adiectivo etiam circumscribendo inserviens *II. Corinth. 3, 7. 8.*, sive non verbis tantum instructa esset (*Hebrr. 9, 25.* ἐν αἵματι), i. e. haud vulgarem fuisse sermonem, quales sunt multi, qui sensus hominum praetervolant, neque aculeos relinquunt in animis audientium, sed ἐν δυνάμει etc. Quum δύναμις opponatur λόγῳ, haud dubie efficacitatem describit summam, quam εὐαγγέλιον Pauli habuerit, ita ut non audiretur tantum, sed pectori alte infigeretur, *Romm. 1, 16. I. Corr. 2, 4. Facta Pauli insignia*, quae institutionem Apostoli adiuverint, intelligi malunt Theophylactus, Oecumenius, Burgerhoudt in specim. laud. p. 81. alii. Quanquam numerus singularis voc. δύναμις (pluralem quippe haud raro idem valere q. σημεῖα et τέρατα, tritissimum est) subinde et de facilitate facta insignia edendi (*Luc. 6, 19. 8, 46. Romm. 15,*

19. al.) et de miraculis singulis *(Marci 6, 5. 9, 39.)* usurpatur, alia tamen est indoles locorum laudatorum, ubi hanc vocabuli potestatem ex tota orationis serie verbisque adiunctis cognoscimus, alia huius effati. Solent Apostoli vim illam saluberrimam institutionis doctrinae Christ. ad Numen Summum spiritumve divinum, veritatis virtutisque auctorem et adiutorem potentissimum referre, *qui praesto esset Apostolis evangelium praedicantibus, I. Corr. 2, 4. II. Corr. 3, 6.* sqq. al. Proinde etiam h. l. verbis *ἐν δυνάμει* adduntur, quae auctorem huius *δυνάμεως* illustrent *καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ*. Qui voc. *δύναμις* de miraculis intelligunt, Apostolum h. l. de dotibus spiritus divini extraordinariis cogitasse existimant, quales illo tempore Christianis singulis contigisse narrantur *Actt. 8, 17. 10, 44. sqq.* • *I. Corr. 12, 4.* Si sensum spectaveris, *ἐν δυνάμει καὶ* etc. i. q. *ἐν δυνάμει τοῦ πνεύματος ἁγίου*. Denique, quum veritas divina vim saluberrimam in animum hominis ante omnia ita exserat, ut persuasio de veritate firmissima oriatur, suam evang. praedicationem dicit Apost. constitisse (s. instructam fuisse) *ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ*. Substant. rarius *πληροφορία* (a vb. *πληροφορεῖν* pr. aliquid plenum ac totum ferre s. proferre, ita ferre s. proferre, ut totum sit et plenum, deinde: implere, s. plenum reddere aliquid, v. c. muneri cuidam prorsus satisfacere, *II. Timoth. 4, 5.* itemque: aliquem totum persuasione quadam imbuere, cfr. *Isocr. λόγος τραπεζιτικὸς* p. 686. ed. Lang. *Romn. 4, 21.* al.) in N. F. de cognitione, persuasione, spe plena, certa, firma adhibetur *Coloss. 2, 2. Hebrr. 6, 11. 10, 22.* His locis praeeuntibus neque cum nonnullis plenitudinem donorum spiritus sancti, quae Christianis ita contigerint, ut haud inferiores essent Judaeis, neque cum aliis plenitudinem (integritatem omnibus numeris absolutam) ipsius doctrinae a Paulo traditae, nec universe (quod Bolten, Krause, Vater in editione N. F. notis instructa, voluerunt) pleniorem, quem institutio apostolica habuerit, effectum s. gravitatem docendi (Nachdruk), sed cum plerisque interpretibus (cfr. Pelt ad h. l.) *persuasionem certam, et confidentiam* h. l. *πληροφορίαν* dici existimo (eamque *πολλὴν*, largam, eximiam, ut *πεποίθησις*

πολλῇ II. Corr. 8, 22.), quae in ipso Apostolo docente ejusque sociis fuerit, transieritque in animos Christianorum. Similiter Paulus *I. Corr. 2, 4 sq.* adfirmat, orationem suam inter Corinthh. usam fuisse *ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως.* Quo jure dicamus, Apostolum his omnibus *ὅτι τὸ εὐαγγέλιον — πολλῇ* suae, quam apud Thessallonicenses adhibuerit, evangelii praedicationis vim et indolem descripsisse, quam pro summa ipsius pietate Deo auctori tribueret, ex verbis patet seqq. *καθὼς οἴδατε* etc. Recte se habet vulgaris verborum interpunctio, ante *καθὼς* vel commate vel semicolo, post *δι' ὑμᾶς* plene distinguens. Adfirmat Apostolus, quod modo dixisset, conscientia sua testante (gratia divina factum esse, ut institutio sua *δύναμιν* et *πληροφορίαν* haberet, qua Thessalonicenses ad Christum converterentur), id omnino latere non posse Christianos ab ipso institutos. Qui cum Koppio ante *καθὼς* vel semicolo vel plene, post *δι' ὑμᾶς* commate interpungunt, verbis *καθὼς — δι' ὑμᾶς* protasin, sequentibus *καὶ ὑμεῖς* etc. apodosin inesse volunt: quemadmodum nostis (sive: quum experiundo compertum habeatis, voc. quippe *καθὼς* haud raro etiam causae indicandae inservit, i. q. siquidem, *Jo. 17, 2. Romn. 1, 28. Epheas. 1, 4.*), qualem me inter vos gesserim vestra causa, ita vos me imitati estis etc. Parum, opinor, huic verborum constructioni patrocinatur, quae verbo *οἴδατε* inest, temporis praesentis significatio. Immo propter seq. *ἐγενήθητε* (v. 6.) scribendum fuisset: *καθὼς ἐγνώκατε* etc. Accedit, quod *οἴδατε* tam perspicue respicit ad partic. *εἰδότες* v. 4. ut vel hac de causa praestet, verba *καθὼς — δι' ὑμᾶς* ad versum 5. referre: *quemadmodum ipsi probe nostis* (testimonio vestro confirmare potestis) *quales inter vos fuerimus*, i. e. qua *δυνάμει* et *πληροφορίᾳ* divinitus oriunda cum sociis docuerim, et qualem praestiterim confidentiam, alacritatem discrimina propter evangelium subeunda haud reformidantem, laborum patientiam (cfr. v. 6. ubi Christiani, doctrina divina *inter vexationes gravissimas* recipienda, Paulum imitati esse dicuntur, et c. 2. v. 1 — 13.) *δι' ὑμᾶς*, propter vos, ut salus vera vobis contingeret, ex professione evangelii et constantia recte agendi oriunda.

Pergit Apostolus, iis, quae ipse, Deo iuvante, apud Thessalonicenses effecerit modeste commemoratis, laudare hos Christianos, quippe qui Apostolum, ipsumque Dominum Jesum, egregie nec sine fructu in alios coetus Christ. redundante, imitati fuissent.

V. 6. 7. *Καὶ ὑμεῖς μιμηταὶ ἡμῶν ἐγενήθητε καὶ τοῦ κυρίου, δεξάμενοι τὸν λόγον ἐν θλίψει πολλῇ μετὰ χαρᾶς πνεύματος ἁγίου· (v. 7.) ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους πᾶσιν τοῖς πιστεύουσιν ἐν τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῇ Ἀχαΐᾳ.*

Vicissim, ait, ***vos imitatores exstitistis*** (cfr. ***I. Corr. 4, 16. 11, 1. Philipp. 3, 17.***) ***mei*** (et sociorum) ***ac Domini*** (Jesu Christi, qui, quamvis durissima doctrinae div. causa pateretur, animo tamen promtissimo, immo laetabundus voluntati divinae satisfecit), ***quum inter ipsas vexationes gravissimas (Actt. 17, 5—9.) doctrinam divinam*** (λόγον i. q. κήρυγμα, ***Luc. 1, 2. Gal. 6, 6.*** al.) ***receperitis cum laetitia rere sancta.*** Quemadmodom gratia divina spiritusve div. doctrinam evangelicam, animique mutationem saluberrimam illi accommodatam donasse dicitur, ita etiam pietas Christianorum de hac doctrina et conversione, etsi vitam hominis externam vexationi multiplici obnoxiam reddat, eximie laetantium χαρὰ appellatur πν. ἁγίου, ***laetitia per Spir. div. excitata, Romm. 14, 17. 15, 13. Gal. 5, 22. Coloss. 1, 11.*** Exempla huius laetitiae vd. ***Actt 5, 41. Hebrr. 10, 34.*** Frequens est in N. F. phrasis λόγον δέχεσθαι, lubenter admittere doctorem eiusque institutionem, ***Luc. 8, 13. Actt. 8, 14. I. Thess. 2, 13.*** al. ad similitudinem hebr. לָקַח, ***Proverbb. 2, 1. 4, 10.*** al. Quam eximium fuerit in Thessalonicensibus Paulum ipsumque Christum imitandi studium verbis ostenditur (v. 7.) ὥστε γενέσθαι etc. ***ita ut vos exemplo, quod sequerentur, essetis*** (quo sensu τύπος ***Philipp. 3, 17. II. Thessall. 3, 9.*** leg.) ***omnibus Christo fidem habentibus, qui in Macedonia sunt et Achaia.*** Certum est ex quo tempore Romani Graeciam totam subactam in duas partes, Macedoniam et Achaiam, dividerent, haec nomina latius quam olim patuisse, ita ut Μακεδονία non tantum eam, quae proprie sic diceretur, provinciam, sed etiam regiones finitimas

Christo addicti toto pectore Deo confidant, auctori salutis humano generi per Christum voluntatis divinae interpretem nuntiatae atque reparatae. Cfr. *I. Petri 1, 21.* Dav. Schulz in l. ad v. 3. laud. *Was heisst Glauben etc.* p. 88. sqq. Accedit, quod, qui ex gentilibus ad Christum conversi fuerant, nunc demum Deum colebant unum verum. *Exiisse* (ἐξεληλυθέναι) in N. F. saepenumero dicitur vox quaedam, doctrina, fama rei gestae, *Matth. 9, 26. Luc. 7, 17. I. Corr. 14, 36. Apocal. 16, 17.* al. (ex usu hebr. יָצָא, *Esther 1, 17.*) modo omissa, modo addita notatione loci, unde exierit, quatenus, ex loco quodam hominumve coetu profecta, amplius dimanavit multisque innotuit. Transfertur h. l. ad πίστιν Thessalonicensium, *cuius fama* per varios homines ex Thessalonice in alias regiones profectos longe lateque dissipata est. Ἐν παντὶ τόπῳ non simpliciter, quod vulgo praecipiunt, usurpari poterat pro εἰς πάντα τόπον. (Cfr. de eiusmodi locis Winer Grammatik des neutestam. Sprachidiom, ed. III. p. 351.). Immo hoc sensu dic. *fama fiduciae vestrae, ubicunque* ὁ λόγος κυρίου *innotuit* (per totam Macedoniam et Achaiam), *exiit inde* (suppl. in alia loca finitima). Qui totam ῥῆσιν: ἡ πίστις — ἐξελήλυθεν sensu non differre volunt ab illa: ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ κυρίου, nonnisi verbis: ἐν Μακεδονίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἀχαΐᾳ, et: ἐν παντὶ τόπῳ, antithesin (per οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ indicatam) inesse existimant, illudque ἐξελήλυθεν sic intelligunt, doctrinam Christianam, opera et studio Thessalonicensium, extra Macedoniam quoque et Achaiam praedicatam fuisse atque commendatam. (Cfr. *Romn. 10, 18.* εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν etc.). Attamen, ut concedamus, subinde in hac vel illa serie orationis substantivum πίστις significationem habere *obiectivam*, qua ipsam religionis doctrinam innuat, *hoc loco* neque verba πρὸς τὸν θεὸν huic interpretationi favent, nec ea, quae v. 9. sequuntur, addirent, quum v. 9. *fama* potius πίστεως Thessalonn. sensu *subiectivo* dictae longe pervagata describatur. Quod ipsam, quam diximus, antithesin membrorum attinet, ex ordine quidem verborum facile colligi possit, hoc tantum sibi velle formulam οὐ μόνον ἀλλὰ, ut Μακεδονίᾳ καὶ Ἀχαΐᾳ opponatur παντὶ

Quod primum singula v. 8. obvia attinet, quae interpretatione indigeant, verbum in N. F. ἅπαξ λεγόμενον ἐξήχηται: personuit, sonitum edidit (*Sirac. 40, 13. LXX. Joel. 3, 14.*) *hoc loco*, quum sermo sit de praedicatione doctrinae Christianae, in promtu est tropice dici (Chrysostomus metaphoram a tuba λαμπρὸν ἠχούσῃ depromtam existimat): longe lateque, ita ut permulti audirent, propagata est. De formula ἀφ' ὑμῶν quaeri omnino potest, utrum ἀπὸ *locum* indicet (*I. Corr. 14, 36.*) unde personuerit λόγος τοῦ κυρίου: doctrina Dom. a vobis,' vestra urbe, profecta amplius innotuit per Macedoniam etc. (siquidem, postquam Philippenses et Thessalonicenses ad Christum conversi fuerant, idem contigit Beroeensibus, Atheniensibus, Corinthiis, vd. prolegomena §. 1.), an quod Storrius (opuscc. Vol. III. p. 317.) aliique maluerunt *causam efficientem* sive *opportunitatem* (cfr. *Matth. 11, 19 12, 38. Actt. 11, 19. II. Corr. 2, 3.*): per vos, ope et consilio vestro, s. exemplo vestrae fiduciae, probitatis, tolerantia vexationum occasionem praebente doctrina Dom. propagata es etc.? Utrumque alteri coniungi oportet. Prius quippe maxim commendatur verbo cum praepos. ἐκ composito, ἐξήχηται. Posterius ideo haud negligendum, quod seqq. docent, Apostolum dicere aliquid voluisse in laudem Thessalonicensium. Nimis angustis, opinor, finibus hanc Thessall. laudationem ii interpretes circumscribunt, qui Paulum, quum diceret ἀφ' ὑμῶν ἐξήχηται etc. de eo potissimum cogitasse existimant, qu Thessalonicenses, quo tempore inter Judaeos tumultus cont Paulum et Silam excitatus fuisset, vitae Apostoli, quae evangelio propagando consecrata esset, defendendae consulere (*Actt. 17, 5. sqq.*). Quanquam semel tantum in N. F. legit ἡ πίστις ἡ πρὸς τὸν θεὸν (οὖσα), exemplis tamen s. tis confirmata est ea potestas praepos. πρός, qua lat. *erga* e primit, obiecto persuasionis, fiduciae, amoris indicando inse viens, v. c. ἀγάπην καὶ πίστιν ἔχειν πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν ad *Philem.* v. 5. cfr. *Gal. 6, 10. II. Corr. 3, 4.* Qu alibi saepenumero praedicatur πίστις εἰς Χριστὸν s. πίστ Ἰησοῦ Χριστοῦ, persuasio vere Christiana, fides Christo h bita, eadem h. l. dic. *fiducia in Deo reposita*, quum homin

τόπῳ. Quo minus vero sic statuamus, sequentia prorsus impediunt, cum illis παντὶ τόπῳ grammatice nexa: ἡ πίστις ὑμῶν etc. praesertim quum haec (ut modo vidimus) nequeant synonyma haberi membri superioris: ἐξηχ. ὁ λόγος τοῦ κ. Proinde nulli dubitamus, formulam antitheticam οὐ μ. ἀλλ᾽ ad illa potius referre: ἐξηχ. ὁ λ. τοῦ κ. et ἡ πίστις — ἐξελήλυθεν, commate nullo post τοῦ κυρίου posito. Quum verba ex rationibus grammaticis sic debuissent collocari: οὐ μόνον γὰρ ἀφ᾽ ὑμῶν ἐξηχ. ὁ λόγος τοῦ κ. ἐν τῇ etc. maluit Apostolus cum quadam sermonis gravitate hoc; a vobis personuit, primo ponere loco. Plerique interpretes hanc traiectionem recte agnoverunt. Non deesse omnino sermoni N. F. eiusmodi inversiones, quae vim rhetoricam habeant, docuit Winer: *Grammatik etc.* ed. III. p. 455. Cum nostro l. quodammodo cfr. *Romn. 4, 12.* [Ceterum pro vulg. ἀλλὰ καὶ cum Lachmanno edidimus ἀλλ᾽ omisso καὶ auctoritate codd. praestantiorum, versionis syr. Peschito et Philox. itemque Italae. Quanquam ex more consueto post οὐ μόνον sequitur ἀλλὰ καὶ, interdum tamen καὶ subauditur cfr. *Matth. 4, 4. Acts. 19, 26.* Zeune *ad Vigerum de idiot. gr. T. II. p. 522, ed. Herm. 1802.*] Duplici igitur laude commendantur Thessalonicenses, altera, quod *praedicatio evangelii*, ab eorum urbe exorsa, ipsis adiuvantibus, amplius per Macedoniam et Achaiam propagata fuerit, altera, quod *praestantia persuasionis eorum* et fiduciae Christianae una cum praedicatione evangelii per easdem terras longe lateque innotuerit. Verba quippe ἐν παντὶ τόπῳ minime opponuntur Macedoniae et Achaiae, sed regiones *earundem* provinciarum diversissimas indicant. Etsi enim et Chrysostomo (πάντα τόπον de aliis regionibus multis extra Macedoniam et Achaiam sitis interpretanti) lubenter largiamur, admodum insignem fuisse ante Christi tempora gentis Macedonum rerumque Macedonicarum apud exteros celebritatem, et Peltio (*Comment.* p. 19.) concedamus, Macedoniam et Achaiam h. l. sensu illo angustiori intelligi posse, de quo supra ad v. 7. exposuimus; facile tamen patet ex verbis seqq. ὥστε μὴ etc. (*ita ut mihi non opus esset, verba hac de re facere*, quum πίστις vestra ceteris, priusquam eos adirem, in-

notuisset, coll. v. 9.), Apostolum, quum diceret ἐν παντὶ τόπῳ, *alias regiones intelligi noluisse praeter eas, quas tum temporis ipse adiisset*, Macedoniam et Achaiam proprie dictam. Quod pro vulg. ἡμᾶς ἔχειν ordinem inversum edidimus, auctoritate codd. praestantissimorum defenditur. χρείαν ἔχειν dicc. sequente infinitivo vel activi *Matth. 14, 16.* vel passivi *Matth. 3, 14.* qui re quadam indigent, quam ipsi faciant, vel, quae per alios ipsis praestetur. Vd. Bornemann *ad Xenoph. Sympos.* p. 54. Haec sententia primaria: fama vestri religionis studii sermones meos, qui hac de re fieri potuissent, apud incolas Macedoniae et Achaiae antevertit, uberius amplificatur v. 9. αὐτοὶ γὰρ etc. *Ipsi quippe illorum τόπων* (v. 8.) *incolae* (pron. αὐτὸς saepius pertinet ad subiectum ex oratione antecedente, praesertim, ubi mentio loci cuiusdam facta fuerat, eruendum, *Matth. 4, 23. 9, 35. Actt. 8, 5.* al.) aliunde, non meis sermonibus, huius rei certiores redditi *nuntiant* (aliis) *de nobis* (περὶ seq. Genitivo rei hominisve de obiecto sermonis s. narrationis usitatum, *Jo. 16, 25. Rom. 15, 21. Xenoph.* anab. 1, 7. 3. al.), *qualem ad vos introitum* (aditum, cfr. de εἴσοδος *Hebrr. 10, 19.*) *habuerimus*, quam promto et alacri animo me et socios exceperitis nostramque institutionem. Posterius quippe cogitando addendum esse, ita ut εἴσοδος h. l. non tantum ipsum Pauli aditum ad urbem gentemque illam, sed etiam institutionis primae evangelicae Thessalonicensibus patefactae et auspicia laeta et successum prosperum indicet, initium docet capitis II. Remotior ab h. l. videtur ea sententia, quam Chrysostomus et Theophylactus verbis ὁποίαν εἴσοδον ἔσχομεν inesse volunt: quam parum reformidaveritis illa vitae discrimina, quae et ipse evangelii praedicandi causa inter vos subii, et vos, quum Christo nomen dedissetis, experti fuistis. Erravit item Chrysostomus, quem Theophyl. sequitur, quum scriberet: δευτέρα γὰρ ἦν εἴσοδος αὕτη, de eo tempore cogitans, quo Paulus, quum Athenis esset, Timotheum ad Thessalonicenses, Silvanum ad Berocenses *remiserat*. Facile enim patet, hac de re scribere Apostolum non potuisse εἴσοδον ἔσχομεν, quum haec εἴσοδος δευτέρα non esset ipsius Pauli. Vulgata lectio ἔχομεν

recte cessit scripturae auctoritate codicum praestantissimorum versionum patrumque vett. a Griesbachio aliisque receptae ἔσχομεν. [Ceterum, si pluralem ἡμᾶς v. 8. ὥστε μὴ χρείαν ἔχειν ἡμᾶς λαλεῖν τι nolueris ad solum referre Apostolum, existimandus est Paulus per Silam ac Timotheum, Corinthum ad Paulum profectos ex Macedonia *Actt. 18, 5.*, certior factus esse, hos comites, dum ipsi, sine Paulo, in illis Macedoniae urbibus versarentur, de fama Thessalonicensium longe dissipata idem experiundo cognovisse, quod Paulus cognosceret, quum ipse, Beroea sine comitibus illis digressus per Macedon. et Achaiam proficisceretur.] Quam laeta fuerint praedicationis evangelii apud Thessalonicenses auspicia porro explicatur καὶ πῶς ἐπεστρέψατε (suppl. ἑαυτοὺς, ex more loquendi in N. F. trito) etc. Transitus gentilium ad religionem Christianam, Monotheismo tanquam fundamento superstructam, hac ratione describi solet, ut *conversi esse s. se convertisse* dicantur (*Actt. 14, 15. 26, 20.* al.) ab idolis ad Deum verum recte cognoscendum colendumque. Idolis vita, sensu, motu, animo carentibus opponitur Deus, qui vita utitur perfectissima (ζῶν, חָי), qui solus vere est Deus, ἀληθινὸς, אֱלֹהִים אֱמֶת, *II. Regg. 19, 4. II. Chronn. 15, 3. Ps. 135, 15. sq. Jo. ev. 17, 3. I. ep. Jo. 5, 20.* al. πῶς ἐπεστρέψατε Chrysostomus: εὐκόλως, μετὰ πολλῆς σφοδρότητος. Infinitivis δουλεύειν (in hac orationis serie de eo, qui *totum se* addicit Deo vero verbis factisque recte colendo, עָבַד, *I. Regg. 5, 1. Romm. 7, 6.* al.) et ἀναμένειν v. 10. conversionis illius *finis primarius* indicatur. Vd. Winer *Grammatik etc.* ed. III. p. 266. Renuntiaverant paganismo, et Deum verum adoraturi, et salutis participes futuri per Jesum Christum filium Dei impetrandae (qua quidem fiducia laetissima in Jesu posita homines Christiani a gente Judaica, eidem Monotheismo addicta, maxime differebant). Proinde vbb. add. ἀναμένειν τὸν υἱὸν etc. *atque ut exspectaretis* (ἀναμ. ἅπαξ λεγόμενον in N. F. vd. *Herodian. V, 4, 9.*) *filium eius ex coelis* suppl. ἐρχόμενον s. ἐλευσόμενον *Coloss. 3, 8.* Videmus Paulum, quum hac ratione πίστεως Christianae notionem describat, veluti obiter praeparantem quaestionem de re-

dítu Servatoris infra Cap. IV, v. 13. sqq. C. V. tractandam. Ad sententiam cfr. *Philipp. 3, 20.* Scite observat Pelt ad h. l. non sine gravitate transponi vocab. Ἰησοῦν post ὃν ἤγ. ἐκ τῶν νεκρῶν, ut ὃν ἤγ. vim habeat singularem: quem Deus, resuscitando ex mortuis, filium suum declaravit, *Romm. 1, 4. 4, 24. Actt. 17, 31.* Huius autem filii Dei, iudicis omnium et mortuorum et viventium divinitus constituti (*Actt. 10, 42.*) reditum, quocunque tandem tempore appariturus sit, salutarem fore omnibus Deo et Christo vere addictis, verba postrema salutis plena profitentur τὸν ῥυόμενον etc. Ὀργὴ (hebr. אַף) ab adfectu indignationis gravissimae Dei peccatum et peccatores aversantis (*Exod. 4, 14. Romm. 9, 22.* al.) transferri solet ad effectum huius indignationis, poenas divinas, praesertim, quae olim, iudicii tempore, post adventum Messiae, de hominibus improbis exigentur, *Matth. 3, 7.* (ὀργὴ μέλλουσα) *Romm. 2, 5. 3, 5. I. Thessall. 2, 16. 5, 9.* al. Eandem metonymiam libri habent V. T. *Numerr. 16, 46. LXX. Sirac. 44, 17.* Nec profanis omnino incognitam esse doc. Kypke in *observv. sacr.* ad *Romm. 2, 5.* Tempus praesens, rem *certo* futuram indicans, prae ceteris in verbo ἔρχομαι usitatum. Vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 217. sq. Eandem rei certo futurae significationem cum plerisque interpretibus vindicare licet participio ῥυόμενον (ῥύεσθαί τινα ἀπό τινος sic dic. liberare aliquem a calamitate s. malo vel praesente vel instante, *Matth. 6, 13. II. Thessall. 3, 2. II. Timoth. 4, 18.* ut alibi ἐκ τινός, *Luc. 1, 74. Romm. 7, 24.*), quamquam haud negaverim, temporis quoque praesentis cogitationem huic loco propterea egregie esse accommodatam, quod, quum homines doctrinam vitamque Servatoris recte cognoscentes eiusque praestantiam toto pectore sentientes vere sapere discant, Deoque moribus emendandis accepti reddantur, Jesus Christus verissime *iam nunc in eo esse* dicatur, *ut miseriae hominibus Deo invisis instanti nos eripiat.* Cfr. *II. Corr. 1, 10.* ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς, καὶ ῥύεται· εἰς ὃν ἠλπίκαμεν, ὅτι καὶ ἔτι ῥύσεται.

Caput II.

Quod Apostolus C. I. V. 4. 5. de suo ad Thessalonicenses aditu breviter dixerat, uberius persequitur, ut et suo ipsius animo satisfaciat, de successu felici, quo evangelium Deo iuvante iis praedicaverit, eximie laetanti, et Thessalonicensium animis consulat in persuasione vera Christiana, quam Paulo eiusque sociis debebant, inter omnes et vexationes et doctorum vanorum insidias retinenda stabiliendis, excitandisque ad exemplum Pauli, doctoris fidi, strenui, amore Christianorum integerrimo imbuti, imitandum.

V. 1. 2. *Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοί, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν· (v. 2.) ἀλλὰ (καὶ) προπαθόντες καὶ ὑβρισθέντες, καθὼς οἴδατε, ἐν Φιλίπποις, ἐπαρρησιασάμεθα ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν λαλῆσαι πρὸς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ ἐν πολλῷ ἀγῶνι.*

Audimus Apostolum iterum confirmantem, quod C. 1. V. 5. (*καθὼς οἴδατε, οἷοι* etc.) legimus: utique enim ipsi nostis, *ὅτι ἡ εἴσοδος ἡμῶν* (vd. 1, 9.) *πρὸς ὑμᾶς οὐ γέγ. κενή*. Sic enim intelligendum, quod h. l. per attractionem, profanis quoque haud incognitam, enuntiatur *τὴν εἴσοδον — ὅτι* etc. *Coloss. 4, 17. II. Thessall. 2, 4. Actt. 13, 32.* Vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 432. sqq. Quanquam *κενὸς* (שָׁוְא, רִיק, כָּזָב) de iis adhibetur, quae *falsa* sunt, veritate destituta, fraudulenta, *Epheas. 5, 6. Coloss. 2, 8. LXX. Ex. 5, 9.* (quod si ad hunc l. transferatur, sententia haec est: praedicationem evangelii, qua vos imbueremus, quum primum vos adiissemus, non falsa docuisse, nec fallaciis usam esse ad animos vestros in partes evangelii trahendos vd. v. 3. 4.); malim tamen cum plerisque, praeeunte oppositio v. 2. *ἀλλὰ προπαθόντες — ἐπαρρησιασάμεθα*, eam tenere significationem, quae aliis locis pluribus defenditur, *res vana, inanis, quae nullam habet veram vim et efficientiam* (i. q. ריק) *I. Corr. 15, 10. 14. 58. Philipp. 2, 16. Galat. 2, 2.* Negative, per *μείωσιν* dicitur *οὐ κενὴ*, quod c. 1. v. 5. efferebatur *οὐκ ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει* etc. Tantum

quippe abfuit, ut Paulus et socii vexationibus atrocissimis, quas paulo ante quam Thessalonicen venirent Philippis perpessi fuissent (*Actt. 16, 22. sqq.*), deprimerentur, ut inter Thessalon. fiducia summa et libertate docendi evangelium traderent, quae in discipulos vim haberet eximiam. V. 2. ἀλλὰ προπαθόντες etc. προπαθών dic. (voc. in N. F. ἅπαξ λεγόμενον), qui antè quam factum est id, de quo agitur, mala perpessus est, *Thucyd. 3, 67.* Quod in textu vulg. ante προπαθ. additur καὶ, dubiae est auctoritatis. Abest in multis codd. in quibus plures sunt praestantissimorum, itemque in versionibus antt. pluribus, scriptisque exegeticis Chrysostomi, Theodoreti, Oecumenii, Theophylacti, et aliorum, probantibus omissionem Millio, Wettstenio, Griesbachio, Koppio. Concedimus tamen, hanc voculam aeque facili errore librariorum ex sequentibus *repeti*, ac *praeteriri* negligentius potuisse. Immo consulto a pluribus deleri potuit, quum supervacaneum videretur. Quodsi in textu servetur, h. l. vim voculae καίπερ exprimit (ut rectè vidit Pelt in comment. p. 26.): immo etsi antea Philippis mala perpessi essemus et iniurias etc. ἐπαρρησιασάμεθα cum infinitivo λαλῆσαι eodem modo coniungitur, quo alia verba, quae notionem volendi aliquid et studiose agendi involvunt, infinitivus excipit *consilio* significando inserviens: *summa dicendi libertate usi sumus* (cfr. de παρρησιάζεσθαι *Actt. 13, 46. 18, 26.* al.) *ut vobis traderemus doctrinam divinam laetà nuntiantem.* Quod inseritur ἐν τῷ θεῷ ἡμῶν, cum ἐπαρρήσ. propius coniungendum, duplicem admittit interpretationem, vel: *per Deum nostrum* (i. e. cui addicti sumus s. nobis faventem), iuvante D. n. (ex usu trito praepos. ἐν, *Actt. 17, 28.* al. hebr. בְּ) vel: *fretus Deo nostro*, fiducia in auxilio eius posita (quo sensu ἐν verbis iungitur, notionem sperandi sive fiduciam, quae παρρησίαν efficit, in aliquo collocandi exprimentibus, v. c. *Philipp. 3, 3. 4. LXX. Ps. 11, 6.*). ἐν πολλῷ ἀγῶνι aeque potest de *aerumnis* intelligi et *periculis* (quo sensu ἀγὼν *Philipp. 1, 30.* dicitur, nec profanis inusitatum, vd. *Arrian.* de expedit. Alexandri 3, 15, 1.) quibuscum Paulus, Timoth. Silv. Thessalonicae conflictati fuerant (*Actt. 17, 5. sqq.*) atque de *cura eorum et*

sollicitudine magna, ex studio intimo negotium divinum recte peragendi oriunda *(Coloss. 2, 1. 1, 29.)*.

Hanc vim insignem et efficacitatem suae evangelii praedicationis, ex eo profectam, quod ad Deum omnia referat, nihilque appetat, nisi ut Deo probetur, uberius illustrat Apostolus.

V. 3. 4. *Ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν οὐκ ἐκ πλάνης οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὔτε ἐν δόλῳ·* (v. 4.) *ἀλλὰ καθὼς δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τοῦ θεοῦ πιστευθῆναι τὸ εὐαγγέλιον, οὕτω λαλοῦμεν, οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες, ἀλλὰ τῷ θεῷ, τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν.*

Παράκλησις in hac orationis serie latius patet, nec solam adhortationem, sed universe *institutionem* indicat, *Actt. 13, 15. 15, 31. Πλάνη* a *δόλῳ* ita differt, ut prius *h. l.* de mentis errore dicatur, quo quis decipitur, s. se ipse decipit *(II. Petri 3, 17. Romm. 1, 27.)*, quanquam significatio fraudis, quam quis alteri facit, eidem vocabulo haud denegganda *(Matth. 27, 64.)*; posterius de fraudulentia, alios decipiendi studio. *Ἀκαθαρσία*, immundities (h. l. morum et vitae, improbitas, cfr. *Romm. 6, 19.* ubi cum *ἀνομίᾳ* coniungitur et *δικαιοσύνῃ* opponitur, *I. Thessall. 4, 7. LXX. Ezech. 39, 24. Arrian.* dissertt. Epictett. 4, 11.), praeeunte huius sermonis nexu, quum de causis cogitetur, quae movere aliquem possint, ut docendi negotio operam navet, haud dubie non cum Bensono aliisque interprr. de lascivia et libidine, cui doctores vani haud pauci indulgeant, (quanquam hoc sensu saepius usurpatur), sed *de inhonesto lucri studio et vana gloriae cupiditate s. omnino de causis docendi parum honestis* intelligendum. Vd. B. Tittmann *liber I. de synonymis in N. T.* Lips. 1829. p. 150. sq. De vocula negat. *οὔτε* post *οὐδὲ* posita sic iudicamus. *οὐδὲ* quidem h. l. ad praeced. negationem *οὐκ* eodem modo refertur, quo *Luc. ev. 16, 31.* ad *Gal. 1, 16. 17.* ubi negationem sequentem antecedenti non simpliciter tantum adnectit, sed ita, ut posteriùs, quod negetur, priori *gravius* appareat *(etiam non)*. *Ἀκαθαρσία* homini magis vitio vertitur, quam caecitas animi errore decepti. *Οὔτε* vero omnino novam adnectit negationem, non amplius de causis, sed de *modo* praedicationis evangelii exponentem, ita ut gram-

notice quidem voculae anteced. *οὐκ* respondeat, quemadmodum apud profanos *οὐ* et *οὔτε* haud raro ad se invicem referantur, cfr. Matthiae *ausführliche griechische Grammatik* T. II. ed. II. p. 1224. Lectio non mutanda, quanquam plures codd. boni pro *οὔτε* exhibent *οὐδέ*, ex vbb. prioribus, opinor, orundum. Aliter V. Winer statuit (*Grammatik* etc. ed. II. 1825. p. 176.) qui vbb. *οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας*, et *οὔτε ἐν δόλῳ* pro membris diversis habet *eiusdem* negationis, illi *οὐκ ἐκ πλάνης* oppositae, ad homines quippe pertinentis, qui *consulto* perperam doceant, quum prior *οὐκ ἐκ πλ.* ad eos potius referatur, qui, errore ipsi decepti, doctrinam vanam aliis commendent. Sed ipsa diversitas praepositionum *ἐκ* et *ἐν* profecto magis addicit iis, qui discrimen utriusque negationis hoc putaverint, ut prior de causis, posterior de modo praedicationis evangelii intelligatur. Nostra, inquit, institutio, si *fontem* spectaveris, minime ex errore, quo ipsi deciperemur (fanatismo cocco), nec etiam ex consilio improbo profecta est, sin *modum* spectaveris (praesidia, quibus usus fuerim, ut vos doctrinae traditae conciliarem), fraudibus nullis fuit coniuncta, nil fraudulenti habuit (de usu praepos. *ἐν* seq. dativo vd. ad c. 1. v. 5. observata). Quae potius fuerit et origo institutionis suae, et indoles huic origini conveniens, his profitetur v. 4. *ἀλλὰ καθὼς* etc. *δοκιμάζειν a) explorare* naturam et indolem rei cuiusdam hominisve, *Luc. ev. 14, 19.* ad *Gal. 6, 4.* b) *probare*, facta exploratione, pariter de homine dicitur, quem laude, negotio, praemio quodam dignum iudicamus (*I. Corr. 16, 3. Isocrates* oratt. p. 613. ed. Lang.), atque de re, quam approbamus, utilem, rectam, honestam agnoscimus *Philipp. 1, 10. Romm. 14, 22. Plutarch.* vita Lycurgi c. 12. *Πιστεύεσθαί τι* i. q. *ἔχειν τι ἑαυτῷ πεπιστευμένον*, de eo, cuius fidei aliquid committitur, *Romm. 3, 2. I. Corr. 9, 17. Gal. 2, 7. I. Timoth. 1, 11.* ex graecismo, quo verba, quorum activa accusativo rei et dativo personae coniunguntur (*πιστεύειν τί τινι*), in passivo sic adhibentur, ut haec persona subiecti locum teneat, ideoque casu ponatur nominativo (*πιστεύομαι*), manente accusativo rei. *Diod. Sic. 17, 8. Thucyd. 1, 126.* Matthiae *ausführliche griech. Grammatik* ed. II. T. II.

p. 781. Recte igitur vertimus: quemadmodum a Deo spectati iudicati sumus, quibus doctrina laeta nuntians committeretur. Maluit V. Pelt in comment. p. 29. praeeunte Grotio, verbo δοκιμάζειν h. l. simpliciter hanc vim tribui: aliquid efficere velle (pro: ὁ θεὸς ἐδοκίμασε πιστεύειν ἐμοὶ τὸ εὐαγγέλιον: quemadm. Deo placuit, evangelium mihi concredere). Attamen loco, quem hi interpretes laudant, *Romm. 1, 28.* (καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει) verbum δοκιμ. absque omni difficultate ad eandem refertur significationem, quae aliis locis exprimitur, ubi ad accusativum *personae* pertinet: quemadmodum Deum veluti non dignum censuerunt, cuius cognitionem rectam servarent. Interpretationem plerisque probatam longe aptiorem iudicamus et verbo passivo, et casui nominativo δεδοκιμάσμεθα. Quo magis grato et modesto animi sensu Paulus summum agnovit Dei beneficium, qui ipsum (quamvis olim doctrinae Christianae inimicum) idoneum iudicasset, cui evangelium committeretur *(I. Corr. 15, 9. sqq.)*, eo diligentius in eo elaboravit, ut in praedicando evangelio Numini Summo probaretur. Voculam quidem καθώς (sequente posthac οὕτω λαλοῦμεν) Chrysostomus sic interpretatur: qualem Deus probavit (liberum quippe ab omni studio et cupiditate rerum huius vitae), talis maneo, talem me exhibeo doctrina Chr. praedicanda, καθὼς οὖν ἐδοκίμασε (θεὸς), τοιοῦτοι καὶ μένομεν. Similiter Oecumenius: ὁ θεὸς ἐδοκίμασεν ἡμᾶς, μηδὲν πρὸς δόξαν λαλεῖν ἀνθρώπων μέλλοντας. διὸ καὶ ἐπίστευσεν ἡμῖν τὸ εὐαγγέλιον. οὕτως οὖν ἐλαλήσαμεν ὑμῖν, ὡς ἐδοκίμασε καὶ ἔγνω ἡμᾶς ὁ θεὸς etc. Verum quum Paulus non scripserit οἷοι δεδοκιμάσμεθα — τοιοῦτοι λαλοῦμεν etc. sed καθὼς — οὕτω, praeferre malim, quod Chrysostomus posthac subiecit: οὕτω λαλοῦμεν, ὥσπερ εἰκὸς τοὺς ὑπὸ τοῦ θεοῦ δοκιμασθέντας καὶ πιστευθέντας ἀξίους εἶναι τοῦ εὐαγγελίου. Ex usu loquendi καθὼς ad οὕτω h. l. sic refertur, ut *indolem institutionis* innuat, *qualem illa de vocatione divina persuasio necessario secum ferat*, insuper *causam* involvens, *quare Apostolus sic, nec aliter doceat*: illi iudicio, quo gratia divina nos dignos habuit, quibus evan-

gelii praedicatio concrederetur, *accommodate loquimur*, οὐχ' ὡς ἀνθρώποις etc. ἀρέσκειν h. l. de studio placendi dic. ut *Galat. 1, 10. I. Corr. 10, 33.* Deo malebant Paulus, eiusque socii, quam hominibus, placere. Itaque nihil prius habebant honestate et pietate non simulata. Deus quippe pro omniscientia sua, intima hominis cogitata perserutante et explorante (quod sollenne est Dei praedicatum in V. et N. F. *Actt. 1, 24. Romn. 8, 27.* al. *Jerem. 17, 10. Ps. 7, 10. I. Regg. 8, 39.*) probe dignoscit pietatem veram, causas loquendi et agendi vere honestas, ab illa pietate fucata, quae hominum gratiam captat, iisque facile imponit. Ceterum cum iis, quae Paulus h. l. de studio suo, omnia ad voluntatem divinam accommodate peragendi testatus est, cfr. *I. Corr. 4, 3. sqq. II. Corr. 1, 12. 2, 17. 4, 2. 12, 16. sqq. Gal. 1, 11. 12.*

Jam vero hanc integritatis suae et pietatis sincerae, a quovis lucri terrestris studio alienae, quam Thessalonicae quoque demonstraverit, professionem amplius illustrat, iis maxime commemorandis, quae Thessalonicenses ipsi experiunde cognoscere potuerant.

V. 5 — 8. *Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, καθὼς οἴδατε, οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας; (θεὸς μάρτυς)· (v. 6.). Οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν, οὔτε ἀπ' ἄλλων· (v. 7.) δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, ὡς Χριστοῦ ἀπόστολοι· ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν. (v. 8.) Ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα, οὕτως, ὁμειρόμενοι ὑμῶν, εὐδοκοῦμεν μεταδοῦναι ὑμῖν οὐ μόνον τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχάς, διότι ἀγαπητοὶ ἡμῖν ἐγενήθητε.*

Primum adfirmat, se cum sociis nunquam *adulationi* (κολακείᾳ, *Theophr.* charactt. c. 2. *Joseph.* de bello Jud. 4, 4. 1. in N. F. vocab. ἅπαξ λεγόμενον) indulsisse. Diversa quidem exstitit totius phraseos ἐν λόγῳ κολακ. ἐγενηθ. interpretatio, quum de sensu vocab. λόγῳ in varias partes abirent. Plures quippe (v. c. inter antiquiores Hammondus in *paraphr. N. T.*, nuperrime Pelt ad h. l.) λόγος de *crimine* s. *accusatione* intelligunt: nunquam in crimen assenta-

tionis incurri. Similiter λόγος rationem, qua aliquis accusatur s. condemnatur, indicat *Matth. 12, 32. 5, 32.* (דָּבָר *Exod. 18, 16. 22. 22, 8.*). Sed ad consilium huius loci nil attinebat, dicere, se numquam *accusatum esse* studii adulandi (quod omnino ab adversariis malevolis facile fieri poterat), immo, se nunquam *adulatum esse*. Quam posteriorem sententiam, illi haud dubie praeferendam, ii tenent, qui ἐν λόγῳ κολακ. pro simplici ἐν κολακείᾳ accipiunt, de idiotismo hebraico cogitantes, quo דָּבָר sequente substantivo periphrasin rei hoc substantivo expressae continet, *I. Samuel. 10, 2. Ps. 65, 4.* A nemo probavit, exempla huius idiotismi in libris exstare N. F quum loca haec in rem laudata ita se habeant, ut λόγος satis commode de sermone intelligatur. Cfr. Bretschneider *Lexicon manuale graeco-latinum in libros N. T.* ed. II (Lips. 1829.) T. II. p. 24. Praestat, cum Koppio aliisqu interprr. vocabulo λόγος significationem satis cognitam (*sermo* vindicare: *numquam versati sumus in sermonis genere adu latorio, i. q. non usi sumus sermone ex adulandi studio pro fecto*, sive ad graecismum respiciamus, quo ἐν λόγῳ εἶνα dic. pro λέγειν, *Xenoph.* Cyrop. 4, 3. 5. sive ad illam di cendi formulam usitatam εἶναι s. γίνεσθαι ἐν τινι i. in re quadam occupari, eam peragere, *1. Timoth. 2, 15. 4, 1.* Vd. Lamb. Bos *ellipses gr. ed.* Schaeferi p. 412. Sim liter latini: *in re quadam esse*, v. c. *Horat.* sermm. l. 1. sat. in. Magis dissentiunt de verbis seqq. οὔτε ἐν προφάσ πλεονεξίας (ἐγενηθ.) ubi Paulus animum ab avaritia s. i honesto lucri studio (*Marci 7, 22. Romm. 1, 29.*) alien profitetur. Substantivi πρόφασις significatio prima (ut sc observat Pelt ad h. l.) haud dubie haec fuit: quodcunque a quis prae se fert s. ostendit (προφαίνει) rem explicatur Proinde et de causa *vera* vel dicti cuiusdam vel facti s. ev usurpatum est (*Isocr.* or. κατὰ τοῦ λοχίτου c. 8. p. 695. Lang. or. περὶ τῆς ἀντιδόσεως c. 25. p. 596. in. *Thucyd. 23. 6, 6.*) et de causa *ficta, quae sermone praetendit* praesertim, ut aliquid excusetur, defendatur, honestum ap reat, itemque *de simulatione, quae factis constat* (*D Sic. 4, 79. Actt. 27, 30. Philipp. 1, 18. Jo. ev. 15,*

Matth. 23, 14. cfr. loca parall. *Marc. 12, 40. Luc. 20, 47.*). Merum inesse pleonasmum, ut ἐν προφάσει πλεον. nihil valeat nisi ἐν πλεονεξίᾳ (quod B. Koppe et Rosenmüller in scholiis ad h. l. voluerunt), exemplis idoneis non probatur. Qui *speciem* πλεονεξίας intelligunt (ab omni avaritiae specie alienus fui, vd. Wolf in curis ad h. l. Burgerhoudt in specimine in prolegg. laud. p. 87.) sententiam exhibent consilio Apostoli non satis idoneam. Illa quippe obtestatio sancta parenthesecos signis inclusa θεὸς μάρτυς (cfr. *Romm. 1, 9. Philipp. 1, 8.*) omnino docet, Apostolum h. l. non tam speciem avaritiae sedulo evitatam (qua de re homines utique iudicare possent), quam animum a quovis lucri terrestris studio prorsus alienum Deo animorum scrutatori cognitum, profiteri voluisse. Interpretationi simillimae, quam V. Pelt commendat: *nunquam ostendimus avaritiam*, praeter argumentum modo propositum etiam hoc obstat, quod πρόφασις in *novo foedere*, quoties occurrit, nunquam simplicem ostendendi notionem indicat, sed, quod sermone profertur, ut aliquid vel excusetur, vel dissimuletur aut simuletur. Eadem de causa nolim cum V. Bretschneidero (*Lex. man.* T. II. p. 362. ed. II.) vertere: non ita versati sumus ut officio nostro uteremur occasione lucrandi, quanquam ex loco Platonis Phaedri c. 80. p. 280. ed. Heindorf. probari potest, voc. πρόφασις interdum etiam ad occasionem rei significandam translatum fuisse. Denique qui sensum hunc existimant: non accusati sumus avaritiae, nequeunt voci προφ. per se spectatae vindicare accusandi notionem (quippe quae eiusmodi locis minime probatur, ubi *orationis series* docet, sermonem esse de causa, quae praetendatur, accusandi). Proinde non dubitamus, cum Th. Beza (vert. neque avaritiae causa quidquam praetexuimus), Grotio, Bensonio, Krausio, Flattio, aliis, ex verbis Apostoli hanc eruere sententiam, et usui substantivi πρόφασις, qui sollennis est in N. F. et obtestationi additae: θεὸς μάρτυς, egregie accommodatam: *neque hoc egimus, ut aliquid praetenderemus, avaritiae causa* (avaritiam, veram causam, dissimulantes). Commendatur insuper haec interpretatio parallelismo membrorum. Genitivus πλεονεξίας causae προφάσεως indicandae inservit,

quemadmodum in membro priori Genitivo *κολακείας* causa sermonis (*λόγου*) innuebatur. Tertium addit Apostolus v. 6. se comitesque suos nunquam gloriam ab hominibus expetiisse, evangelio praedicando et auctoritate muneris apostolici usurpanda: *οὔτε ζητοῦντες* (*ἐγενηθ.*) etc. Praepositiones *ἐκ* et *ἀπὸ*, quas vulgo h. l. synonymas habuerunt, accuratior praepositionum graecarum doctrina ita distingui iubet, ut *ἀπὸ* ubique ad originem mediatam s. causam secundam, v. c. rem aut personam, quae effato cuidam aut facto *occasionem* dederit, sed *ἐκ* pariter atque *παρὰ* ad originem immediatam (causam primam) pertineat, vd. Hermann ad Sophoclis Electram v. 65. Dav. Schulz die christl. Lehre vom heil. Abendmahl (Leipzig, 1824.) p. 218. sqq. Licet omnino hanc observationem ad locum nostrum explicandum sic transferre: non expetii laudem, quae ex ore hominum, labores meos, doctrinam, discipulorum multitudinem admirantium et praedicantium (immediate) mihi contingeret (i. q. *παρὰ ἀνθρώπων*, *Jo. ev. 5, 41. 44.*), sive vobis, seu aliis coetibus, quos doctrina evangelica imbuissem, huic laudi et admirationi occasionem praebentibus. Nunquam vel vobis vel aliis ad sacra Christiana convertendis hoc egi, ut Apostolus insignis multorum doctor, longe lateque praedicarer. Post verba *ἀπ' ἄλλων* nolim cum pluribus interprr. plene interpungere, qui verba seqq. v. 7. *δυνάμενοι — ἀπόστολοι* (subintellecto vb. *ἦμεν* post *δυνάμενοι*) ad enuntiationis novae protasin referunt, cuius apodosis deinde proferatur *ἀλλ' ἐγενήθημεν* etc. Absque ellipsi constructio verborum apparet facilis, quum *δυνάμενοι* grammatice ex participio *ζητοῦντες* (*ἐγένηθ.*) pendeat, et verba *ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι* etc. satis commode, tanquam oppositum illis: *οὔτε ζητοῦντες — ἄλλων* (ratione simul habita verborum insertorum: *δυνάμενοι — ἀπόστολοι*) respondeant. Ipsa haec parenthesis, quanquam brevior, fecit, ut ex superioribus repeteretur *ἐγενήθημεν*. Verba inserta duplici modo explicantur, *vel* cum Theodoreto, Baumgartenio, Boltenio, Krausio, Koppio, Flattio, aliis: *etsi vobis oneri esse (molestias facessere) potuissemus, alimentis*, stipendiis, donariis a coetu vestro *accipiendis*, *ἐν βάρει εἶναι* i. q. *βα-*

ρὸν εἶναι, *ἐπιβαρεῖν*, v. 9. *II. Thessall. 3, 8.* *καταβαρεῖν* *II. Corinthh. 12, 16.* (solebat Paulus manuum labore victui suo prospicere, ne, quae ad vitam sustentandam requirerentur, accipere deberet a coetibus Christianis, vd. *II. Thess. l. l. I. Corr. 9, 6. 4, 12. II. Corr. 11, 9.*), *vel* (quod Ambrosiaster, Vitringa obss. sacr. l. 3. c. 25. Wolf in curis ad h. l. Benson, Pelt, alii praeferunt): *quamvis auctoritatem magnam, tanquam Christi legatus, usurpare mihique vindicare potuissem*, ubique hanc dignitatem praedicando, severe imperando, comminando. Chrysostomus et Oecumenius utramque sententiam alteri coniungunt. Posterior longe accommodatior apparet et verbis antecedentibus et seqq. *ἀλλ' ἠγενήθημεν* etc. nihilque prohibet, quo minus *pluralis* ad Paulum, Timotheum, Silvanum simul spectasse existimetur, si modo *ἀπόστολοι* sensu latiori acceperis, *Actt. 14, 14.* Recte docuerunt interpretes, apud profanos interdum *βάρος* de auctoritate dici s. dignitate externa, quae veluti pondus habeat. Cfr. Wesseling ad *Diod. Sic.* l. 4. c. 61. Tota phrasis *εἶναι ἐν βάρει* simillima est illi *ἐγενήθη ἐν δόξῃ II. Corr. 3, 7.* Haud dubie vero etiam significatio *oneris* simul spectanda, quatenus de eiusmodi studio auctoritatis usurpandae sermo est, quod aliis facile molestum evadat. Huic autem gloriae terrestris cupiditati opponitur animi sensus et affectus, quem Paulus cum sociis inter Thessall. et verbis et factis declaravit *ἀλλ' ἠγενήθημεν* etc. *ἤπιος* i. q. mitis, praesertim in ferendis erroribus et vitiis (de parentibus potissimum), *II. Timoth. 2, 24. Homeri Od. β, 47. Herodot. 3, 89.* al. Vd. Wetsten. ad h. l. Tittmanni liber I. de synonymis in N. T. p. 140. sq. Lectio *νήπιοι* (veluti pueri, modesti, humiles, inter vos fuimus) in quibusdam codd. bonis, itemque in nonnullis versss. vett. patrumque scriptis obvia, scribendi vitium redolet, ex littera postrema anteced. *ἠγενήθημεν* facile explicandum. Minime enim puero se h. l. comparare voluisse Apostolum, seqq. docent, ubi Paulus *nutrici* potius similem se profitetur, amore tenerrimo liberos foventi. V. 8. *Ὡς ἂν τροφὸς* etc. Existimamus quippe cum Griesbachio, Koppio aliisque, verba *ὡς ἂν τροφὸς — τέκνα* ad v. 8. refe-

renda esse, ita ut plene interpungatur post ἐν μέσῳ ὑμῶν (v. 7.), commate post τέκνα, quum ex iis, quae adduntur οὕτως ὁμειρόμενοι etc. facile elucescat, his contineri apodosin enuntiationis Paulum nutrici comparantis quae protasi: ὡς ἂν etc. respondeat. τροφὸς (ἅπαξ λεγόμ. in N. F.), *nutrix* מֵינֶקֶת *Genes. 24, 59.* vers. *Symmachi, Genes. 35, 8. LXX. Aelian.* Var. hist. 13, 1. al.) h. l. *matrem* innuit ipsam, lac praebentem infanti, siquidem τὰ ἑαυτῆς τέκνα dicitur θάλπειν, *fovere*, quod verbum sollenne est de volucribus, pullos alis suis obtegentibus et calefacientibus, v. c. LXX. *Deuteron. 22, 6. Job. 39, 14.* metaphorice ad hominem transfertur, aliorum curam gerentem ex amore tenerrimo oriundam, *Ephes. 5, 29. Summam nutricis, quaecunque tandem fuerit, curam* in pullis fovendis exprimit ὡς ἂν seq. coniunctivo (lat. *utcunque*). Vd. Hermann ad *Sophocl. Aiacem* v. 1096. idem in libris IV. de partic. ἄν, Lips. 1831. p. 112. In apodosi de lectione recte constituenda ambigitur, utrum acquiescendum sit in lect. vulgata ἱμειρόμενοι, quam praeter magnam partem codicum Chrysostomus in *homilia II. ad I. Thess.* Theodoretus, Oecumenius tuentur, an praeferendum (probantibus Millio, Wettstenio, Griesb. Kopp. Knapp. Matthaei), quod codices multi, in quibus sunt praestantiores (Alexandr. Vatic. Ephraëmi rescriptus, Claremontanus), plures scholiorum auctores, itemque Theophylactus, Damascenus, Euthalius (et ipse Chrysostomus in hom. 44. ad Acta App.), inter lexicographos *Hesychius* et *Phavorinus* exhibent: ὁμειρόμενοι? Illud quidem ἱμείρεσθαι, *desiderio rei cuiusdam aut hominis flagrare*, deinde (teste Hesychio) simpliciter: *amare* (ἐρᾶν), quanquam in N. F. semel occurrit, probe tamen cognitum est scriptoribus graecis. *Polyb. 1, 66, 8. 4, 74, 3. Aristoph.* nubes v. 434. (plura laud. Wettsten. ad h. l.) Cfr. LXX. *Job. 3, 21. Symmach. Ps. 62, 2.* (utroque quidem l. eadem apparet lect. diversitas). Alterum quoque ὁμείρεσθαι apud Graecos exstitisse, etsi apud scriptores nobis cognitos non obveniat, colligere licet ex glossis *Hesychii* et *Phavorini* sub h. v. itemque *Photii* lex. p. 331. Codicum auctoritas suadet, ut ὁμειρόμενοι praeferatur, quum lectio

ἱμειρόμενοι facile vel ex permutatione litterarum, vel ex correctione vocabuli rarioris, librariis parum cogniti, enasci potuerit. Utrumque sententiam exhibet idoneam, quanquam omnino gravior magisque vivida apparet amoris intimi professio, si ὁμειρόμενοι legatur, et, Theophylacto praeeunte (cfr. *Photius* l. l.), ab ὁμοῦ et εἴρειν derivetur, i. q. *firmiter alicui adhaerere* (minus accurate *Hesych.* et *Phavor.* interpretati sunt: ἐπιθυμεῖν, quod recte vidit V. Fritzsche in excursu III. libri: evang. Marci recens. et cum commentt. perp. ed. Lipa. 1830. p. 792. sqq.). Tanto amoris adfectu se Thessalonicensibus suis, veluti alteri animae parti, adhaesisse et etiamnum adhaerere profitetur, ut nutricis instar liberos suos quovis pacto foventis et protegentis (immo, si fieri debeat, pro incolumitate eorum vitam ponentis), non modo doctrinam divinam iis largiri, hoc veluti lacte animos eorum perpetuo nutrire, sed etiam suam ipsius vitam totam eorum saluti consecrare paratissimus esset, εὐδοκοῦμεν μεταδοῦναι ὑμῖν etc. εὐδοκεῖν seq. infinitivo alius verbi i. q. facere aliquid velle, *lubenter facere*, admodum promtum paratumque esse, quo sensu et de consiliis Dei erga homines benevoli usurpatur, ad *Gal. 1, 15.* et de consiliis hominum, *Romm. 15, 26. II. Corr. 5, 8.* Non desunt exempla huius verbi apud *Polybium*, vd. Schweighaeuser *lexicon Polyb.* sub h. v. et *Diodorum Sic. 4, 22. 11, 47. 17, 47.* ubi modo cum praepos. ἐν sq. τινί, modo cum dativo rei coniungitur. Neque constructionem verbi μεταδιδόναι cum dativo personae et accusativo rei, quam quis alteri impertiatur, ab usu profanorum Graecine scriptorum abhorrere, ex *Xenoph.* Anab. C. l. 4 c. 5. §. 5. aliisque locis docuit Matthiae *ausführl. griech. Grammatik*, T. II. ed. II. p. 634. ex. Frequentius dicitur μεταδιδόναι τινὶ τινός. Sententia fere eadem prodit, sive ψυχὰς ἑαυτῶν (ubi ἑαυτῶν vices gerit personae I. pluralis ut saepius, vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 132. sq.) cum Koppio pro: *nosmet ipsos* acceperimus, ex usu satis cognito vocabuli ψυχή, hebr. נֶפֶשׁ, de homine ipso vivente adhibiti, *Actt. 2, 43. Romm. 13, 1.* sive vertamus: *vitam nostram*, quemadmodum ψυχή, ex eodem hebraismo, de vita

hominis terrestri dic. *Matth. 2, 20. Rom. 16, 4.* al. Profitetur quippe Apostolus, quam paratus sit ad omnes animi corporisque vires, studia sua, ipsam vitam (si fieri debeat) saluti Thessalonicensium tradendam. Cfr. *II. Corr. 12, 15.* [In promtu est, quae v. 8. legimus, pariter atque vbb. v. 11. ὡς πατὴρ etc. personae ipsius Pauli, Apostoli proprie dicti, magis esse accommodata, quam sociorum.] Addit denique, ut haec amoris sui erga Thessall. intimi testificatio in ipsorum laudem iustam vertatur: διότι etc. *propterea quod nobis cari facti estis.* Quod vulgo legitur γεγένησθε, recte vidit Censor *commentarii* Pelt. *Hallische Litter. Z.* N. 82. 1831. originem suam iis debere, qui εὐδοκοῦμεν tempus *praesens* existimaverint. Constat quippe, tempus *perfectum* de iis usurpari, quae tempore praeterito esse coeperint, sed *etiamnum perdurent* (vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 222.). Sed in promtu est, coll. v. 5. 7. 9. 10. Apostolum hoc loco docere, qualem se illo tempore exhibuerit Thessalonicensibus. Nexus igitur sermonis utique postulat, ut εὐδοκοῦμεν pro *imperfecto* habeatur (augmentum in eiusmodi verbis cum εὖ compositis frequentius omittitur, Buttmann ausführl. griech. Sprachlehre, Vol. I. p. 341.), ideoque lectio ἐγενήθητε (aor.) in textum recipiatur, auctoritate codd. praestantiorum.

Quam luculenta huius adfectus sui erga Thessall. vere paterni documenta ipsi experiundo cognoverint, amplius explicat Paulus.

V. 9—12. *Μνημονεύετε γάρ, ἀδελφοί, τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον· νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐργαζόμενοι, πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν, ἐκηρύξαμεν εἰς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ.* (v. 10.) *Ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ θεός, ὡς ὁσίως, καὶ δικαίως, καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν·* (v. 11.) *καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ παρακαλοῦντες ὑμᾶς, καὶ παραμυθούμενοι,* (v. 12.) *καὶ μαρτυρόμενοι, εἰς τὸ περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ θεοῦ, τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν.*

Persuasissimum habet, memores esse Thessall. (v. 9.) laboris ardui, quem sustinuerit, quum Thessalonicae esset, ut victum sibi (forsan et sociis in communionem eiusdem laboris venientibus) pararet, tentoriis fabricandis, ut Corinthi, *Actt. 18, 3.*, ne Christianis illis molestus esset stipendiis s. alimentis a coetu accipiendis. Vd. supra ad v. 7. observata et prolegg. §. 1. Notionem *laboris molesti* et κόπος (proprie: defatigatio, quae magnam virium intentionem sequitur) et μόχθος exprimit, *Jo. ev. 4, 38. I. Corr. 3, 8. II. Corr. 11, 27. Xenoph. Anab. 5, 8, 3. Sympos. 2, 4.* De *manuum* labore vb. ἐργάζεσθαι prae ceteris adhibetur, *Actt. 18, 3. I. Corr. 9, 6. II. Thess. 3, 10. 12. Plato republ.* l. 2. c. 12. in. p. 81. ed. Ast. *Xenoph. memorr. 1, 2, 57.* Additur subinde ταῖς χερσί, *I. Corr. 4, 12.* Quam assidua fuerit opera et indefessa, phrasis involvit *(I. Thess. 3, 10.)* νυκτὸς καὶ ἡμέρας. Ex antecedd. in textum vulg. irrepserat particula γὰρ post νυκτὸς, quae auctoritate codd. quorundam praestantiorum, praeeuntibus item pluribus verss. vett. Chrysostomo, Theophyl. Ambros. recte eliminatur. Noctu, inquit, et interdiu opus facientes ἐκηρύξαμεν etc. Etiam h. l. negamus, εἰς ὑμᾶς vel prorsus synonymum esse formulae ἐν ὑμῖν: inter vos, vel pro simplici ὑμῖν positum (cfr. ad c. 1. v. 5. observ.). Imo vim suam sibi propriam obtinet, sive *consilium* praedicationis indicet (nuntiavimus, *ut vobis inserviret*, vestra causa, doctrinam divinam laeta nuntiantem), seu *veluti locum*, ad quem pervenerit, in quem se insinuaverit, quem penetraverit κήρυγμα Pauli (animos Thessalonicensium), quo sensu posteriori *Marci* ev. 1, 39. in pluribus certe codd. praestantiorum, Griesbachio aliisque probantibus, phrasis leg. simillima κηρύσσειν εἰς τὰς συναγωγὰς. Quare, tradendo evangelio occupatus, eodem tempore, nisi dies sufficeret, horis nocturnis molesto manuum labori vacaverit, qui victui inserviret, verbis enuntiat interiectis πρὸς τὸ μὴ etc. De vb. ἐπιβαρεῖν, onus imponere, tum: aliis ullo modo esse molestum, vd. *II. Corr. 2, 5. Dionys. Halic. antiqq. Romm. 8, 72.* l. q. καταβαρεῖν *II. Corr. 12, 16.* Sententia eadem, iisdem propemodum verbis, exstat *II. Thess. 3, 8.* Huic docu-

mento, quo Paulus intimum suum erga Thessall. amorem, animumque ab omni lucri studio prorsus alienum palam exhibuerat, subiungit universam suae (et sociorum) pietatis morumque integritatis, quam illi experiundo cognoverint, commemorationem, ita quidem, ut non ipsos tantum testes appellet (siquidem homo ex factis tantum hominis, quid intus volvat, divinare potest) sed etiam Deum omniscium, animorum scrutatorem, V. 10. Ὑμεῖς μάρτυρες etc. Adverbia ὁσίως, δικαίως, ἀμέμπτως, significatu ita differunt, ut primum ὁσίως sit i. q. *pietati in Deum accommodate*, *religiose* (adverbium ἅπαξ λεγ. in N. F. quanquam adiectivum saepius occurrit, cfr. de adverb. *Sapient. 6, 10. Aelian.* Var. hist. 2, 31. al.); alterum δικαίως de iis dicatur, quae *erga homines iuste* fiant et agantur (*Luc. ev. 23, 41. Xenoph. memorr. 3, 5, 20.*), seu universe officiis conveniant, quae *hominibus* debemus, iustitiae proprie dictae, aequitati, amori, ad *Titum 2, 12*, ubi a σωφρόνως et εὐσεβῶς distinguitur, *Plat. Gorgias* sect. 79, p. 248. ed. Findeisen, ubi δικαίως cum ὁσίως coniungitur (cfr. *Aristoteles ethic.* l. 5. c. 1. qui δικαιοσύνην appellat ἀρετὴν πρὸς ἑτέρους); tertium denique ἀμέμπτως, *inculpate*, ita ut nulla sit conquerendi et vituperandi causa, *innocentiam animi morumque universe* complectatur, *I. Thess. 5, 23. Herodian. 6, 2, 1. 6, 9, 5.* Ceterum non negamus, δικαίως haud raro etiam sensu amplissimo usurpari, de iis, quae fiant, quemadmodum fieri debeat, i. q. *prouti par est*, *I. Corr. 15, 34.* De usu adverbii sequente vb. εἶναι s. γίνεσθαι notionem praedicati exprimentis (h. l. ὡς ὁσίως — ἐγενήθ. pro: ὡς ὅσιοι etc.) vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik* T. II. ed. II. p. 613. Πιστεύοντας dici Christo addictos ad c. 1. v. 7. docuimus. Hanc animi integritatem ex eo potissimum apparuisse ostendit, quod nihil antiquius haberet strenua muneris sui apostolici administratione, qua Thessalonicenses persuasione et virtute Deo probata imbueret, aptosque redderet consortio regni divini. Iterum patet, quam lubenter Apostolus caritatem intimam verbis explicuerit, qua Thessalonicenses complecteretur. V. 11. 12. Constructionis verborum ὡς ἕνα ἕκαστον — παρακαλοῦντες etc. recte

expedicndae praesidium quidem adferre videtur versus 10. (post quem non plene, sed semicolo interpungendum), ut vel cum Wolfio aliisque tacite repetatur ἐγενήθημεν, vel cum Beza, Grotio, Flattio suppleatur, quod ex ἐγενηθ. facile eruitur, verbum ἤμεν. Qua ratione probata pronomen ὑμᾶς post παρακαλοῦντες redundare existimandum est, cuius repetitionis pronominum exempla non deesse apud scriptores Graecos profanos docuit Blakwall in *classicis sacris* T. I. p. 66. T. II. p. 138. cfr. Weiskii liber: *pleonasmi graeci* Lips. 1807. p. 71. sq. Ingenue tamen profiteor, haud parum me esse proclivem ad coniecturam admittendam (cui *similem* V. Pelt ad h. l. proposuit), verbum, quod notionem curandi, s. tractandi, s. educandi exprimeret, a quo deinde participia παρακαλοῦντες, παραμυθούμενοι, μαρτυρόμενοι regerentur, vel in primis codd. textu excidisse, vel ab ipso Apostolo scribae verba praeeunte omissum esse. Vidimus Paulum supra v. 7. suum amoris erga Thessall. adfectum, *quatenus ipsum mitem redderet ac benignum* (ἤπιον), ita describentem, ut *nutrici* (*matri*) se compararet liberos cura tenerrima foventi. At v. 11. ubi eundem amorem profitetur, *quatenus eum probaverit doctoris morumque emendatoris partibus strenue gerendis*, non potuit metaphora usurpari naturae rei aptior, quam *patris*, liberos sapienter ac benevole educantis. *Siquidem* (inquit) *nostis*, *quomodo* (quanto studio) *singulos vestrum* (εἷς ἕκαστος i. q. unusquisque, nemine omisso, *Acll. 20, 31. Ephes. 4, 16.* locutio bene graeca) *curaverim* s. *tractaverim* (tale quid addendum existimamus), *quum*, *tanquam liberos pater*, *vos admonerem* etc. Παρακαλεῖν constat de *admonentibus* pariter dici (v. c. *II. Corr. 5, 20. Romn. 12, 8.* ubi a διδάσκειν distinguitur) atque de *consolantibus*, animum erigentibus et corroborantibus, v. c. *II. Corr. 1, 4. I. Thess. 4, 18. al.* Παραμυθεῖσθαι, proprie: blande alloqui, sive admonendi, sive consolandi causa fiat, cfr. *Homeri Il. l. 9. v. 684. l. 11. v. 417. Aelian. Var. Hist.* l. 12. c. 1. ex. in libris N. F. notionem *consolandi* obtinet, *Jo. ev. 11, 19. 31. I. Thess. 5, 14.* Utrumque verbum significatu suo nexui huius loci prebe accommodatum est. Non item tertium

(secundum lect. vulg.) μαρτυρεῖσθαι, quum μαρτυρεῖν, huiusque vb. forma media de iis usurpetur, qui *testes prodeant*, *testimonium exhibeant* (vario sensu). Adfirmant vulgo interpretes huius loci, μαρτυρεῖσθαι interdum (etsi rarius) potestatem induisse verbi μαρτύρεσθαι s. διαμαρτύρεσθαι, (*Actt. 20, 21. Ephess. 4, 17. I. Tim. 5, 21. II. Tim. 2, 14. 4, 1.*), huic loco egregie convenientem: obtestari aliquem, obsecrare, graviter admonere. Sed, quanquam negari non potest, verba μαρτύρεσθαι et διαμάρτ. praeter notionem *obtestandi*, locis modo laudd. comprobatam, interdum eandem *testandi*, sancte adfirmandi potestatem obtinuisse, quae verbo μαρτυρεῖν et μαρτυρεῖσθαι inhaereret (*Actt. 20, 26. Gal. 5, 3. Lucae ev. 16, 28. al.*), exempla tamen deficiunt, quae probent, *vice versa* μαρτυρεῖσθαι cum μαρτύρεσθαι (sensu obtestandi s. obsecrandi) permutatum esse. Loco enim LXX. *Genes. 43, 3.* nihil impedit, quo minus vertatur: sancte, graviter adfirmavit. Proinde a lectione vulgata textus Paulini h. l. discedendum existimavimus, scribendumque cum Matthaeio μαρτυρόμενοι, quod in cod. Claremontano (ex emendatione quidem), cod. Sangermanensi, aliisque pluribus apud Griesb. et Matth. laudatis, itemque apud Chrysost. homilia III. in I. ep. *Thess.* Oecumenium in *comment.* et Damascenum legitur. Sententia universa: quovis modo operam dedi animis vestris ad pietatem et honestatem Deo probatam impellendis et excitandis, sic enuntiatur, ut Apostolus profiteatur, se hoc fecisse *admonendis* s. *edocendis* Christianis de officio (παραλαλοῦντες, quippe quod pluribus locis etiam docendi notionem complectitur, *Luc. ev. 3, 18.* cfr. quod supra legeb. παράκλησις c. 2, v. 3.), *alloquio blando animis recreandis et erigendis inserviente* (παραμυθούμενοι), *obtestatione, quae animos graviter percelleret* (μαρτυρόμενοι). Consilium vero et effectus admonitionis vbb. profertur seqq. εἰς τὸ περιπατῆσαι etc. *ut vitam ageretis dignam Deo, vos ad regnum suum et gloriam invitante.* Constat περιπατεῖν in sermone N. F. (*Romm. 6, 4. II. Corr. 9, 2.* aliisque locis a Peltio ad h l. abunde laudd.) de ratione dici vitae instituendae, in V. et N. F. cum *via* conferri

solita, quae vel ad salutem vel ad pernitiem ducit, *Romm. 3, 16. Jacobi 1, 8. Ps. 15, 2. Proverbb. 28, 18. Job. 23, 10. al.* Lectio vulgata περιπατῆσαι, cuius loco plures codd. in iisque omnino praestantiores quidam exhibent περιπατεῖν, recte defenditur ex lege notissima, qua aoristus saepenumero continuationem exprimit, ita ut etiam tempus praesens involvat. Vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik* ed. II. Vol. II. p. 960. Vitam agere dicuntur eo modo, qui *dignus* sit Deo s. Domino (*Coloss. 1, 10.*), qui vitam instituunt piam et honestam, qualem exigat decretum sanctum et benignissimum Dei homines per Jesum Christum in aeternum salvos fieri volentis, vitam huic vocationi coelesti accommodatam, *Ephess. 4, 1. Philipp. 1, 27.* Hanc enim sententiam animo Pauli obversatam esse verba ostendunt de Deo addita τοῦ καλοῦντος etc. Frequens est in scriptis Apostoll. formula sollennis, qua Deus praedicatur καλῶν (invitans) homines per doctrinam vitamque Jesu Christi ad consortium regni divini, i. e. societatis et conditionis beatae aeternum futurae hominum, qui per Christum, impio duro erroris gravissimi et vitiositatis exemti, Deo vere recte cognoscendo et colendo consecrati sunt. *Ephess. 4, 1. 4. Colos. 3, 15. II. Thess. 2, 14. I. Petri 5, 10.* Respicit quippe formula illa ad imaginem epularum, quibuscum felicitas regni divini comparatur, *Matth. 8, 11. 22, 1—14.* Vd. Pott *exercitus II. ad epp. Petri.* Denique βασιλείαν καὶ δόξαν Benson, Bolten, Koppe, alii idem esse voluerunt q. βασιλείαν ἔνδοξον s. δοξαστὴν, *regnum illustre, gloria conspicuum*, ex more haud incognito, duo substantiva ita conjungendi, ut posterius, si sensum spectaveris, vim habeat praedicati, vd. Storr *observatt. ad anal. et syntaxin hebr. p. 241.* Necessariam quidem hanc rationem haud existimaverim. Licet enim vocabulo δόξαν vim substantivi propriam vindicare, ut priori βασιλείαν explicando magisque illustrando inserviat, sive vertatur: *et (ad) maiestatem suam* s. *gloriam* (quo sensu δόξα frequenter in N. F. Deo tribuitur, hebr. כָּבוֹד, *II. Corr. 4, 6. 15. Romm. 1, 23. 15, 7.*), quippe quae eximie pateflet in regno Dei futuro, sive: *et (ad) felicitatem gloriosam*, regni div. consortio vobis futuram, de quo usu voc. δόξα cfr. *Jo.*

(secundum lect. vulg.) μαρτυρεῖσθαι, quum μαρτυρ huiusque vb. forma media de iis usurpetur, qui *testes pr eant, testimonium exhibeant* (vario sensu). Adfirmant vi interpretes huius loci, μαρτυρεῖσθαι interdum (etsi rar potestatem induisse verbi μαρτύρεσθαι s. διαμαρτύ σθαι, (*Actt. 20, 21. Ephes. 4, 17. I. Tim. 5, 21. II. 2, 14. 4, 1.*), huic loco egregie convenientem: obtestari quem, obsecrare, graviter admonere. Sed, quanquam n non potest, verba μαρτύρεσθαι et διαμάρτ. pr notionem *obtestandi*, locis modo laudd. comprobatam, inte etiam eandem *testandi*, sancte adfirmandi potestatem obtin quae verbo μαρτυρεῖν et μαρτυρεῖσθαι inha (*Actt. 20, 26. Gal. 5, 3. Lucae ev. 16, 28. al.*), exempl men deficiunt, quae probent, *vice versa* μαρτυρεῖσθαι μαρτύρεσθαι (sensu obtestandi s. obsecrandi) permutatum Loco enim LXX. *Genes. 43, 3.* nihil impedit, quo minus tatur: sancte, graviter adfirmavit. Proinde a lectione gata textus Paulini h. l. discedendum existimavimus, sc dumque cum Matthaeio μαρτυρόμενοι, quod h Claremontano (ex emendatione quidem), cod. Sangerm aliisque pluribus apud Griesb. et Matth. laudatis, itemqu Chrysost. homilia III. in I. ep. *Thess.* Oecumeni *comment.* et Damascenum legitur. Sententia universa: modo operam dedi animis vestris ad pietatem et hon Deo probatam impellendis et excitandis, sic enuntiatur, v stolus profiteatur, se hoc fecisse *admonendis* s. ed Christianis de officio (παραπαλοῦντες, quippe quod pluri cis etiam docendi notionem complectitur, *Luc. ev. 3,* quod supra legeb. παράκλησις c. 2, v. 3.), *alloquio animis recreandis et erigendis inserviente* (παραμυ νοι), *obtestatione, quae animos graviter percelleret* (ρόμενοι). Consilium vero et effectus admonitionis vi fertur seqq. εἰς τὸ περιπατῆσαι etc. *ut vitam digna Deo, vos ad regnum suum et gloriam invitant* stat περιπατεῖν in sermone N. F. (*Romn. 6, 4. 9, 2.* aliisque locis a Peltio ad h l. abunde laudd.) tione dici vitae instituendae, in V. et N. F. cum via

pus vel ad salutem vel ad gaudium dari. Rom. 3, ruli 1,6. Ps. 15, 2. Proverb. 25, 13. Jud. 22. 19. al. vulgata ἐφαπαξ. enim loco plures codd. in unio praestantiores quidem exhibent ἐφάπαξ, recte ir ex lege notissima, qua saepius ἐφάπαξ semel certi- m exprimit, ita ut eâdem tempus praesens involvat. Vd. ius *ausführl. griech. Grammatik* ed. II. Vol. II. p. 960. agere dicuntur eo modo, qui *dignus* sit Deo s. Domino 1, 10.), qui vitam instituunt piam et honestam, qua- igat decretum sanctum et benignissimum Dei homines am Christum in aeternum salvos fieri volentis, vitam vationi coelesti accommodatam, *Ephes. 4, 1. Philipp. 1,* hunc enim sententiam animo Pauli obversatam esse verba ni de Deo addita τοῦ καλοῦντος etc. Frequens criptis Apostoll. formula sollemnis, qua Deus praedica- ntium (invitans) homines per doctrinam vitamque Jesu id consortium regni divini, i. e. societatis et conditio- aeternum futurae hominum, qui per Christum, im- ri erroris gravissimi et viticositatis exemti, Deo vero rescendo et colendo consecrati sunt. *Ephes. 4, 1. 4. 1. 15. II. Thess. 2, 14. I. Petri 5, 10.* Respicit quippe ia ad imaginem epularum, quibuscum felicitas regni repraesentatur, *Matth. 8, 11. 22, 1 — 14.* Vd. Pott *ex-* II ad *epp. Petri.* Denique βασιλείαν καὶ δό- ξαν, Bolten, Koppe, alii idem esse voluerunt q. δόξαν s. δοξασυὴν, *regnum illustre, gloria con-* a mere haud incognito, duo substantiva ita con- i posterius, si sensum spectaveris, vim habeat prae- i Storr *observatt. ad anal. et syntaxin hebr. p. 241.* quidem hanc rationem haud existimaverim. Licet δόξα vim substantivi proprium vindicare, ut explicando magisque illustrando inserviat, sive ad (ad) *amicitiam suam* s. *gloriam* (quo sensu in N. F. Deo tribuitur, hebr. כָּבוֹד, *II. Corr.* Rom. 1, 22. *16, 7.*), quippe quae eximie patefiat Dei sive: *et (ad) felicitatem gloriosam*, regni vitae futurae, de quo usu voc. δόξα cfr. *Jo.*

ev. 17, 22. I. Corr. 2, 7. II. Corr. 3, 18. Coloss. 3, 4. al. Ceterum, quicunque accuratius edoceri cupiat de notione integra regni divini futuri, eiusque beneficiorum, adeat Storrii *opusce. acadd.* Vol. I. p. 253. sqq. Keilii *opp. acadd. ed.* Goldhorn sect. I. p. 22. sqq. Fleckii *librum exegetico — historicum de regno divino*, Lips. 1829. praesertim p. 429. sqq.

Redit Apostolus ad gratias Numini Summo agendas (vd. c. 1. v. 2. sqq.) pro efficientia saluberrima, quam praedicatio doctrinae divinae in animos Thessalonicensium exseruerit, laudesque celebrandas (c. 1. v. 6. sqq.) horum Christianorum.

V. 13 — 16. *Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ ἀδιαλείπτως, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ, ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον θεοῦ, ὅς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν.* (v. 14.) *Ὑμεῖς γὰρ μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοί, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων,* (v. 15.) *τῶν καὶ τὸν κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας, καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, καὶ θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων,* (v. 16.) *κωλυόντων ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσιν λαλῆσαι ἵνα σωθῶσιν, εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε. ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος.*

Διὰ τοῦτο satis commode versum 13. antecedentibus connectit, siquidem illud *εἰς τὸ περιπατῆσαι* v. 12. praeter consilium effectum quoque admonitionis involvebat. Quum haec, inquit, opera in animis vestris ad vitam divina invitatione dignam impellendis minime frustra fuerit collocata, quum vos eiusmodi vitam exhibueritis, *ego vicissim* cum sociis *Deo gratias ago assiduas*, *ὅτι παραλαβόντες* etc. *παραλαμβάνειν* a seq. *δέχεσθαι* ita differt, ut prius significet: doctrinam s. admonitionem *auditam percipere et cognoscere*, ad *Gal. 1, 9. I. Corr. 15, 1. 3. I. Thessall. 4, 1.* cfr. Krause comment. ad *I. Corr. 11, 23.* posterius: *toto animo eam agnoscere veram et rectam, probare, Matth. 11, 14. II. Corr. 8*

17. Thucyd. 4, 16. al. ἀκοή in hac orationis serie dic. *quod audiendo percipitur*, oratio ipsa s. institutio, Jo. ev. 12, 38. Romm. 10, 16. unde λόγος ἀκοῆς l. q. λόγος ἀκουσθείς, Hebrr. 4, 2. (cfr. נִפְלְאֹתֶיךָ Jes. 53, 1. שְׁמוּעָה — קוֹל Jerem. 10, 22.). Nolim cum V. Peltio existimare, Theophylacto praeeunte, huic formulae simul hoc inesse, ut eadem doctrina *accepta* sit ab audientibus (probata). Locis enim modo laudatis N. F. ἀκοή manifesto distinguitur a πίστει. Immo vbb. ἀκοῆς παρ' ἡμῶν constructione propius cohaerent, ἀκοή nihil nisi percipiendi notionem exprimit, totumque λόγος ἀκοῆς παρ' ἡμῶν respondet formulae seq. λόγος ἀνθρώπων. Verissime Oecumenius: παρ' ἡμῶν μὲν παρελάβετε, οὐχ' ἡμέτερον δὲ ὄντα, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ τὸν λόγον, sive: ἐδέξασθε, οὐχ' ὡς λόγον ἀνθρώπων (de qua ellipsi voc. ὡς cfr. Lamb. Bos *ellips. graecae ed.* Schaefer. p. 781. sqq.) ἀλλ' ὡς λόγον θεοῦ, καθὼς ἔστι καὶ πρέπει δέχεσθαι λόγον θεοῦ, μετὰ φόβου, μετὰ προσοχῆς. Sententia: *proinde vicissim Deo gratias agimus perpetuas, quod, quum doctrinam divinam* (λόγον τοῦ θεοῦ), *auditam* s. *perceptam ex nobis* (nostra praedicatione), *accepissetis, eam non receperitis* (agnoveritis) *tanquam solam hominum doctrinam*, cuius nos fuerimus auctores (quanquam nostra, hominum, praedicatione ad vos audiendo pervenit), *sed, prouti re vera se habet, tanquam doctrinam Dei, quae inter vos, fidem* (Christo) *habentes efficax redditur*, ὃς καὶ ἐνεργεῖται etc. In diversas quidem partes de eo abeunt interpretes, utrum ὅς ad λόγον referendum sit (Ambros. Oecum. Theophyl. Grotius, Erasmus, Pelt, alii), an ad subiectum θεοῦ (Theodoretus, inter recentt. Storr, Flatt, Koppe, al.), ut Deus ipse in iis vim suam potentissime dicatur exserere, vel, quod plures voluerunt, σημείοις efficiendis, vel eo, quod perpetuo increscant religione et virtute, vel omnino iis omnibus, quae dici solent spiritus divini χαρίσματα. Qui posterius defendunt, ad loca provocant *Philipp. 2, 13. I. Corr. 12, 6. Gal. 3, 5. Ephes. 1, 11.* Attamen his locis leg. *activum* ἐνεργεῖ, et insuper additur, *quid* Deus operetur, s. efficax reddat. Neque demonstratum est, ἐνεργεῖσθαι in N. F.

formam esse *medii* sensu *activo* positam. Quoties occurrit, apud Paulum certe, recte tenetur significe. *passiva: efficacem reddi* s. *fieri*. Cfr. Jo. Schulthessii observata: *neues krit. Journal der theol. Litter. von* Winer *und* Engelhardt, 1. B. 3. St. p. 261. sq. Ita etiam h. l. doctrina divina in Thessalonicensibus fidem habentibus (propterea, quod fidem habent evangelio) non solam cogitationem sive memoriam agitare et exercere, sed etiam (*καὶ*) efficax reddi, in vitam et facta transire, fruges ferre *(II. Petri 1, 8.)* dicitur. His egregie cohaerent vbb. seqq. quae documenta huius efficientiae praedicant. V. 14. Quo sensu Thessalonicenses *μιμηταὶ*, *imitatores, exstiterint coetuum Deo sacrorum in Judaea versantium, qui Jesu Christo sint addicti* (cfr. de form. *εἶναι ἐν Χριστῷ* ad c. 1. v. 1. observata), ex seqq. patet *ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε* etc.: *quum vos a popularibus vestris eadem silis perpessi, quae illi a Judaeis.* Vbb. *τὰ αὐτὰ*, quam scripturam auctoritate codicum praestantiorum, itemque Chrysostomi, Oecum. Theodor. Theophyl. pro vulg. *ταὐτὰ* Griesbach., Knapp, Matthaei receperunt (cfr. *Lucae ev. 6, 23. 26. 17, 30.* ubi codd. inter *ταῦτα* et *ταὐτὰ* similiter fluctuant), ad vocab. *καθώς* in membro seq. *pro ἅ positum* eodem modo referuntur, quo apud profanos Graeciae auctores subinde *τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ* pro *τὸν α. τρ. ὅνπερ* et similia legg. Vd. Lobeck ad *Phrynichi eclogas nominum et verb. att.* p. 426. sq. De iis, quae coetus Christiani, et Hierosolymis et in aliis urbibus Judaeae atque Samariae pridem colleti *(Actt. 2, 41. sq. 8, 4. sq. 11, 19.)*, perpessi fuerint a Judaeis, qui et ipsi eos persequerentur, et magistratibus eos suspectos et invisos redderent, ab ipso etiam Herode Agrippa, cfr. *Acta* c. 8. in. c. 9. in. c. 11, 19. c. 12. in. Quemadmodum hi coetus Judaici non desierant inter vexationes gravissimas doctrinae evangelii fidem praestare et obsequium, ita etiam Thessalonicenses constanter sese gesserant, eadem perpessi a popularibus suis, *ethnicis Actt. 17, 5 — 8.* Quanquam Judaei utique auctores fuerant turbarum Thessalonicae contra Christianos motarum, in his tamen exteris regionibus Judaei (quod verissime observ. Pelt ad h. l.) non ipsi manum in-

ferre Christianis, sed Ethnicos tantum (plebem et magistratum) ad eos vexandos impellere potuerunt. Vocab. *συμφυλέτης ἅπαξ λεγόμ.* in N. F. proprie: ex eadem tribu oriundus, sensu latiori: popularis, qui eiusdem est gentis s. nationis (*ὁμοέθνος* teste *Hesych.*) apud Grammaticos vett. ad graecitatem refertur seriorem, vd. Lobeck ad *Phrynichum* p. 172. 471. H. l. *Ethnicos* dicl *συμφυλέτας* Thessalonicensium, quorum coetus ex *paganis* potissimum esset collectus (vd. prolegomm. §. 1. 2.) praedicatum docet *ἰδίων* i. q. *ὑμετέρων, qui ad vos pertinent*, non ad Judaeos h. l. Ethnicis manifesto oppositos, quemadmodum *ἰδία πόλις* dic. *Matth. 9, 1.* et *οἱ ἴδιοι Jo. x. 1, 11.* Quum vexationes, quibus Christiani illo tempore obnoxii essent, plerumque Judaeos haberent *auctores*, mirum videri non potest, quod Apostolus amplius commoratus fuerit in describenda perversitate summa et veluti hereditaria Judaeorum, qui veritatem divinam odio habuerint. V. 15. *τῶν καὶ τὸν κύριον* etc. In his vulgo: *καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας*. Suspectum habuerunt praedic. *ἰδίους* Mill. Griesb. Knapp, Pelt, Lachmann, alii. Desideratur quippe in pluribus codd. in quibus sunt Alex. Vatic. Claremont. Sangerman. Augiensis, in nonnullis versionum vett. et apud *Origenem* et *Ambros.* Adfirmat insuper Tertull. contra Marc. l. 5. c. 15. Marcionem hoc *ἰδίους* textui adiecisse, quo doceretur, prophetas Judaeorum nihil pertinere ad rem Christianam. Utrum hoc Tertull. coniectura sola assequutus fuerit, an aliunde compertum habuerit, ignoramus. Equidem hoc praedicatum, testimoniorum auctoritate haud destitutum, servandum putaverim, quum partim errore librariorum, ex anteced. *τοὺς* oriundo, omitti facile potuerit, partim h. l. emphasin habeat; cfr. quae supra de voc. *ἴδιος* ad v. 14. observata sunt. Ne quis ad excusandos hos Judaeos, qui adeo Dominum Jesum interfecissent, diceret, abreptos fuisse fervore ex ignorantia summa profecto, quum Jesum non agnoscerent verum Messiam (*suum* non haberent), addebat Apostolus (quod Chrysost. Oecum. Theophyl. recte viderunt), Judaeos *adeo suos* vates divinos, quos haberent *suos* et suae religionis doctores agnoscerent, quorum oracula sacro eorum codice comprehenderentur, interfecisse.

Cfr. *Matth. 5, 12. 23, 31. 37. Luc. 6, 23. 11, 47. sq. 13, 34. Actt. 7, 52.* et, quae in V. T. exstant, testimonia *I. Regg. 19, 10. 14. Jerem. 2, 30. Nehem. 9, 26.* Transit deinde oratio Pauli ab eventis praeteritis ad saeculum praesens, quo Judaei ipso Apostolo aliisque evangelii doctoribus infestandis (*II. Corr. 11, 24. sq.*) idem veritatis divinae odium declaraverint, et etiamnum prodere pergant, καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων ubi ἐκδιωξ. gravius dicitur, quam διωξ. *Luc. 11, 49. Sirac. 30, 19.* Ex his vero omnibus sequebatur, ut *Deo*, veritatis, iustitiae, honestatis vindici sanctissimo, quo auctore illi, ad homines legati, doctores prodiissent, *invisi essent.* Hoc enim sensu, quem Benson, Baumgarten, Pelt, alii recte intellexerunt, dico. θεῷ μὴ ἀρέσκοντες, pr. qui Deo displicent, per μείωσιν i. q. θεοστυγεῖς, iidem, qui gentem suam praedicare solent Deo prae ceteris dilectam, et olim omnino favorem divinum singulari modo experti fuerant. Quod alii interpretes (v. c. Krause, Koppe, Flatt) inesse censuerunt: *qui Deo non probari student* (de qua potestate vb. ἀρέσκειν c. 2. v. 4. vid.), in hac orationis serie profecto frigidius appareret, quum *graviora* praecessissent: τῶν καὶ τὸν κύριον etc: Qui Deo invisi recte dicuntur, utique eiusmodi sunt homines, qui non probari studeant Numini Summo, immo sentiendi agendique rationem sequantur voluntati Dei homines omnes salvos fieri cupientis oppositam. Proinde haec notionum series sponte adducebat eiusmodi antithesin: καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων, *qui omnibus hominibus sunt contrarii.* Constat, Judaeos vulgo aliarum gentium homines contemtui et odio habuisse. *Tacitus* hist. V, 5. *Juvenalis sat. 14. v. 103. sqq. Diod. Sic. l. 34. p. 524. Philostr. Apollon. V, 33. Joseph. contra App. II, 14.* Attamen vbb. seqq. ostendunt (cfr. inter vett. Chrysost. et Theodor.) Paulum h. l. ea potissimum de causa Judaeos sic appellasse, quod, praedicationem evangelii quovis pacto impedienda, saluti verae hominum, totius generis humani, adversarentur, v. 16. κωλυόντων ἡμᾶς etc.: *qui nos impedire student*, contradicendo, calumniando, libertati nostrae et vitae insidiando (*Actt. 9, 23. sqq. 13, 45. 17, 5. 13. 22, 22. al.*) *quo minus ad gentiles loquamur*

(sic λαλεῖν de docentibus *Actt. 10, 22. Ephess. 6, 20.*) *quo salvi reddantur.* Trita est haec potestas vb. σώζεσθαι de iis, qui fide Jesu Christo habenda ad salutem regni divini perveniunt, i. q. ἔχειν ζωὴν αἰώνιον, *Jo. ev. 3, 17. Actt. 2, 21. 47. Romm. 11, 14. I. Corr. 1, 18. 21. al.* Paulum, Apostolum praecipue τῶν ἐθνῶν (ad *Gal. 2, 7. sq.*) id maxime invisum reddebat Judaeis, quod ethnicis salutem nuntiabat regni divini, quippe quam Judaei vulgo negabant ad alias gentes pertinere. De exitu, quem illa Judaeorum perversitas et improbitas v. 15. 16. descripta habitura sit, haec add. εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι etc. Peccata sua, s. veluti mensuram peccatorum *implere* dicuntur ex usu loquendi hebraico, qui, poenae securi, clementia divina abusi, delinquere pergunt, donec poena nequeat amplius evitari aut differri. *Genes. 15, 16. LXX. II. Maccabb. 6, 14. Matth. 23, 32.* Rationes grammaticas permittere, ut εἰς seq. infinitivo cum articulo de effectu sive eventu necessario intelligatur (*quo fit, ut peccatorum suorum impleant mensuram*) alia docent loca N. F. *II. Corr. 8, 6. Hebrr. 11, 3.* Vid. Matthiae *ausführl. griech.* Gramm. ed. II. Vol. II. p. 1145. Sin usitatam *consilii* significationem praepositioni εἰς vindicare malueris, oratio Pauli ironiae quandam habere existimanda est: *tanquam si hoc maxime agant, ut mensura impleatur peccatorum.* Oecumenius ad h. l.: οἷον ὅτι, ὥσπερ χρηστεύονται ἁμαρτάνειν, οὕτως ἤμαρτον. Non sine vi quadam ultimo loco vocabulum πάντοτε (continuo) ponitur, pervicaciae summae eorum, qui nullam admittant μετάνοιαν, declarandae inserviens. Attamen *mox* impletum iri illam peccatorum mensuram, quae Judaeos poenae gravissimae obnoxios reddat, adfirmat Apostolus (quo solatio insuper erigat Christianos vexationibus adflictos) vbb. ἔφθασε δὲ etc. φθάνειν τινα dicc. qui praeveniunt, *antevertunt* aliquem, v. c. *I. Thessall. 4, 15.* Plutarch. T. VIII. p. 181. ed. Hutt. Quae quidem notio antevertendi, *citius veniendi*, i. e. vel opinione aliorum citius, i. omnino praeter opinionem, vel ante alios, eiusmodi quoque locis omnibus huic verbo adhaeret, ubi φθάνειν ἄχρι τινος, εἴς τι s. τινα, ἐπί τινα, πρός τι legitur, sive

de personis, seu de rebus adhibeatur. Cfr. *Matth. 12, 28. (Luc. 11, 20.): si per vim divinam daemones eiicio, patet, iam ad vos* (ἐφ' ὑμᾶς) *citius* opinione vestra, Pharisaei, *perventisse regnum divinum. Romn. 9, 31.: Israelitae legem Mosaicam persequuti*, legis studiosissimi, *qua Deo probati fieri vellent, non anteverterunt* (Ethnicos, qui v. 30. dicebantur, etsi nullam eiusmodi legem, qualem Judaei, haberent, cuius observationi favorem divinum adnecterent, tamen conditionem hominum Deo probatorum ex fide Christo habita oriundam adsequuti esse) *veniendo ad legem s. doctrinam, qua Deo probati reddimur* (ubi plus cogitatur quam dicitur, Judaeos permultos propter suam ipsorum pertinaciam expertes mansisse beneficiorum evangelii, dum Ethnicorum permulti, fide Christo habenda, civitatis divinae participes redderentur). *II. Corr. 10, 14.: utique ad vos*, ἄχρι ὑμῶν, Corinthii, *cum doctrina Christi laeta nuntiante pervenі antevertendo* alios doctores (constat, Paulum *auctorem* fuisse coetus Corinthiaci, eumque eiusmodi potissimum loca adiisse, quibus alii doctores doctrinam salutarem nondum praedicassent, v. 15. 16. add. Romn. 15, 20.) *Philipp. 3, 16.: eam cognitionem, ad quam nos pervenimus antevertendo* (alios, qui minus cognoscendo profecerunt, qui nondum sunt τέλειοι v. 15.), *uno ordine sequamur.* Add. LXX. *Eccles. 8, 14. Daniel. 7, 22.* Nunquam *sola* perveniendi ad aliquem locum (s. scopum, s. hominem), vel superveniendi notio vb. φθάνειν simpliciter exprimitur. Quod locum nostrum attinet, de *poena divina* sermo est (cfr. de ὀργὴ ad 1, 10. observv.), *Judaeos vel citius, quam exspectaverint, vel omnino praeter opinionem eorum superveniente*, quam poenam iis destinatam esse et a vatibus sacris praedictam, προωρισμένην καὶ προφητευομένην (ut Chrysost. ad h. l. observat), articulus indicare videtur. De phrasi εἰς τέλος diversimode disputatur. Etenim, qui propius haec coniungunt cum subst. ὀργὴ (suppl. οὖσα), vel *gravitatem*, vel *perpetuitatem* huius supplicii indicari existimant. Quodsi prius cum Grotio, Flattio, Peltio, aliisque praetuleris, *poena* describitur, *quae valeat ad internecionem*, sive nonnisi cum interitu eorum cessatura, לְכָלָה

sive עַד־קֵץ, *II. Chronn. 12, 12. Josuae c. 8, 24. 10, 20. Daniel. 9, 27. Numerr. 17, 13.* Constat, τέλος cum universe de fine rei cuiusdam usurpari tum de exitu vitae hominis. Sin posterius praeferatur, praeeuntibus antiquis interpretibus, Chrysostomo, Theophylacto (οὐκέτι, ὥσπερ πρότερον, ἐπάνοδος ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ κατάσχεσις γῆς, ἀλλ' ἄχρι τέλους, οὕτως αὐτοῖς μενεῖ ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ), Oecumenio, Theodoreto, inter recentiores Bensono et aliis, *poena* nuntiatur, *quae duratura sit ad finem usque huius saeculi*, quemadmodum ἕως τέλους *I. Corr. 1, 8.* et ἄχρι τέλους *Apocal. 2, 26.* (τέλος i. q. συντέλεια τοῦ αἰῶνος, *Matth. 24, 6. I. Corr. 15, 24.*). Nisi malueris, ratione nulla habita notionis huius saeculi, simpliciter vertere: *perpetuo* futura, *Luc. 18, 5.* Utramque interpretationem loquendi usus admittit, quum praepos. εἰς pariter de re adhibeatur, in quam aliquid spectet s. tendat, *Romn. 6, 22. 10, 1.* atque de *termino temporis*, ad quem usque res futura sit, *Matth. 10, 22. Philipp. 1, 10. al.* Qui vbb. εἰς τέλος cum ἔφθασε propius nectunt (cfr. Bolten ad h. l. Wahl *Clavis N. T.* ed. II. T. II. p. 544.), adverbialiter posita dicunt, i. q. *postremo*, s. *denique*, *tandem*, loquendi usu, quantum equidem video, minus favente, quum locis hanc in rem laudatis non εἰς τέλος sed simplic. τέλος s. τὸ τέλος (suppl. κατὰ) obveniat, ut *I. Petri 3, 8.* ubi τὸ τέλος i. q. denique, ut omnia complectar, et *Xenoph. memorabb. 2, 7. §. 12.* et loco *Lucae* supra l. 18, 5. εἰς τέλος rectius vertatur: perpetuo, ad finem usque vitae. Sive nostrum εἰς τέλος de gravitate summa, sive de perpetuitate poenae interpretari malueris, utroque modo Apostolus vel calamitatem gravissimam toti Judaeorum civitati tum temporis prope instantem (dispersionem populi, interitumque reipublicae, nunquam reparandum), vel perniciem summam, miseriam aeternam, post reditum Christi (qui Paulo haud ita procul remotus videbatur) improbis omnibus imminentem, vel utrumque in mente habere potuit. Ceterum emphasin habet *aoristus* ἔφθασε ex more haud incognito, in eiusmodi potissimum sermone, cuius indoles est prophetica, de rebus, quae decreto divino *certo* constitutae sunt, et *prope* instant, tanquam si iam apparuerint,

(secundum lect. vulg.) μαρτυρεῖσθαι, quum μαρτυρεῖν, huiusque vb. forma media de iis usurpetur, qui *testes prodeant, testimonium exhibeant* (vario sensu). Adfirmant vulgo interpretes huius loci, μαρτυρεῖσθαι interdum (etsi rarius) potestatem induisse verbi μαρτύρεσθαι s. διαμαρτύρεσθαι, (*Actt. 20, 21. Ephes. 4, 17. I. Tim. 5, 21. II. Tim. 2, 14. 4, 1.*), huic loco egregie convenientem: obtestari aliquem, obsecrare, graviter admonere. Sed, quanquam negari non potest, verba μαρτύρεσθαι et διαμάρτ. praeter notionem *obtestandi*, locis modo laudd. comprobatam, interdum etiam eandem *testandi*, sancte adfirmandi potestatem obtinuisse, quae verbo μαρτυρεῖν et μαρτυρεῖσθαι inhaereret (*Actt. 20, 26. Gal. 5, 3. Lucae ev. 16, 28. al.*), exempla tamen deficiunt, quae probent, *vice versa* μαρτυρεῖσθαι cum μαρτύρεσθαι (sensu obtestandi s. obsecrandi) permutatum esse. Loco enim LXX. *Genes. 43, 3.* nihil impedit, quo minus vertatur: sancte, graviter adfirmavit. Proinde a lectione vulgata textus Paulini h. l. discedendum existimavimus, scribendumque cum Matthaeio μαρτυρόμενοι, quod in cod. Claremontano (ex emendatione quidem), cod. Sangermanensi, aliisque pluribus apud Griesb. et Matth. laudatis, itemque apud Chrysost. homilia III. in I. ep. *Thess.* Oecumenium in *comment.* et Damascenum legitur. Sententia universa: quovis modo operam dedi animis vestris ad pietatem et honestatem Deo probatam impellendis et excitandis, sic enuntiatur, ut Apostolus profiteatur, se hoc fecisse *admonendis* s. *edocendis* Christianis de officio (παραχαλοῦντες, quippe quod pluribus locis etiam docendi notionem complectitur, *Luc. ev. 3, 18.* cfr. quod supra legeb. παράκλησις c. 2, v. 3.), *alloquio blando animis recreandis et erigendis inserviente* (παραμυθούμενοι), *obtestatione, quae animos graviter percelleret* (μαρτυρόμενοι). Consilium vero et effectus admonitionis vbb. profertur seqq. εἰς τὸ περιπατῆσαι etc. *ut vitam ageretis dignam Deo, vos ad regnum suum et gloriam invitante.* Constat περιπατεῖν in sermone N. F. (*Romm. 6, 4. II. Corr. 9, 2.* aliisque locis a Peltio ad h l. abunde laudd.) de ratione dici vitae instituendae, in V. et N. F. cum *via* conferri

solita, quae vel ad salutem vel ad perditiem ducit, *Romm. 3, 16. Jacobi 1, 8. Ps. 15, 2. Proverbb. 28, 18. Job. 33, 10. al.* Lectio vulgata περιπατῆσαι, cuius loco plures codd. in iisque omnino praestantiores quidam exhibent περιπατεῖν, recte defenditur ex lege notissima, qua aoristus saepenumero continuationem exprimit, ita ut etiam tempus praesens involvat. Vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik* ed. II. Vol. II. p. 960. Vitam agere dicuntur eo modo, qui *dignus* sit Deo s. Domino *(Coloss. 1, 10.)*, qui vitam instituunt piam et honestam, qualem exigat decretum sanctum et benignissimum Dei homines per Jesum Christum in aeternum salvos fieri volentis, vitam huic vocationi coelesti accommodatam, *Ephess. 4, 1. Philipp. 1, 27.* Hanc enim sententiam animo Pauli obversatam esse verba ostendunt de Deo addita τοῦ καλοῦντος etc. Frequens est in scriptis Apostoll. formula solennis, qua Deus praedicatur καλῶν (invitans) homines per doctrinam vitamque Jesu Christi ad consortium regni divini, i. e. societatis et conditionis beatae aeternum futurae hominum, qui per Christum, imperio duro erroris gravissimi et vitiositatis exemti, Deo vere recte cognoscendo et colendo consecrati sunt. *Ephess. 4, 1. 4. Coloss. 3, 15. II. Thess. 2, 14. I. Petri 5, 10.* Respicit quippe formula illa ad imaginem epularum, quibuscum felicitas regni divini comparatur, *Matth. 8, 11. 22, 1—14.* Vd. Pott *exercitus II. ad epp. Petri.* Denique βασιλείαν καὶ δόξαν Benson, Bolten, Koppe, alii idem esse voluerunt q. βασιλείαν ἔνδοξον s. δοξαστήν, *regnum illustre, gloria conspicuum*, ex more haud incognito, duo substantiva ita coniungendi, ut posterius, si sensum spectaveris, vim habeat praedicati, vd. Storr *observatt. ad anal. et syntaxin hebr. p. 241.* Necessariam quidem hanc rationem haud existimaverim. Licet enim vocabulo δόξαν vim substantivi proprium vindicare, ut priori βασιλείαν explicando magisque illustrando inserviat, sive vertatur: *et (ad) maiestatem suam* s. *gloriam* (quo sensu δόξα frequenter in N. F. Deo tribuitur, hebr. כָּבוֹד, *II. Corr. 4, 6. 15. Romm. 1, 23. 15, 7.)*, quippe quae eximie pateflet in regno Dei futuro, sive: *et (ad) felicitatem gloriosam*, regni div. consortio vobis futuram, de quo usu voc. δόξα cfr. *Jo.*

ev. 17, 22. I. Corr. 2, 7. II. Corr. 3, 18. Coloss. 3, 4. al. Ceterum, quicunque accuratius edoceri cupiat de notione integra regni divini futuri, eiusque beneficiorum, adeat Storrii *opuscc. acadd.* Vol. I. p. 253. sqq. Keilii *opp. acadd. ed.* Goldhorn sect. I. p. 22. sqq. Fleckii *librum exegetico — historicum de regno divino*, Lips. 1829. praesertim p. 429. sqq.

Redit Apostolus ad gratias Numini Summo agendas (vd. c. 1. v. 2. sqq.) pro efficientia saluberrima, quam praedicatio doctrinae divinae in animos Thessalonicensium exseruerit, laudesque celebrandas (c. 1. v. 6. sqq.) horum Christianorum.

V. 13 — 16. *Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς εὐχαριστοῦμεν τῷ θεῷ ἀδιαλείπτως, ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ, ἐδέξασθε οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον θεοῦ, ὅς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν.* (v. 14.) *Ὑμεῖς γὰρ μιμηταὶ ἐγενήθητε, ἀδελφοί, τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ τῶν οὐσῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅτι τὰ αὐτὰ ἐπάθετε καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων,* (v. 15.) *τῶν καὶ τὸν κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας, καὶ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, καὶ θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων,* (v. 16.) *κωλυόντων ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσιν λαλῆσαι ἵνα σωθῶσιν, εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε. ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος.*

Διὰ τοῦτο satis commode versum 13. antecedentibus connectit, siquidem illud *εἰς τὸ περιπατῆσαι* v. 12. praeter consilium effectum quoque admonitionis involvebat. Quum haec, inquit, opera in animis vestris ad vitam divina invitatione dignam impellendis minime frustra fuerit collocata, quum vos eiusmodi vitam exhibueritis, *ego vicissim* cum sociis *Deo gratias ago assiduas*, *ὅτι παραλαβόντες* etc. *παραλαμβάνειν* a seq. *δέχεσθαι* ita differt, ut prius significet: doctrinam s. admonitionem *auditam percipere et cognoscere*, ad *Gal. 1, 9. I. Corr. 15, 1. 3. I. Thessall. 4, 1.* cfr. Krause comment. ad *I. Corr. 11, 23.* posterius: *toto animo eam agnoscere veram et rectam, probare, Matth. 11, 14. II. Corr. 8,*

17. Thucyd. 4, 16. al. ἀκοή in hac orationis serie dic. *quod audiendo percipitur*, oratio ipsa s. institutio, Jo. ev. 12, 38. Romm. 10, 16. unde λόγος ἀκοῆς i. q. λόγος ἀκουσθείς, Hebrr. 4, 2. (cfr. שְׁמוּעָה Jes. 53, 1. — קוֹל Jerem. 10, 22.). Nolim cum V. Peltio existimare, Theophylacto praecunte, huic formulae simul hoc inesse, ut eadem doctrina *accepta* sit ab audientibus (probata). Locis enim modo laudatis N. F. ἀκοή manifesto distinguitur a πίστει. Immo vbb. ἀκοῆς παρ' ἡμῶν constructione propius cohaerent, ἀκοή nihil nisi percipiendi notionem exprimit, totumque λόγος ἀκοῆς παρ' ἡμῶν respondet formulae seq. λόγος ἀνθρώπων. Verissime Oecumenius: παρ' ἡμῶν μὲν παρελάβετε, οὐχ' ἡμέτερον δὲ ὄντα, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ τὸν λόγον, sive: ἐδέξασθε, οὐχ' ὡς λόγον ἀνθρώπων (de qua ellipsi voc. ὡς cfr. Lamb. Bos *ellips. graecae ed.* Schaefer. p. 781. sqq.) ἀλλ' ὡς λόγον θεοῦ, καθὼς ἔστι καὶ πρέπει δέξασθαι λόγον θεοῦ, μετὰ φόβου, μετὰ προσοχῆς. Sententia: *proinde vicissim Deo gratias agimus perpetuas, quod, quum doctrinam divinam* (λόγον τοῦ θεοῦ), *auditam* s. *perceptam ex nobis* (nostra praedicatione), *accepissetis, eam non receperitis* (agnoveritis) *tanquam solam hominum doctrinam*, cuius nos fuerimus auctores (quanquam nostra, hominum, praedicatione ad vos audiendo pervenit), *sed, prouti re vera se habet, tanquam doctrinam Dei, quae inter vos, fidem* (Christo) *habentes efficax redditur*, ὃς καὶ ἐνεργεῖται etc. In diversas quidem partes de eo abeunt interpretes, utrum ὅς ad λόγον referendum sit (Ambros. Oecum. Theophyl. Grotius, Erasmus, Pelt, alii), an ad subiectum θεοῦ (Theodoretus, inter recentt. Storr, Flatt, Koppe, al.), ut Deus ipse in iis vim suam potentissime dicatur exserere, vel, quod plures voluerunt, σημείοις efficiendis, vel eo, quod perpetuo increscant religione et virtute, vel omnino iis omnibus, quae dici solent spiritus divini χαρίσματα. Qui posterius defendunt, ad loca provocant *Philipp. 2, 13. I. Corr. 12, 6. Gal. 2, 5. Ephes. 1, 11.* Attamen his locis leg. *activum* ἐνεργεῖ, et insuper additur, *quid* Deus operetur, s. efficax reddat. Neque demonstratum est, ἐνεργεῖσθαι in N. F.

aliorum multorum Pauli effatorum memores fuerunt, ubi phrasis integra legitur ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, *Romm. 5, 11. 15, 6. 30. 16, 20. 24. I. Corr. 1, 2. 7. 8. 10. 5, 4. 15, 57. II. Corr. 1, 3. 8, 9. 11, 31.* al. Quo sensu dicatur ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου etc. seqq. docent ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, *tempore reditus eius futuri*, i. q. ἡμέρᾳ Χριστοῦ, *Philipp. 2, 16. II. Corr. 1, 14.* Παρουσία, quum de praesentia pariter atque de adventu vel hominis vel rei usurpetur (ofr. *Platonis Gorgias* §. 52. sq. ed. Findeisen. Paulus ad *Philipp. 1, 26. I. Corr. 16, 17.*) in N. F. praesertim ad futurum transfertur reditum Messiae, regnum divinum sollenniter inchoaturi, c. 3, 13. 4, 15. 5, 23. *II. Thess. 2, 1. 8. I. Corr. 15, 23. Jac. 5, 7. 8. II. Petri 1, 16. 3, 4. I. Jo. 2, 28.* Quem loquendi usum ex sermone Judaeorum illustrandum esse, plures interpp. erudite demonstrarunt. Vd. Tychsen *comment. de παρουσίᾳ Christi et notionibus de adventu Christi in N. T. obviis, Gotting. 1785, 4.* F. Flatt *symbolae ad illustranda nonnulla ex iis N. T. locis, quae de παρουσίᾳ Christi agunt*, insertae eiusd. *opusculis academicis*, Tubing. 1826. 8. Süsskind *comment. de παρουσίᾳ Christi quid statuerit Paulus*, Tubing. 1795. 4. Adfectui tantopere indulget Apost. ut adfirmatione simplici adseveret, quod modo interrogando enuntiaverat, v. 20. Ὑμεῖς γὰρ etc.; *Utique vos mihi gloriae estis et laetitiae.*

Caput III.

Commatibus postremis capitis II. coniunctissima sunt, quanquam h. l. vulgo novi capitis initium constituitur, quae de Timotheo perhibentur, quem Apostolus, ut suo Thessalonicensium desiderio quodammodo satisfaceret, quum ipse illuc proficisci non potuisset, Athenis Thessalonicen legaverit.

V. 1. 2. 3. *Διὸ μηκέτι στέγοντες εὐδοκήσαμεν καταλειφθῆναι ἐν Ἀθήναις μόναι,* (v. 2.) *καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ διάκονον τοῦ θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ,*

εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς καὶ παρακαλέσαι ὑπὲρ τῆς πίστεως ὑμῶν, (v. 3.) *τῷ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσιν ταύταις· αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα.*

Diversimode usurpatur vb. *στέγειν*: *a) tegere*, recondere, occultare, *Aelian. V. H. 9, 18. Polyb. 4, 8. 2.*, unde significationes oriuntur cognatae *b) capere* aliquid, *continere*, de rebus corporeis, *Aristoph. vespp. v. 1286. c) tegendo aliquid tueri, et, quod irruit, retinere, arcere, Plato republ. l. 3. c. 21. p. 152. ed. Ast. Aeschyli septem c. Thebas v. 218.* denique *d)* et sensu physico: *sustinere*, portare, *Diod. Sic. 2, 23.* et metaphorice: *animo ferre*, aerumnas, molestias, dolores, *I. Corr. 9, 12.* cfr. Wettsten. ad h. l. *Polyb. 3, 53.* Nostrates simillimam habent metaphoram: etwas abhalten i. q. ertragen. Non alienam quidem dixerim ab h. l. quam primo loco posuimus significationem recondendi (cfr. Wolf in curis et Baumgarten ad h. l.): *non amplius occultans*, silentio premens (meum vos videndi desiderium, c. 2. v. 17.), Timotheum misi etc. Verum, quum Paulus infra v. 5. sqq. aperte professus fuerit, se, priusquam Timotheum mitteret, de constantia amicorum Thessalonicc. vexationibus tentata haud parum fuisse *sollicitum*, posthac, ubi Timotheus rediisset et laeta nuntiasset, solatio recreatum; praestat, opinor, verbo *στέγειν* cum plerisque interpp. h. l. notionem *sustinendi* s. *ferendi* (sollicitudinem illam desiderio Thessalonicenses videndi conjunctissimam) vindicare, qua probata facile patet orationem Pauli magis vividam apparere, adfectui exprimendo probe inservientem: quum diutius animo ferre non possem, quod, seiunctus a vobis, de statu vestro dubius haererem, nec opportunitatem haberem, in animis vestris consolandis et confirmandis operam meam collocandi, decrevi solus Athenis remanere, vobisque Timotheum misi etc. Quanquam Paulus aegre carebat adiumento sociorum, Timothei et Silae, qui uterque, Beroeae relictus, mox Athenas ad Apostolum, praesentiam eorum magnopere desiderantem, venerat; maluit tamen paulo post Timotheum remittere Thessalonicen, ideoque *Athenis*, in urbe amplissima, quae opportunitatem multiplicem praebere poterat laboris pro evangelio subeundi, *solus* relinqui (Silam quippe in

aliam Macedoniae urbem eodem tempore legandum putaverat, ut similiter Christianis commonefaciendis et stabiliendis consuleret, vd. prolegg. §. 1.), quam diutius nescire, quomodo se haberent Thessalonicenses, eorumque incuriosus videri. De usu vb. εὐδοκεῖν ad c. 2. v. 8. vidimus. Καὶ ἐπέμψαμεν, inquit v. 2. Τιμόθεον etc. Quo luculentius pateat, quale amoris et observantiae documentum Thessalonicensibus exhibuerit Timotheo remittendo (sic enim de consilio verborum seqq. Chrysost. verissime iudicavit), Apostolus his praedicatis Timotheum exornat: *a)* τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, quod h. l. universe *eiusdem religionis consortem* praedicat, *Actt. 9, 30.* al., adhaerente insuper caritatis, qua eum diligat, cogitatione, *Actt. 9, 29. I. Thessall. 5, 1.* al., notio quippe *socii muneris* verbis seqq. exprimitur *b)* καὶ διάκονον τοῦ θεοῦ, *ministrum Dei*, siquidem quivis doctor Christianus causae Dei adiuvandae inservit, *Ephess. 6, 21. Coloss. 4, 7. I. Corr. 3, 5. c)* καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ, *laboris nostri socium (Romm. 16, 21. Philipp. 2, 25.) in tradendâ doctrina Christi laeta nuntiante.* Praepos. ἐν dativo rei, in qua tractanda aliquis occupatus sit, praefigitur *Romm. 1, 9. I. Corr. 9, 18.* Attamen in nonnullis codd. versu. scriptisque patrum, qui hunc locum tractaverunt, haud exigua apparet lectt. diversitas, quum partim pro vulg. καὶ διάκονον — ἡμῶν formulae breviores appareant: καὶ συνεργὸν, s. καὶ σ. τοῦ θεοῦ, s. καὶ διάκονον, s. καὶ διακ. τοῦ θεοῦ, partim plures eorum, qui phrasin copiosiorem exhibent, in voc. καὶ vel semel vel bis exprimenda, itemque in ordine verborum τοῦ θεοῦ dissentiant. Cfr. Griesbach. et Matthaei in apparatu crit. ad h. l. Difficile est iudicatu, utrum rectius teneatur scriptura vulgata plerorumque testium auctoritate munita, ut illa lectt. diversitas, praeeunte Matthaeio, ad varios scribarum errores referatur, ex aequalitate duorum orationis membrorum καὶ διάκ. τοῦ θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν illisque ὁμοιοτελεύτοις: ἀδελφὸν ἡμῶν, συνεργὸν ἡμῶν oriundos; an cum Griesbachio lectio habeatur primitiva: καὶ συνεργὸν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ etc. ut ex interpretamentis variis

correctionibusve huius phraseos difficilioris: συνεργὸς τοῦ θεοῦ (quam utique defendere licet ex *I. Corr. 3, 9.*) illa lectionum farrago profecta existimetur? Consilio certe Apostoli probe accommodata est scriptura vulgata, quae *praedicatio* Timothei *cumulandis* id maxime efficit, ut lectores graviter sentiant, quam dilecto et fide socio Paulus aliquamdiu, Thessalonicensium causa, carere voluerit. Qua de causa cum legaverit, amplius explicatur (v. 3.): εἰς τὸ etc. στηρίζειν in promtu est (cfr. seqq.) h. l. de eo dici, qui animum alicuius docendo et admonendo confirmet. Quo sensu et στηρ. de persuasione stabilienda *Luc.* ev. 22, 32. et compositum ἐπιστηρ. una cum παρακαλεῖν *Actt. 15*, 32. legitur. Significatum duplicem vb. παρακαλεῖν c. II. v. 11. cognovimus. Utroque sensu (et *admonendi* et *consolandi*) h. l. usurpatur. Existimabat quippe Paulus, Thessalonicensibus cum adversariis evangelii conflictantibus mittendum esse doctorem, constantiae eorum sedulo consulentem, *quod attineret* (περί, ut vulgo legitur, cfr. *I. Corr. 7, 1. 8, 1.* Heindorf. ad Platonis Phaedonem §. 65.) *ad persuasionem eorum Christianam* (de πίστις c. I. v. 3. 8. vid.), ne ullis cederent tentationibus. Eiusmodi vero *admonitio* seiuncta esse non poterat a *consolatione* Christiana, homines vexationibus adflictos fortiter erigente. Sententia eadem manet, si pro vulg. περὶ cum codicibus eximiis familiae alexandrinae et occidentalis, Chrysostomo, et Theodorete legatur ὑπὲρ. [Theodoretus quidem in comment. ubi locus integer laudatur T. III. ed. Noesselt. p. 512. scripturam sequitur vulgatam, neque nisi in praefatione in epp. Pauli p. 4. ὑπὲρ exhibet]. Utrumque est Paulinum. Eodem quippe sensu (quod attinet ad) ὑπὲρ dic. *II. Corr. 1, 8. II. Thessall. 2, 1.* Codices inter utramque lectionem aliis etiam locis fluctuant, *Romm. 1, 8. II. Corr. 1, 8. Col. 2, 1. Hebrr. 5, 3.* Nos cum *Lachmanno* edidimus ὑπὲρ, delevimusque ὑμᾶς post παρακαλέσαι vulgo additum, in codd. insignioribus, versss. *Copt. Armen. Slav. Vulg. It.* itemque apud *Chrysost. Theodor.* aliosque patres omissum, cui addendo opportunitatem praebuisse videtur compendium scripturae praepositionis ὑπὲρ minus recte intellectum. Quid fuerit, quod illo

potissimum tempore Thessalonicenses eiusmodi adiumento constantiae indigere putaret, v. 3. ostenditur: τῷ μηδένα etc. Verbum in N. F. ἅπαξ λεγ. σαίνειν, significatu primo (ut bene vidit Pelt ad h. l.): *rem quandam celeri motu huc illuc transferre*, agitare, praesertim de canibus aliisve animalibus caudam blande moventibus, *Aelian. V. H. 13, 42. Homeri Od. π, v. 6.*, translatum deinde ad universam *movendi* notionem, ita ut etiam *tropice* σαίνεσθαι dicerentur, qui *animo moventur s. perturbantur*, i. q. κινεῖσθαι, σαλεύεσθαι, ταράττεσθαι (cfr. Chrysost. Oecumen., Euthalius ad h. l. *Hesych.* lex. sub v. σαίνεται). *Eurip. Jon. v. 669. Sophocl. Antig. v. 1214. Diog. Laërt. 8, 41.* Qui notionem *blandiendi* (κολακεύειν), quam vb. σαίνειν obtinuit, ex illa canum consuetudine caudam blande movendi oriundam (*Pindari Pyth. 1, v. 100. Theocr. 6, 12. Arrian. dissertt. Epictett. 2, 22.*) ad nostrum l. transferunt, sententiam verborum σαίνεσθαι ἐν θλίψεσιν his limitibus circumscribunt angustioribus: *in calamitatibus blanda vitae commodioris spe et desiderio pellici ad officium deserendum.* Vd. B. Tittmanni *liber I. de synonymis in N. T. p. 189.* Quantum equidem video, simplicior est, et commemorationi τῶν θλίψεων facilius convenit illa interpretatio, quae h. l. universam tenet animum movendi s. perturbandi significationem, locis supra laudd. probatam. Sub θλίψεσιν vero ταύσεις (quod δεικτικῶς dic.) recte viderunt Koppe, Flatt, alii, et vexationes intelligi quibus Thessalonicenses hucusque propter suam evangelii professionem obnoxii fuerint, et, quas ipse Apostolus, Thessalonice digressus, subierit, siquidem amicos Pauli ac discipulos facile etiam perterrefacere potuit, quod ipsum doctorem graviter adflictum cognoverant. Ceterum, quod vulgo legitur, τῷ dativus est commodi, consilium et finem indicans, pro εἰς τὸ positus, quam formulam, quum modo praecessisset, Apost. repetere noluit (cfr. Winer *Grammatik* etc. ed. II. p. 136. coll. ed. III. p. 272.). Quanquam lubenter concedimus Censori erudito *commentarii* Pelt. (Hallische allgem. Litterz. 1831, N. 82.) hunc infinitivi dativum alibi *causam* exprimere, i. q. eo quod, s. propterea quod, et hoc sensu partim II. Corr.

2, 13. usurpari, partim apud profanos locis Winero laudatis; in ea tamen, quae h. l. apparet, verborum serie intelligi recte non potest, nisi concedas, graecitatem Pauli h. l. ad consilium transtulisse eandem voculam, quae proprie de causa diceretur. Plures vero codices, in quibus Alexandr. et Clarom. ex patribus Oecumenius, pro τῷ exhibent τὸ, pauci codd. τοῦ. Quodsi hanc lectt. diversitatem secundum eam legem examinaverimus, quae difficiliorem iudicet potiorem, non dubitaverim cum Matthaeio τὸ praeferre, sive h. l. accusativum absolute positum (h. s. *quod attinet ad*, *Philipp. 4, 10. Acti. 24, 26.* al.) agnoveris, sive ad vocem τὸ cum Matthaeio ex verbis superioribus εἰς τὸ στηρίξαι subintelligi malueris εἰς, quemadmodum c. IV. v. 6. τὸ μὴ ὑπερβαίνειν ad superius v. 3. τοῦτο γάρ ἐστιν θέλημα τοῦ θεοῦ pertinet. Malim, si l. τὸ probetur, cum Censore *comment. Pelt.* l. l. prius amplecti: *ut ille* (Timoth.) *vos ratione habita persuasionis vestrae admoneret, quod hoc attinet, ne quis calamitatibus istis perturbaretur.* Cfr. de hoc usu accus. τὸ Matthiae *ausführl. griech. Gramm.* ed. II. Vol. II. p. 1067. Eandem lect. antiquissimam iudicavit Gersdorf *Beiträge zur Sprachcharacteristik der Schriftsteller des N. T. T. I. p. 274.* Ex corrigendi aut interpretandi studio enasci utique potuit scriptura τοῦ, genitivus articuli infinitivo praefixus (h. s. *ita* ut, vd. Winer *Grammatik etc.* ed. III. p. 269.) *frequens* in oratione N. F. praesertim Paulina. Quae lectio si forte in quibusdam codd. antiquam τὸ exterminaverat, facile etiam propter similitudinem litterarum in lectionem (vulg.) τῷ transire potuit. Nolim tamen hac de re sententiam certam pronuntiare. Ratio quippe scribendi in codd. antiquis usitata sic se habebat, ut, qui codices describerent, omnino ad formas τὸ, τῷ, τοῦ invicem permutandas facile seducerentur. Quam necessaria sit homini Christiano eiusmodi constantia persuasionis, quae vexationibus resistere queat, vbb. docent: αὐτοὶ γὰρ οἴδατε etc. Ipsi, ait, nostis, et meis sermonibus et experiundo edocti (v. 4.), nos omnes Christo addictos, etiam Apostolos, huic rei persecutionibus evangelii causa perferendis (de his enim potius, quam de ipsa constantia inter θλίψεις praestanda vocem τοῦτο

intelligi iubent vbb. seqq.) destinatos esse. Nostis, evitari non posse calamitates religionis causa subeundas. κεῖσθαι εἰς τι dicc. quibus destinatum est decreto divino, ut hanc illamve sortem experiantur, s. ut eorum ope aliquid fiat, *Luc. ev. 2, 34. Philipp. 1, 17.* Cfr. *Isaeus* in oratoribus gr. a *Reiskio* ed. Vol. VII. p. 35. Ad sententiam illustrandam vd. effata Christi *Matth. 5, 10. 10, 16. sqq. Jo. 16, 2. sqq. 33.* et Apostolorum *Actt. 14, 22. I. Corr. 4, 9. II. Tim. 3, 12. I. Petri 4, 12. sq.*

Rationem reddit Apostolus sententiae modo enuntiatae: *αὐτοὶ γὰρ οἴδατε* etc.

V. 4. *Καὶ γὰρ ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦμεν, προελέγομεν ὑμῖν, ὅτι μέλλομεν θλίβεσθαι, καθὼς καὶ ἐγένετο καὶ οἴδατε.*

Utique enim, quum apud vos (πρὸς ὑμᾶς, cfr. *Jo. ev. 1, 1.*) *versarer, praedixi vobis, fore ut adfligeremur, prout uti vere accidit, et ipsi* (accidisse) *nostis*, de me quidem (ut B. Koppe verissime interpr.) videndo et audiendo, in vobis ipsis experiundo.

Redit Paulus, his v. 3. 4. interpositis, ad causam, quare Timotheum miserit Thessalonicen v. 5. ubi numerus singularis *κἀγὼ* indicto inservit, pluralem antea v. 1. sqq. usurpatum: *στέγοντες εὐδοκήσαμεν* etc. de *solo* Apostolo recte intelligi.

V. 5. *Διὰ τοῦτο κἀγώ, μηκέτι στέγων, ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν.*

Non otiosa est vocula *καὶ* (*κἀγώ*). Quemadmodum Thessalonicenses vexationum, quae Apostolo acciderant, certiores facti (v. 4.) haud dubio de sorte eius externa soliciti fuerunt, ita vicissim Paulus ferre amplius non poterat inscitiam rerum, quae inter Thessalonicenses agerentur. Praesertim vero ipsi curae cordique fuit, ut compertum haberet, constantiam eorum non cessisse tentationibus. *Misi*, inquit, *Timotheum, ut per eum cognoscerem* (nisi malueris ad *γνῶναι* supplere *αὐτὸν*: ut ille coram cognosceret) *quomodo se haberet cum persuasione vestra Christiana.* Quae seqq. *μήπως* etc. referri solent ad participium subintelligendum *φοβούμενος*: *veritus, ne forte tentator vos sollicitasset*, praecuntibus eius-

modi locis, ubi vb. φοβοῦμαι illud μήπως praecedit *Actt. 27, 29. II. Corr. 11, 3. 12, 20. Gal. 4, 11.* et loco ad *Romn. 11, 21.* ubi deest ex vbb. postremis v. 20. facile supplendum. Sed hoc loco, praecedente verbo γνῶναι, quod per se spectatum notionem percontandi s. sciscitandi (non metuendi) facile adducit, magis in promtu positum esse videtur, ut cum nonnullis interprr. (cfr. Wahl *Clavis N. T.* Vol. II. p. 103. ed. II.) μήπως particula habeatur interrogandi, ad vb. γνῶναι referenda: *ut cognoscerem*, num forte etc. Nolim in eo haerere quod Doct. Lipsius in commentatione: *de modorum usu in N. T. quaestionis grammaticae pars I.* Lips. 1827. p. 61. (acute quidem) opposuit, ex usu sermonis N. F. in interrogatione obliqua post verba praeterita, ubi quaeratur, *quid fiat*, vel *sit*, *optativum* potius adhiberi, *coniunctivum* (qualis h. l. sequitur: καὶ — γένηται etc.) locum non habere, nisi quaeratur, quid *fieri debeat*. Vix putaverim, scriptores sacros huius discriminis subtilioris fuisse tenaciores. Vb. πειράζειν pr. explorare, s. experimento probare, quo constet, quantum vires alicuius valeant, *II. Corr. 13, 5.* solet in N. F. ad eum transferri, qui consilio malo aliquem tentet, ad peccata seducturus, *I. Corr. 7, 5.* ad *Gal. 6, 1. Jacobi 1, 13. 14.* Partic. ὁ πειράζων, vices gerens substantivi ὁ πειρασμὸς, per se spectatum de quovis auctore eiusmodi tentationum intelligi potest, quibus Thessalonicenses ad persuasionem Christ. deserendam sollicitari potuerint. Ex mente Apostoli (cfr. c. 2. v. 18.) utique *Satanam* videtur innuere, vim suam et efficacitatem in hominibus religionem Chr. infestantibus (ἐν υἱοῖς ἀπειθείας, *Ephes. 2, 2.*) exserentem, qui κατ' ἐξοχὴν dic. πειράζων, *Matth. 4, 3.* coll. v. 10. *I. Corr. 7, 5.* Tentatos fuisse amicos Thessalonn. postquam ipse abiisset, *haud improbabile* videbatur Apostolo. Proinde modum *indicativum* ἐπείρασεν posuit, satis aperte quidem simul profitendo (vocula μήπως) quantopere *contrarium optaverit*. Attamen, tentationis hunc fuisse eventum, ut vere deficerent, adeoque labor, quem Apostolus animis eorum edocendis et confirmandis impendisset, irritus esset (εἰς κενὸν γίνεσθαι i. q. κενὸν γίνεσθαι, ut εἰς κενὸν τρέχειν, χοπιᾶν, δέξασθαί τι, *I. Corr. 15, 10.*

II. Corr. 6, 1. Philipp. 2, 16. Diod. Sic. 19, 9. hebr. לְרִיק, *Job. 39, 16. Levit. 26, 16.*), *ne probabile quidem* haberi volebat, *coniunctivo* de his usurpando: *εἰς κενὸν γένηται* etc. Quod egregie observavit Winer: *Grammatik etc.* ed. III. p. 421. Sensus: *ut cognoscerem, quomodo se haberet persuasio vestra, num forte tentator vos tentaverit, adeo ut* (quod Deus avertat!) *labor meus irritus fieri possit.*

Quo magis vero laudabilia Apostolus, quum iam Corinthi versaretur (vd. prolegg. §. 3. ex.), per Timotheum reducem de Thessalonicensibus cognoverat, eo maiorem profitetur laetitiam inde perceptam.

V. 6. 7. 8. *Ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς ἀφ' ὑμῶν, καὶ εὐαγγελισαμένου ἡμῖν τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, καὶ ὅτι ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε ἐπιποθοῦντες ἡμᾶς ἰδεῖν, καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς·* (v. 7.) *διὰ τοῦτο παρεκλήθημεν, ἀδελφοί, ἐφ' ὑμῖν, ἐπὶ πάσῃ τῇ ἀνάγκῃ καὶ θλίψει ἡμῶν, διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως.* (v. 8.) *Ὅτι νῦν ζῶμεν ἐὰν ὑμεῖς στήκητε ἐν κυρίῳ.*

Impeditiorem reddunt sermonem Apostoli, absque causa idonea, qui voculam *ἄρτι*, tempori vel praesenti vel proxime praeterito significando inservientem (*Matth. 9, 18.* al.) cum initio v. 7. *παρεκλήθημεν* etc. coniungendam existimant, commate post *ἄρτι δὲ* interpungentes. Immo egregie cohaerent *ἄρτι δὲ ἐλθόντος* etc.: *Sed, quum Timotheus modo* (nuperrime) *ex vestro coetu ad me rediisset, mihique laetum attulisset nuntium* etc. Quo sensu latiori vb. *εὐαγγελίζεσθαι* (*Luc. ev. 1, 19.*) profanis etiam Graeciae auctoribus probe cognitum, vd. *Theophrasti charactt.* c. 17. et quae Lobeck disseruit ad *Phrynichi eclogas* p. 266. sqq. Duplicem videmus Paulo laetandi fuisse materiam, alteram, quod Timotheus laeta nuntiasset de constantia persuasionis illorum, haud seiunctae ab amore vero Christiano (cfr. de *πίστει* et *ἀγάπῃ*, supra c. 1. v. 3.), alteram, illi conitunctissimam, quod certiorem Apostolum reddidisset, ipsum Thessalonicensibus etiamnum in medullis haerere, *καὶ ὅτι ἔχετε* etc. Recordatio s. memoria (*μνεία*, c. 1. v. 2.) alicuius praedicari potest *ἀγαθὴ*,

vel ea de causa, quod *benevola* est, *I. Petri 2, 18.* vel, quod *laetitiam summam ei parat, cuius memoriam fidam et benevolam aliquis recolit*, ut ἐλπὶς ἀγαθὴ *II. Thessall. 2, 16.* Ἔχειν μνείαν τινὸς profani quoque dixerunt, *Aristoph. eccles.* v. 1154. Ipse Paulus, quo sensu μνείαν illorum praedicaverit ἀγαθήν, explicat: ἐπιποθοῦντες ἡμᾶς etc.: *ita ut pariter meum adspectum magnopere desideretis (II. Timoth. 1, 4.) atque ego vestrum.* Postquam, ait, hunc nuntium laetum acceperam, (v. 7.) διὰ τοῦτο etc. Praepos. ἐπὶ aliter dicitur in vbb. ἐφ' ὑμῖν, ubi *causam consolationis animique recreationis* indicat (fundamentum, cui veluti superstructa est), *Matth. 18, 13. Marci 12, 17.* quae causa deinde paulo verbosius explicatur διὰ τῆς ὑμῶν π. (per nuntium de vestrae persuasionis firmitate mihi allatum), aliter in seqq. ἐπὶ πάσῃ etc. ubi *rebus tempore iunctis* iudic. inservit, vd. *II. Corr. 7, 4. Jo. ev. 4, 27. LXX. Deuteron. 24, 15. Xenoph. Cyrop. 6, 2. Homeri Od. ϱ, v. 308.* Pro vulg. θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ordinem inversum cum Lachmanno exhibuimus, et codd. eximiis familiae alex. et occid. et vers. *Peschito Philox. Copt. Armen. It. Vulg.* praeeuntibus. Ἀνάγκη: necessitas, ad notionem angustiarum, adflictionis transfertur *Luc. 21, 23. I. Corr. 7, 26.* al. ex usu hebr. מָצוֹק s. צָרָה *Job. 15, 24. 27, 9. Ps. 118, v. 143.* coll. LXX. quamquam nec profani hunc usum ignorarunt, v. c. *Diod. Sic. 4, 43.* θλῖψις et ἀνάγκη vulgo non differre existimant. Fortasse *prius* molestias innuit et aerumnas ex adversariis Pauli ortas, quales Corinthi statim ab initio commorationis Pauli in hac urbe non defuisse Lucas *Actt. 18, 5. 6.* testatus est, *posterius* aliud genus adflictionis; vel morbum, vel angustias rerum domesticarum, manuumque laborem durum, cfr. *II. Corr. 11, 27.* Cui sententiae favere videtur add. πάσῃ, *II. Corr. 1, 4.: Inde*, ait, *fratres, vestrum causa animo sum recreatus, in quavis angustia et adflictione, certior factus constantiae persuasionis vestrae.* Quam *eximie* animum senserit recreatum et corroboratum magna sermonis gravitate enuntiat v. 8. ὅτι νῦν ζῶμεν etc. adeo vitam suam vere vitalem in eo positam esse adfirmans, quod sciat, Thessalonicenses

constanter Christum profiteri. Recte Oecumenius ad h. l. (consentiente Theodoreto): *νῦν ζῶμεν, φησὶ, ζωὴν ἡγούμενος τὴν ἐκείνων τῆς πίστεως βεβαίωσιν, καὶ θάνατον τὸ αὐτῆς παρασαλευθῆναι.* Propter voculam *νῦν* et vbb. antecc. malim omnino *ζῶμεν* hac ratione interpretari, quam cum Chrysostomo contendere: *ζωὴν λέγων τὴν μέλλουσαν.* In omnibus fere linguis vb. *vivere* haud raro sensu usurpatur eminentiori: *feliciter vivere*, *Romm. 10, 5. Ps. 22, 27. Sophocl. Oed. Tyr.* v. 45. *στήκειν* (de qua forma Graecitati seriori vindicanda vd. Buttmann *ausführl. griech. Sprachlehre* T. II. p. 21.) dicuntur sequente *ἐν* et dativo vel rei, vel personae, qui vel in quadam animi conditione, vel in necessitudine cum aliquo constanter permanent, *I. Corr. 16, 13. Philipp. 4, 1.* ubi eadem locutio *στήκειν ἐν κυρίῳ* homines describit Christo constanter addictos, s. in persuasione Christ. perseverantes. Quanquam Paulus, nuntio laeto per Timoth. accepto, minime dubitabat de *πίστει* Thessalonicensium, consulto tamen enuntiationem conditionalem (*ἐὰν*) usurpavit, quo luculentius summum erga Thessall. amorem hoc argumento testaretur, ab illorum statu vere Christiano suam ipsius pendere vitae felicitatem.

Laetitia summa ex *πίστει* Thessalonicensium oriunda animum Apostoli pium ad Deum convertit huius salutis auctorem, quam gratiarum actionem precatio excipit, qua Deum implorat, ut benevole annuat consilio suo Thessalonicen redeundi.

V. 9. 10. 11. *Τίνα γὰρ εὐχαριστίαν δυνάμεθα τῷ θεῷ ἀνταποδοῦναι περὶ ὑμῶν, ἐπὶ πάσῃ τῇ χαρᾷ ᾗ χαίρομεν δι' ὑμᾶς ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ ἡμῶν,* (v. 10.) *νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσοῦ δεόμενοι εἰς τὸ ἰδεῖν ὑμῶν τὸ πρόσωπον, καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν;* (v. 11.) *Αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς* (*Χριστὸς*) *κατευθύναι τὴν ὁδὸν ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς.*

Voc. *γὰρ* v. 9. hunc locum antecedentibus commode nectit: verissime haec dixi (v. 8.) *ὅτι νῦν ζῶμεν* etc. Vestra enim persuasionis constantia mihi, Apostolo, tantopere curae cordique esse debet, ut magnitudinem huius doni divini omnem

meam gratiarum actionem longe superare intimo pectore sentiam. Substant. *εὐχαριστία* pariter atque vb. *εὐχαριστεῖν* (c. 1. v. 2.) frequens est in N. F. *Actt. 24, 3. I. Corr. 14, 16.* al. nec profanis inusitatum. *Ἀνταποδιδόναι, reddere, rependere (Plat. republ. l. 8. c. 15. p. 378. ed. Ast.)* de *remunerantibus* dic. *Luc. ev. 14, 14. Romn. 11, 35. Sirac. 30, 6.* (*ἀνταποδιδόναι χάριν*). *Batrachomyom. v. 187.* Satis perspicue membrum prius commatis 9. locum exprimit *Ps. 116, v. 12.* גְּמוֹל־אֲשִׁיב לַיהוָה etc.: *quales tandem possim gratias Deo* (dignas, quae magnitudini beneficii divini respondeant) *vestra causa agere ἐπὶ πάσῃ* etc. De *ἐπὶ* sq. dativo *causam* indicante supra vid. v. 7. (*ἐφ' ὑμῖν*). *Πᾶσα* vero *χαρὰ* utique appellari poterat laetitia Apostoli vel ea de causa, quod *multiplex* ei fuit de his Christianis, de variis eorum virtutibus, laetandi materies, vel h. s. *laetitia summa, maxima*, quo sensu *πᾶς* de eo, quod in suo genere maximum s. insigne est, alibi usurpatur, *I. Corr. 13, 2.* (*πᾶσα πίστις*) *Jacobi ep. 1, 2. Actt. 4, 29. Polyb. 1, 39. 3. Plato Phaedon. c. 33.* Cfr. Gebser: *der Brief des Jacobus übersetzt und erklärt*, Berlin, 1828. p. 8. sqq. *χαρᾷ, ἥ χαίρομεν* ex more dicitur profanis quoque familiari (quem nolim hebraismis accensere, quamvis in V. T. phrasis: *laetitia laetari, Jes. 66, 10. audiendo audire*, similesque obveniant), verbum cum substantivo eiusdem stirpis coniungendi. Vd. Schwarz *commentarii linguae graecae p. 49.* Non una est eademque horum locorum indoles, quod scite observ. Winer *Grammatik etc.* ed. II. p. 167. sq. coll. ed. III. p. 390. Quanquam enim haec ratio dicendi haud raro notioni augendae et amplificandae consulit, v. c. *Jo. ev. 3, 29. χαρᾷ χαίρει* impense laetatur, non ubique tamen emphasis in ipsa verbi cum commodi substantivo coniunctione quaerenda, sed verbum substantivo suo cognatum interdum etiam simpliciter vices gerit alius rem magis universe indicantis, v. c. *Matth. 2, 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα*, ubi *magnitudo* laetitiae verbis potius *μεγ. σφόδρα* describitur, ita ut *ἐχάρησαν* simpliciter innuat: senserunt, s. perceperunt (laetitiam). Posterius de loco nostro valet, siquidem, laetitiam describi *ingentem* ex

antec. πάσῃ satis elucet. Vbb. ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ plerique intt. cum χαρᾷ propius coniungunt, ut hac periphrasi laetitia vel *summa*, vel *pia*, Deo probata, praedicetur. Attamen, quae supra ad c. 1. v. 3. observata sunt, eadem, opinor, huius loci constructionem rectam deflniunt. Nihil obstat, quo minus haec ex ipso vb. χαίρομεν pendere existimemus: *pro summa laetitia, quam ex vobis percipio, probante hanc laetitiam* (piam quippe) *Deo nostro*, s. (quod malim Zachariae adsentiens) *Deo nostro sciente*, teste invisibili meae gratiarum actionis, hanc laetitiam coram Deo effundentis. Aliter enim structuram huius l. commode expediri non posse, omninoque Apostolum h. l. de *precibus* suis cogitasse, piam gratiarum actionem continentibus, inde patet, quod ex eodem vb. χαίρομεν grammatice pendent, quae statim seqq. v. 10. νυκτὸς καὶ etc. *Precatio*, qua Deus imploretur (ad partic. δεόμενοι suppl. πρὸς θεὸν, *Romm 1, 10.*) *indefessa* formula νυκτὸς καὶ ἡμέρας describitur (c. 2. v. 9.), eademque *intenta*, ardentior, adverbio dupliciter composito ὑπερεκπερισσοῦ: ultra modum, quam maxime, *Ephess. 3, 20. I. Thessall. 5, 13. Theodot.* ad *Daniel. 3, 22.* Consilium precationis his definitur εἰς τὸ etc.: *ut vos revisere liceat, et, si quid adhuc defuerit persuasioni vestrae*, vel ad cognitionem integram et perspicuam, vel ad firmitatem fiduciae (siquidem non defuerunt inter Thessall. ὀλιγόψυχοι, c. 5. v. 14., quorum animi praesertim dubitationibus de sorte eorum, qui ante παρουσίαν Christi diem obiissent, perturbarentur, c. 4. v. 13. sqq.), *hoc supplere* docendo et consolando. Καταρτίζειν, integrum s. perfectum (ἄρτιον) reddere, quale esse debet, non tantum de rebus corporeis usurpatur, v. c. *Matth. 4, 21* (de retibus reficiendis), *Herodot. l. 5. s. 106.*, sed etiam de animo rebusque ad animum spectantibus, *Luc. 6, 40. II. Corr. 13, 11.* Subst. ὑστέρημα duplici modo genitivum personae aut rei antecedit, quippe qui *vel* rem hominemve indicat, *cui* aliquid deest, quo supplendo (addendo) in statum transeat integrum, qualis esse debeat, *Coloss. 1, 24.* (τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ i. q.. vexationes Apostolo propter Christum tolerandae, quae adhuc desunt, ut mensura harum vexa-

tionum impleatur), *II. Corr. 9, 12.* (ὑστερήματα τῶν ἁγίων i. q. ea, quibus Christiani, quod vitae necessitates attinet, indigent); *vel* id ipsum, *quod deest*, cuius absentia desideratur, *I. Corr. 16, 17. Philipp. 2, 30.* Sed facile patet, quum πίστις ipsa Christianis Thessalonicensibus, v. 6. 7. encomio insigni ornatis, minime deesset, huic loco nonnisi priorem convenire genitivi significatum. Καταρτίζειν τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως, si sensum spectaveris, i. q. προσαναπληροῦν (*II. Corr. 9, 12.*) etc. perficere indolem πίστεως supplendis iis, quae hucusque defuerint. Verbis simillimis Ap. desiderium Christianos Romanos adeundi professus est *Romm. 1, 11.* Suis ipsius desideriis et conatibus veluti opponit Apostolus (ut recte vidit Pelt ad h. l.) v. 11. Αὐτὸς δὲ etc. Dei et Jesu Christi, participis quippe gubernationis rerum humanarum, praesertim Christianarum, divinae, potentiam summam et voluntatem, cui prorsus committi oporteat cuiusque optati et consilii humani eventum. *Ipse vero Deus, idemque nostrum omnium pater etc. meam ad vos dirigat viam,* faxit, ut mox feliciter, absque impedimento (c. 2. v. 18.) vos adire possim. [Uncis inclusimus χριστὸς, quum in nonnullis codd. in quibus sunt *Alex. Vatic. Claremont.* desideretur.] Κατευθύνειν i. q. facere, ut aliquid rectum sit, s. recte procedat, dirigere, *Luc. ev. 1, 79. Plutarch. T. IV. p. 80.* ed. Reisk. Unde viam dic. κατευθύνειν, qui rectam facit et planam, ita comparatam, ut absque impedimentis et ambagibus hac via liceat proficisci, oppositam asperae, curvae, tortuosae. Formam κατευθύναι et h. l. et *II. Thessall. 3, 5.* non infinitivum esse pro imperativo positum, sed personam 3. singul. aoristi 1. optat. recte vidit Winer *Grammatik etc.* ed. III. p. 273.

His arcte cohaeret votum pium quod Apostolus pro ipso coetu Thessalonicensium facit.

V. 12. 13. Ὑμᾶς δὲ ὁ κύριος πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας, καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς· (v. 13.) εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας, ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ.

Incertum est, utrum ὁ κύριος v. 12. ex mente Pauli de *Deo* patre an de *Christo* rectius intelligatur. De utroque enim κύριος usurpatur, neminemque fugit, Apostolos et Deo patri et filio Dei accepta retulisse quaevis fiduciae et amoris Christiani incrementa. Sed de ipsa verborum authentia utique dubitari potest cum B. Eichhornio (*Einleit. in das N. T.* Vol. IV. p. 426.) praeeunte Millio prolegg. N. T. §. 254. Desideratur quippe ὁ κύριος in vers. Syr. Peschito, et Arab. ex editione Erpenii, nec desunt codd. qui pro hac vulgari scriptura vel ὁ θεὸς vel ὁ κύριος Ἰησοῦς exhibeant. Quodsi Paulus nihil ex his omnibus scripsit, immo subiectum verborum πλεονάσαι καὶ περισσεύσαι ex vs. anteced. subintelligi voluit (sive θεὸς, sive κύριος), facile fieri potuit, ut satis mature glossemata adscriberentur. Cfr. Censor comment. Pelt. Hallische Litter. Z. 1831. N. 82. Πλεονάζειν, quod proprie et plerumque significationem habet intransitivam: plus, quam alii, habere, deinde: augeri, crescere, pariter atque περισσεύειν: superesse, tum: re quadam abundare, h. l. *transitive* usurpatur; aliquem augere, s. largiter instruere, ita ut aliqua re abundet, *II. Corr. 9, 8. Ephess. 1, 8. LXX. Numerr. 26, 54. Ps. 71, 21.* *Vos autem*, inquit, (Deus s. Christus) auxilio invisibili *multum proficere et abundare iubeat amore, et, quo vos invicem* eidem coetui addictos s. Christianos universe *complectamini, et, quem omnibus praestetis hominibus*, sive Christt. fuerint, seu Judaei et Pagani (εἰς πάντας, ad *Titum 2, 3. I. Timoth. 2, 1, I. Thess. 5, 15.*). Optat Apostolus, ut haec Thessalonicensium caritas, dum incrementa capiat amplissima, prorsus aequiparet suum erga illos amorem, quo luculentius simul testetur, quanta sit huius sui amoris magnitudo. Ad vbb. quippe καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς, quanquam non potest idem, quod modo sensu *transitivo* legebatur, πλεονάζομεν et περισσεύομεν suppleri, haud dubie tamen eiusmodi sententia subintelligenda, quae ex membro antec. facile suppleatur, v. c. πολλὴν ἀγάπην ἔχομεν, s. locupletes, abunde instructi sumus (amore). Recte Theophylactus ad h. l.: ἔχετε γὰρ μέτρον καὶ παράδειγμα τῆς ἀγάπης ἡμᾶς. Non alienum fuit a consuetudine Pauli, ad suum

ipsius exemplum provocare coram discipulis. *II. Thess. 3, 9. Philipp. 3, 17.* Qui amore vero increscunt, eorum virtus Christiana tota magis magisque perficitur, quum ἀγάπη sit πλήρωμα τοῦ νόμου, *Romm. 13, 10.* et σύνδεσμος τῆς τελειότητος *Coloss. 3, 14.* Patet inde, quo iure Apostolus votum pium modo enuntiatum verbis continuaverit ex illis optat. πλεονάσαι καὶ περισσ. grammatice pendentibus v. 13. εἰς τὸ στηρίξαι etc. εἰς τὸ etiam h. l. vim suam obtinet consilium s. eventum s. utrumque indicandi (v. 2.) neque cum Bolteno, Koppio, aliis, pro simplici καὶ στηρ. accipiendum. ἄμεμπτοι i. q. inculpati, irreprehensi, *Philipp. 2, 15. 3, 6.* (de adverbio supra c. 2. v. 10. vid.). ἁγιωσύνη i. q. ἁγιότης sanctimoniam, probitatem animi morumque universe complectitur, *II. Corr. 7, 1.* In versione LXX. de maiestate potius Numinis Summi (קְדֻשָּׁה) usurpatur. Quanquam haud raro dicitur στηρίζειν τινα ἐν τινὶ *II. Thess. 2, 17. II. Petri 1, 12.* nolim tamen h. l. verba στηρ. ὑμῶν τὰς καρδίας cum ἐν ἁγιωσύνῃ coniungere. Praedicatum quippe interpositum ἀμέμπτους haud dubie cum iis, quae posthac sequuntur (ubi *tempus* indicatur, *quo* debeant ἄμεμπτοι apparere) ἐν τῇ παρουσίᾳ etc. ita cohaeret, ut rectius post καρδίας commate distinguatur, non item post πατρὸς ἡμῶν, ac tota ῥῆσις: ἀμέμπτους — ἁγίων αὐτοῦ ad *effectum* referatur illius animi confirmationis, quae verbis στηρίξαι καρδίας absolute positis *(Luc. 22, 32. Romm. 16, 25.)* indicata fuerat: *quo confirmentur animi vestri, ita ut appareant* (i. q. ὥστε γενέσθαι ἀμ. vd. *I. Corr. 1, 8.*) *irreprehensi in sanctimonia*, i. e. quod statum animi probum attinet, s. per probitatem, *quae Deo placeat* s. quae vere sit sanctimonia (cfr. ad c. 1. v. 3. nisi malueris ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ cum ἀμέμπτους propius connectere: ita ut irreprehensi per sanctimoniam olim appareant coram Deo patre nostro, cfrr. Chrysost. et Oecumen., qui utramque habent interpretationem) *tempore, quo Dominus noster Jesus redierit* (de παρουσίᾳ supra vid. c. 2. v. 19. ubi ἔμπροσθεν τοῦ κυρίου etc. similiter cum ἐν τῇ παρουσίᾳ cohaerebat) *comitantibus eum ipsius angelis.* Ad sententiam cfr. *I. Thess. 5, 23.* Ge-

nii coelestes (ἄγγελοι) praedicato ἅγιοι insigniuntur *Matth. 25, 31. Marci 8, 38. Luc. ev. 9, 26. Actt. 10, 22.* Quemadmodum in V. T. simpliciter קְדוֹשִׁים (venerandi) appellantur, *Ps. 89, 6. Zachar. 14, 5. Daniel. 4, 10. 8, 13. 14, 20.* ita etiam h. l. ἅγιοι dici poterant *omisso* voc. ἄγγελοι. Neque est, quod in hac omissione cum Flattio offendamus, qui sub ἁγίοις intelligi maluit homines omnes Deo per Christum vere consecratos, probos Dei et Christi cultores, verba μετὰ πάντων etc. cum illis ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ hac ratione (paulo contortius) connectens: ut irreprehensi per sanctimoniam appareatis coram Deo patre nostro una cum aliis omnibus ei vere consecratis tempore etc. Sollennem esse hanc descriptionem adventus Christi ad iudicium futuri, ut *angeli* eum comitaturi dicantur, aliunde patet, *Matth. 16, 27. 25, 31. II. Thess. 1, 7.* Ceterum, quod in textu vulg. post Ἰησοῦ additur Χριστοῦ, auctoritate optimorum codd. cum Peltio et Lachmanno omittendum censuimus.

Caput IV.

Quanquam Paulus ecclesiam Thessalon. universe spectatam laudibus iustis ornaverat, et optima quaeque de ea sperabat, necessarium tamen iudicavit, ut et stabiliendis eorum, qui hucusque recte egissent, animis commonefaciendo prospiceret, et corrigeret singulos, si qui forte procliviores essent ad exempla mala in ista urbe frequenter obvia (vd. prolegg. §. 1. nota 3.) suo vitae genere imitanda. Proinde oratio Pauli C. IV. ad exhortationes varias transit, ita quidem, ut ab enuntiatione universa descendat ad singula.

V. 1. 2. *Λοιπὸν οὖν, ἀδελφοί, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ, καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον.* (v. 2.) *Οἴδατε γὰρ τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ.*

Amat Apostolus, praesertim in posteriori epistolarum parte, transeundi formulam λοιπὸν οὖν, s. λοιπὸν, s. τοῦ λοιποῦ, *II. Corr. 13, 11. Gal. 6, 17. Ephh. 6, 10. Philipp.*

3, 1. 4, 8. *II. Thess. 3, 1. Itaque, quod attinet id, quod superest, rogamus vos* etc. Minus recte Theodoretus et Oecumen. τὸ λοιπὸν expl. ἀποχρώντως, i. e. ita ut haec cohortatio nostra vobis sufficiat. Chrysostomus: ἀεὶ μὲν καὶ εἰς τὸ διηνεκές. Usurpatur quidem τὸ λοιπὸν hoc sensu: in omne reliquum tempus, vd. intt. ad *Matth. 26, 45.* Attamen effata epistolarum Paul. supra laudd. suadent, ut etiam h. l. simplicem transeundi formulam habeamus, praesertim quum, quod in textu vulgari ante λοιπὸν exhibetur τὸ (apud Chrysostomum quoque, Theodor. et Oecum. expressum), haud dubie auctoritate optimorum librorum delendum sit, ex locis quippe *Matth. 26, 45. Marc. 14, 41. Ephh. 6, 10.* huc illatum. ἐρωτᾶν h. l. sensu, quem profani Graeciae auctores ignorarunt, *rogandi, petendi* adhibetur, *Jo. 14, 16. Actt. 3, 3. 23, 20. Philipp. 4, 3. I. Thess. 5, 12. II. Thess. 2, 1.* ita ut hebr. שׁאל exprimat, quod LXX. aliquoties vert. αἰτεῖν s. ἐρωτᾶν, *Judd. 5, 25. I. Samuel. 30, 21. Ps. 122, 6.* Rogare aliquem et admonere (*παραιτ. I. Thess. 1, 11.*) dic. ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ, vel, qui hoc facit auctoritate et mandatis Christi instructus, *II. Corr. 2, 17. 12, 19. Ephh. 4, 1.*, vel, qui *per Christum* rogat et obsecrat, ita ut doctrinam vitamque Christi ante oculos habeat, eamque perpendere iubeat eos, qui admonentur, *Romm. 9, 1. Philem. v. 20.* Verba leviter transposita καθὼς παρελάβετε etc. hac ratione struenda: ἵνα, καθὼς παρελάβετε — θεῷ, οὕτως s. ἐν τούτῳ περισσεύητε μᾶλλον: *ut, quemadmodum a me accepistis (I. Thess. 2, 13.) quomodo vos vitam agere oporteat, et Deo placere, sic* (ad normam huius institutionis accommodate) *incrementa amplissima virtutis Christianae capiatis*, s. *in hoc studio vitam agendi Deo probatam eximie proficiatis.* Articuli generis neutrius τὸ sententiae integrae praemissi exempla similllima vd. *Luc. ev. 1, 62. 22, 2. 4. 24. Romm. 8, 26.* Matthiae *ausführl. griech. Gramm. Vol. II. p. 568. ed. II.* Sententia primaria evadit eadem, sive ἀρέσκειν verteris: *placere*, voculae καὶ vim consilii aut effectus describendi vindicans, ex usu hebr. ו, cfr. Storr observv. ad anal. et syntaxin linguae hebr. p. 301. sq.: quomodo vos oporteat vitam

instituere, *ut* Deo probemini, sive de *studio Deo placendi* intellexeris (vd. c. 2. v. 4.), ut notio universa τοῦ περιπατεῖν his καὶ ἀρ. θεῷ accuratius definiatur, i. q. περιπατεῖν ἀξίως τοῦ θεοῦ c. 2. v. 12. Quod supra c. 3. v. 12. transitive usurpatum leg. περισσεύειν, h. l. sensu vulgari intransit. adhibetur, ut περισσ. ἐν ἐλπίδι, *Romm. 15, 13.* et περισσεύειν simpliciter (sc. in iis de quibus antea sermo fuerat, donis πνεύματος ἁγίου) *I. Corr. 14, 12.* Additur μᾶλλον, quo studium in virtute Deo probata continuo progrediendi commendetur. Quod lectionem attinet, post vbb. ἀρέσκειν θεῷ in pluribus quidem codd. et verss. vetustis, itemque apud patres latinos add. καθὼς καὶ περιπατεῖτε. Sed recte viderunt Millius in prolegg. ad N. T. p. 966. et Estius in comment. ad h. l. haec vbb. speciem habere glossematis, forsitan ex loco simili *I. Thess. 5, 11.* καθὼς καὶ ποιεῖτε desumti, quo declararetur, Apostolum, etsi Thessalonicenses cohortaretur, minime tamen dubitasse de vita plerorumque huius ecclesiae Christianorum ad illam, quam dixisset, normam vere composita. Quod plures eorundem testium criticorum ante καθὼς παρελάβετε adiiciunt voculam ἵνα, ex fine commatis petitam, eidem additamento καθὼς καὶ περιπ. originem debet, siquidem, his interpositis, structura periodi longioris impeditior videbatur, nisi vocula ἵνα *bis* scribenda coniunctio arctior membrorum; καθὼς παρελάβετε — θεῷ, et: ἵνα περισσεύητε μᾶλλον patefieret. Uberius repetit Apostolus v. 2. οἴδατε γὰρ etc. quod v. 1. παρελ. παρ' ἡμῶν breviter fuerat professus, commemoranda potissimum origine et auctoritate divina huius institutionis de vita recte agenda, quam Thessalonicensibus olim coram tradidisset. Παραγγελίαι, praecepta, mandata, *Acti. 5, 28. 16, 24. I. Timoth. 1, 5. 18. Polyb. 6, 27.* al. in promtu est, v. 1. praeeunte, non tam (quod Pelt et alii voluerunt) totius evangelii praedicationem complecti, quam institutionem de vita recte agenda doctrinae et exemplo Christi accommodatam. Recordari ipsos confidit Ap. quae praecepta iis iniunxerit διὰ τοῦ κυρ. Ἰησοῦ, *auxilio s. beneficio Christi*, quo sensu διὰ χρ. *Actt. 13, 38. II. Corr. 1, 5. 3, 4.* Siquidem Paulus, *ab ipso Domino ad provinciam*

Apostoli obeundam vocatus, et institutus (Gal. 1, 12.) δι' ἀποκαλύψεως Χριστοῦ, inter illos docuerat. Usus loquendi non permittit, ut διὰ τοῦ κυρ. synonymum existimemus phraseos ἐν κυρίῳ (v. 1.) *auctoritate Domini*, etsi haud negaverim, sententiam verbis διὰ κυρ. enuntiatam, qualem modo explicuimus, *simul* complecti notionem auctoritatis Domini, qua Paulus docuerit.

Ad singula transit oratio Pauli, primum quidem cohortando Thessalonicenses, ut, quae dicuntur, carnis peccata sedulo effugiant.

V. 3 — 6. *Τοῦτο γάρ ἐστιν θέλημα τοῦ θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν·* (v. 4.) *ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας, εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ,* (v. 5.) *μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεόν,* (v. 6.) *τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ· διότι ἔκδικος ὁ κύριος περὶ πάντων τούτων, καθὼς καὶ προείπομεν ὑμῖν καὶ διεμαρτυράμεθα.*

Exemplis praeceptorum, quae Apost. hoc tempore prae ceteris in mentem revocanda putabat Christianis, iam illustrari, quod v. 2. universe professus fuerat, partic. γὰρ v. 3. ostendit: *Quippe haec est voluntas Dei, castitas vestra* (ut castimoni studeatis.) Ἁγιασμὸς, quod proprie et de consecratione rei cuiusdam dicitur usui sacro destinatae, et de purificatione rei vel hominis, quae per sacrificia fiat, *Ezech. 45, 4. LXX. Sirac. 7, 31.*, tropice de purificatione morali, animi emendatione, qua quis Deo consecratur, *I. Petri 1, 2.*, transfertur ad conditionem ipsam hominis ἁγίου, sanctimoniam, integritatem vitae (i. q. ἁγιωσύνη c. 3. v. 13), *I. Corr. 1, 30. Hebrr. 12, 14. II. Thessall. 2, 13.*, castitatem potissimum, libidini impurae oppositam, *Romm. 6, 19. 22. I. Timoth. 2, 15.* De castitate etiam h. l. cogitasse Apostolum seqq. docent v. 4. ἀπέχεσθαι ὑμᾶς etc. ubi infinitivi ἀπέχεσθαι, εἰδέναι, et v. 6. τὸ μὴ ὑπερβαίνειν etc. (minime pro imperativis positi) cum illis v. 3. τοῦτο — τοῦ θεοῦ propius cohaerent, substantivi instar per appositionem adiecti, et versui 3. uberius

explicando inserviunt: *ut abstineatis Venere illicita* etc. Latius quippe patet πορνεία, et de scortatione, v. c. *Matth. 15, 19. Gal. 5, 19.* (ubi πορνεία a μοιχείᾳ distinguitur) et de adulterio, *Matth. 5, 32.* Quem significatum ampliorem haud dubie innuere voluit lectio interpretamentum redolens πάσης πορν. in nonnullis codd. et versione Syr. Arab. editionis Erpenii, itemque apud Chrysostomum, Theodor. Theophyl. expressa. Difficultatem parant seqq. εἰδέναι ἕκαστον etc. Quaeritur enim, quo sensu dicatur σκεῦος (vas) ἑαυτοῦ? Haud pauci interpretes, inter patres graecos Chrysostomus (quantum colligere licet ex verbis Chrysost. homilia V. ad hanc ep. ἆρα ἡμεῖς αὐτὸ, τὸ σκεῦος, κτώμεθα, ὅταν μένῃ καθαρὸν, καὶ ἔστιν ἐν ἁγιασμῷ, ὅταν δὲ ἀκάθαρτον, ἁμαρτία scil. κτᾶται αὐτό· οὐ γὰρ ἃ βουλόμεθα πράττει λοιπὸν, ἀλλ' ἃ ἐκείνη ἐπιτάττει), Theodoretus, Oecumen. Theophyl. inter latinos Tertullianus de resurr. carnis c. 16. contra Marc. l. 5. c. 15. Ambrosiaster, Pelagius, recentiorum plerique, Calvinus, Beza, Grotius, Clericus, Wolf, Benson, Baumgarten, Krause, Flatt, Pelt ad h. l. aliique *corpus cuiusque* intelligunt. Certum est, corpus humanum cum vase (σκεύει), quo tanquam instrumento animus utatur, comparari egregie potuisse. Attamen, quaecunque adferuntur, effata ita se habent, ut haec significatio tropica non ipsi subst. σκεῦος aut simili adhaereat, sed ex verbis adiunctis pateat. V. c. apud *Philonem* locis *Loesnero* in observatt. ex Phil. laudd. σῶμα dicitur ἀγγεῖον τῆς ψυχῆς. Loco *II. Corr. 4, 7. orationis series* monstrat, Apostolum corpus suum, tanquam fragile et morti obnoxium, appellasse σκεῦος ὀστράκινον. In *ep. Barnabae* s. 21. corpus dic. σκεῦος πνεύματος. Apud *Cicer. quaest. Tuscull.* l. 1. c. 22.: corpus quidem quasi vas est aut aliquid animi receptaculum. [Alia loca huc prorsus non pertinent, *I. Samuel. 21, 5.* ubi כְּלֵי satis commode de supellectile itineris explicatur, *Ps. 31, 13.* homo miseria summa adflictus cum vase-fracto comparatur, *Actt. 9, 15. homo ipse* Apostolus, dic. instrumentum electum, cuius usum Deus sibi facturus, *Romm. 9, 22. 23. homines* dicc. σκεύη, quatenus

Deo sunt creati, et sorti cuidam futurae destinati.] Quae quum ita sint, dubium certe, an Apostolus formulam σκεῦος ἑαυτοῦ simpliciter positam, nec addita eiusmodi voce, qua hoc dicendi genus tropicum patefieret, de corpore cuiusque usurpare potuerit. [Qui nostrum σκεῦος sensu angustiori de membro pudendo interpretati sunt, v. c. Maius in observv. sacr. III. p. 75. et Erasm. Schmid ad h. l., iis omnino deficiunt loca scripturae N. F. quae hunc dicendi usum comprobent, etsi interdum apud scriptores profanos appareat, *Aelian. histor. anim. 17, 11.*] Deinde, qui hanc rationem sequuntur, quum prorsus non pateat, quid sibi voluerit: corpus suum *acquirere* s. sibi *comparare?* necesse est, verbo κτᾶσθαι h. l. aliam significationem vindicent. De possidendo et adhibendo corpore intelligi volunt: *ut quisque vestrum suum corpus cum castitate et honestate* (s. *eiusmodi ratione, quae dignitati corporis consulat,* ἐν τιμῇ *Coloss. 2, 23.*) *sciat possidere*, s. *honeste et decore tractet.* Audimus omnino Paulum verbis similibus de corporis usu honesto praecipientem *I. Corr. 6, 18. sq. Romm. 1, 24.* Sed haec signif. *possidendi*, quae praeterito κέκτημαι recte vindicatur, ad praesens κτᾶσθαι transferri minime potest. Parum commode provocatum ad *Sirac. 6, 6.* ubi vulgarem habet *acquirendi* potestatem, aut *Lucae ev. 21, 19.* quo l. κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑ. vel: animos vestros acquiretis, lucrum animi facietis, vel: animos vestros servaturi estis, veluti iterum acquiretis, defendetis a pernicie. An forte rectius vertere liceat: ut quisque vestrum suum corpus per castitatem et rationem eius tractandi honestam *conservare* (ab interitu s. damno defendere) sciat? Verum enimvero, quod loco *Lucae* laud. propter orationis seriem, quum v. 18. praecessisset oppos. ἀπόλλυσθαι, commode fieri potest, non item hoc loco, ubi nihil antecesserat de corpore destruendo. Praestat, eorum sententiae calculum addere, qui τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος *de uxore cuiusque* intelligi maluerunt. Quod inter veteres probatum est Augustino *l. 1. de myster.* c. 8. *contra Julianum* l. 4. c. 10. inter recentiores Heinsio, Schoettgenio, Wettstenio, Koppio, aliis. Addicunt his interprr. effata scriptorum serioris aevi Judaicorum apud

Schoettgenium in horis hebr. ad h. l. p. 827. sq. et Wettstenium laudata, ubi *uxor vas mariti* appellatur, veluti instrumentum s. supellex, cuius usum faciat, כְּלִי s. מָאן, ex illa satis cognita, quae in Oriente recepta fuit, ratione sexus foeminei aestumandi. Provocant insuper ad formulam de genere muliebri *I. Petri 3, 7.* usurpatam σκεῦος ἀσθενέστερον, quanquam de hoc l. in utramque partem disceptatur, utrum σκεῦος vasis, quod instrumento inserviat, an omnino figmenti, vasi fragilitate similis, significationem obtineat. Sollennis item de iis, qui *uxorem ducunt (sibi acquirunt)* haec ratio dicendi κτᾶσθαι γυναῖκα, *Ruth. 4, 10. LXX. Sirac. 36, 29. Xenoph.* sympos. 2, 10. Vb. εἰδέναι, seq. alius verbi infinitivo (ut h. l. κτᾶσθαι) haud raro et de cura rei cuiusdam habita, ex more latini: *videre*, et de facultate ac propensione animi ad rem peragendam idonea adhibetur, *Matth. 27, 65. Philipp. 4, 12.* al. Quodsi haec probetur vocis σκεῦος interpretatio, nihil est, quod significationem praesentis κτᾶσθαι usu loquendi comprobatam cum alia permutari iubeat. Sententia: *ut quisque vestrum sciat uxorem*, unam quidem, *sibi comparare* (quisque cogitet de una ux. ducenda), *ita ut ipse sit maneatque* (subint. ὄντα ante ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ) *in sanctimonia et observantia, qua illam uxorem suam prosequatur*, de uxore legitime ducenda cogitet, quacum deinde caste et honeste vivat. De τιμῇ vd. *I. Petri 3, 7. I. Timoth. 6, 1. Coloss. 2, 23.* In promtu est, Apostolum iis tantum scripsisse hoc praeceptum, qui non possent cupiditatem naturalem ita cohibere, ut, propter angustias illorum temporum, caelibatum sponte praeferrent neque coniugio indigerent ad vitam flagitiosam evitandam. Cfr. *I. Corr. 7, 9.* Ceterum singularis est Boltenii explicatio, praeceptum inesse existimantis, quo quisque iubeatur rem familiarem ratione honesta sibi acquirere, nec delabi ad summam eorum hominum turpitudinem, qui, quaestus faciendi causa, corpus prostituant. Sed neque docuit *singularem* σκεῦος de bonis, s. opibus usurpari, quamquam pluralis utique sic dicitur, v. c. *Matth. 12, 29. Marc. 3, 27. Luc. 17, 31.*, nec probabile est, Apostolum ad castitatem universe cohortaturum eorum tantum mentionem fecisse, qui *lucri causa*

peccata carnis committerent. Illis ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ opponitur v. 5. μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, *non ita, ut versetur in adfectione libidinis* (huic obnoxius appareat). Πάθος, apud profanos de quavis animi adfectione usum libertatis quodammodo coërcente usurpatum (*Cicer. quaest. Tuscull. l. 3. c. 4. 10.*), *Coloss.* 3, 5. de libidine dicitur, coniunctum vocc. ἀκαθαρσία et ἐπιθυμία κακὴ, ex more Paulino unam eandemque notionem primariam vocibus fere synonymis enuntiandi, itemque *Romm. 1, 26.* de ea potiss. libidine, qua quis feratur ad usum corporis turpissimum, ipsi naturae contrarium. Phrasis composita πάθος ἐπιθυμίας plerisque interpretibus (vd. Flatt et Pelt ad h. l.) vehementiam libidinis describere videtur, veluti in morbum abeuntem. Quantum equidem video, causa, quare Apost. sic scripserit, praesertim ex oppos. ἁγιασμῷ κ. τ. illustranda. Statui quippe sanctimoniae,* qua homo se totum Deo consecrat, ad voluntatem divinam vitam moresque caste componit, suisque adfectibus imperat, opponitur conditio hominis, cupiditati ita servientis, *et quaevis patiatur (Romm. 1, 26.)*, qui vel suam uxorem tantummodo instrumentum habeat libidinis, vel, uxore legitima parum contentus, ad amorem vagum et quaevis flagitia delabatur. Homines Christianos, qui sint in eiusmodi πάθει ἐπιθυμίας, simillimos dicit Apost. Ethnicis, a cultu unius veri Dei, Numinis sanctissimi, alienis: καθάπερ καὶ etc. Et cognitionem et cultum Dei veri complectitur εἰδέναι τὸν θεὸν, II. *Thessall. 1, 8.* ad *Titum 1, 16.* ex usu hebr. יָדַע i. q. aestimare, venerari, *Exod. 33, 12. Ps. 36, 10. LXX.* Constat testimoniis innumeris, Graecos Romanosque illorum temporum ineffrenatae cuiusque generis libidini palam indulsisse. Vd. Benson comment. ad h. l. *Romm. 1, 24. sq. Ephh. 4, 17, sq.* al. καὶ post καθάπερ simpliciter comparationi inservit, nec habet, quam Pelt ad h. l. inesse voluit, singularem vim urbanitatis. Cfr. *I. Thess. 3, 6. 12. 4, 13. 5, 6. Romm. 4, 6.* al. Matthiae *ausführl. griech. Gramm.* ed. II. Vol. II. p. 1259. De membro priori commatis 6. τὸ μὴ ὑπερβαίνειν etc. haud parum dissentiunt intt. Quod singula attinet, ὑπερβαίνειν, in N. F. ἅπαξ λεγόμενον, pr.

transgredi v. c. murum, parietem, aggerem, tropice: foedus s. legem constitutam transgredi (violare), modum praescriptum excedere, peccare *(Diog. Laërt. l. 8. c. 18. Jamblich. vita Pythag. c. 30.)*, interdum etiam absolute, non addito subst. *νόμον* aut simili, hoc sensu usurpatur, *Homeri Il. l. 9. v. 501. Eurip. Alc. v. 1077. Plato republ. l. 2. c. 8. p. 72. ed. Astii.* Itaque nihil est, quod nos *iubeat* vbb. *ὑπερβ. τὸν ἀδελφὸν* coniungere hoc s. *fratrem laedere*, iniuriam ei facere, etsi Kypke in obss. sacr. ad h. l. probaverit, hanc dicendi rationem non prorsus insolitam fuisse, cfr. *Plutarch.* de amore prolis p. 496. et verss. Aquilae, Symmachi, Theodot. ad *Proverbb. 20, 2.* (si lectio certa.) *Πλεονεκτεῖν* seq. accusativo personae i. q. *lucri causa fraudem facere alicui, II. Corr. 7, 2. 12, 17. sq. Xenoph. Cyrop. 1, 6. 31.* al. sensu latiori: *circumvenire aliquem, II. Corr. 2, 10. Πρᾶγμα* de quovis dic. negotio, re gerenda, *Matth. 18, 19: Actt. 5, 4. Romn. 16, 2. Xenoph. memorr. 3, 7. 1.* Notio quippe angustior negotii *mercatorii*, quam plures intt. h. l. voci *πρᾶγμα* vindicari voluerunt, simili potius subst. *πραγματεία* competit. Quod sententiam attinet totius *ῥήσεως* recte constituendam, Origenes quidem *homilia IV. in Levit.*, ex recentioribus Grotius, Wolf, Bolten, Rosenmüller, Krause, Koppe, Flatt, alii, propter vb. *πλεονεκτεῖν* de avaritia, de turpi lucri studio adhiberi solitum, huiusmodi praeceptum *ab antecedenti diversum* inesse putant: huc spectat voluntas Dei (articulum quippe *τὸ* referri volunt ad initium v. 3. *τοῦτο γάρ ἐστι* etc.) *ut nemo ulla in re fratrem*, i. q. alterum quemvis, *τὸν πλήσιον*, *Matth. 5, 22. sqq. 7, 5.* (hebr. רֵעַ *Genes. 26, 31.) laedat, lucri causa fraudem ei faciens*, sive si *ὑπερβ.* absolute positum existimetur, *ut nemo* legem iustitiae *transgrediatur, ulla in re alteri lucri causa fraudem faciens.* Plerique vero, Chrysostomus, Theodoretus, Oecum. Theophyl. Hieron. ad Ephess. 5, 5. inter recentiores Heinsius, Benson, Baumgarten, Wettstein, Burgerhoudt (in specim. laud. p. 74.) Pelt, praeceptum prius de castitate servanda *continuari* existimant, ita ut haec *τὸ μὴ ὑπερβαίνειν — ἀδελφὸν αὐτοῦ* verbis v. 4. 5. pe

appositionem adiecta habeantur, et amplius describant illud ἁγιασμὸς ὑμῶν v. 3.: *neque aliquis hac in re alterum laedat et circumveniat*, s. *neque aliquis*, legem castitatis et temperantiae *transgrediendo*, *alterum hac in re circumveniat*, eo, quod alienam uxorem per fraudem occupet sibique usurpet, iure mariti violando. [De hoc enim delictorum genere potius, quam de studio pueros iuvenesque ad paederastiam sollicitandi, quod nonnulli h. l. simul describi existimant, Apostolum cogitasse putaverim propter vbb. opposita v. 4. τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι.] Hanc alteram interpretationem praeferri utique iubet orationis series, quum non modo vbb. antecedd. matrimonii sanctitatem et castitatem praedicaverint, ita ut, si Paulus v. 6. novum praeceptum enuntiaturus esset, parum commode scriberetur τὸ μὴ etc. immo καὶ (scil. θέλημά ἐστιν θεοῦ) τὸ μὴ etc., sed etiam v. 7. iterum commemoretur ἁγιασμὸς, ἀκαθαρσίᾳ oppos. Quamvis enim ἀκαθαρσία per se spectatum de avaritia quoque turpissima explicari possit (vd. ad c. 2. v. 3. observ.), in hoc tamen nexu sermonis, ubi eidem substantivo ἁγιασμὸς, quod modo v. 3. 4. de castitate usurpatum fuerat, opponitur, non potest nisi ad libidinem s. lasciviam referri. Nec obstat usus vb. πλεονεκτεῖν, sive h. l. sensu latiori decipiendi acceperis, sive perpenderis, libidinem effrenatam; quae alienam uxorem turpiter appetat, recte etiam dici potuisse turpem plura habendi cupiditatem (cfr. *II. Samuel. 12, 1—6.*) Verissime observavit Pelt ad h. l.: „Thessalonicensibus, utpote genere Graeculis, non tam gravia erant peccata in re venerea perpetrata; hinc odiosiora illa magisque detestanda efficere studet Apostolus, innuendo in illis fraudem simul inesse erga fratres commissam.“ Vbb. τῷ πράγματι eam ipsam rem indicant, de qua modo sermo fuerat, consuetudinem cum sexu muliebri, ita ut τῷ, si *sensum* spectaveris, i. q. τούτῳ, *II. Corr. 7, 11.* Hac ratione probata, neque articulus definitus vices gerere indefiniti existimandus (quod ex usu loquendi graeco fieri posse recte negavit Winer *Grammatik etc.* p. 96. sq. ed. III.), nec opus est coniectura eorum (vd. Rittershusius in lectt. sacr. p. 540. Grotius et Koppe ad h. l.) qui pro vulg. τῷ scribi malue-

runt τῳ i. q. τινι, etsi lubenter concedamus, eiusmodi mutationem difficultatibus nullis esse obnoxiam, quum codd. antiquissimi neque iota subscriptum neque circumflexum habuerint, nec loca desiderari, ubi particula enclitica τις substantivum suum praecedat, vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik* ed. II. T. I. p. 284. Ceterum πρᾶγμα apud profanos auctores interdum de re venerea potissimum dic. Vd. *Pollucis Onomast.* V, 15. s. 13. Wettstein ad h. l. Quo gravius eiusmodi carnis delicta voluntati divinae repugnent (v. 3.), eo certiorem iis instare poenam divinam adfirmat Apost. διότι ἔκδικος etc. ἔκδικος, *vindex, ultor*, eodem sensu *Roman. 13, 4. Sirac. 30, 6.* Vocabulum profanis quoque usitatum, praesertim de defensoribus et cognitoribus civitatum singularum, Ernesti *clavis Cicer.* sub. v. *ecdicus. Dominus*, inquit, *ultor est horum omnium*, sive scortatione πορνείᾳ proprie dicta, sive adulterio, s. alio flagitiorum corporis genere peccetur. Cfr. *Hebrr. 13, 4. Ephh. 5, 6. Coloss. 3, 6.* De his quam studiose olim Thessalonicenses coram edocuerit, breviter iis in mentem revocat: καθὼς καὶ etc. Formam aorisi 2. προείπομεν: *ante* s. *prius diximus, Gal. 5, 21.* (alio sensu προεῖπε *Actt. 1, 16.*: futura praedixit), Griesbach. recte edidit, multorum codd. in quibus est Alexandrinus, itemque Chrysostomi, Theodor. Theophyl. auctoritate, pro vulgari script. aor. 1. προείπαμεν, forma in hoc vb. composito non usitata. Διαμαρτύρεσθαι h. l. vel significatum habet *sancte adfirmandi* (poenam certo futuram), *Actt. 20, 23. Xenoph. hist. gr. 3, 2. 13.*, vel *obtestandi*, graviter cohortandi, II. Timoth. 2, 14. 4, 1. al., ut Apostolus eos perpendere iubeat, quam graviter olim haec praecepta iniunxerit, addita (προειπ.) poenae divinae comminatione.

Atque omnino (ait) huic obtestationi aures praebeatis necesse est, siquidem ea, quae nobis, Deo auctore, praedicatione evangelii contigit vocatio ad regnum divinum vitam efflagitat sceleris puram.

V. 7. 8. *Οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ θεὸς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ.* (v. 8.) *Τοιγαροῦν ὁ ἀθε-*

τῶν οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν θεὸν τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ὑμᾶς.

Minime enim nos Deus vocavit ad consortium regni divini s. ad professionem evangelii, cuius ope regni div. participes reddimur (vd. c. 2. v. 12.), ***hac lege s. conditione*** [vel: ***propterea] ut immundi essemus,*** ἐπὶ sq. dativo ἀκαθ. aeque potest de conditione intelligi, *Hebrr. 9, 17. Xenoph. Cyrop. 8, 6. 4.* atque de consilio, *Gal. 5, 13. Ephh. 2, 10. Xenoph. Anab. 5, 7. 34.*, ***immo, futuros*** (ut essemus) ***in statu sanctimoniae*** (breviter: *ad* sanctimoniam). Qui h. l. obtinet usus praepositionis ἐν (non simpliciter cum εἰς sq. accus. permutandae) haud dubie ad exemplum loci simillimi *I. Corr. 7, 15.* sic intelligendus est, ut καλεῖν simul notionem perveniendi ad scopum vocationis, et permanendi in conditione vocatis proposita complectatur. Vd. Winer *Grammatik etc.* p. 349. 351. ed. III. Ad sententiam illustrandam cfr. *Ephh. 1, 4.* Nolim vero certius definire, utrum ἁγιασμὸς h. l. sensu angustiori de castitate (ut v. 3. 4.) dicatur, an latius pateat; siquidem Apostolus, quum h. l. animos lectorum ad finem primarium praedicationis evangelii converteret, utique sermonem a specie ad genus transferre potuit. Ex his porro colligere iubet lectores v. 8. *Τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν* etc. Argumentationi nectendae inservit particula haud inusitata τοιγαροῦν, *Hebrr. 12, 1. Xenoph. anab. I, 9. 9.* ἀθετεῖν, abrogare, vanum et irritum existimare et declarare, v. c. foedus, promissum, legem, mandatum, unde etiam i. q. violare, non servare (*Marc. 7, 9. I. Tim. 5, 12. Polyb. 11, 27.* al.), hoc loco, sequentibus deinde accurate personae ἄνθρωπον et θεὸν, haud dubie valet ***contemnere, spernere, Luc. ev. 7, 30. Gal. 2, 21. Judae ep. v. 8. LXX. I. Samuel. 2, 17.*** (נָאַץ). Ad sententiam integram nihil interest, sive illam, quam Paulus modo praedicaverat, vocationem obiectum existimes participii ἀθετῶν, sive, quod malim, praecepta de ἁγιασμῷ v. 3 — 6. enuntiata, coniunctissima quippe vocationi per evangelium oblatae: *qui legem illius* ἁγιασμοῦ *contemnit* (violanda lege, quam nihili eam habeat, profitetur), *non hominem spernit*, me, aliumve apostolum aut doctorem evangelii, talia praecipientem et cohortan-

runt τῳ i. q. τινι, etsi lubenter concedamus, eiusmodi m
tionem difficultatibus nullis esse obnoxiam, quum codd. a
quissimi neque iota subscriptum neque circumflexum habu
nec loca desiderari, ubi particula enclitica τις substant
suum praecedat, vd. Matthiae *ausführl. griech. Gram
tik* ed. II. T. I. p. 284. Ceterum πρᾶγμα apud pro
auctores interdum de re venerea potissimum dic. Vd. *Po
Onomast.* V, 15. s. 13. Wettstein ad h. l. Quo gr
eiusmodi carnis delicta voluntati divinae repugnent (v. 3
certiorem iis instare poenam divinam adfirmat Apost. i
ἔκδικος etc. ἔκδικος, *vindex, ultor,* eodem sensu
13, 4. Sirac. 30, 6. Vocabulum profanis quoque us
praesertim de defensoribus et cognitoribus civitatum s
rum, Ernesti *clavis Cicer.* sub. v. *ecdicus. Domin
quit, ultor est horum omnium,* sive scortatione πορνε
prie dicta, sive adulterio, s. alio flagitiorum corporis
peccetur. Cfr. *Hebrr. 13, 4. Ephh. 5, 6. Coloss. 3,
his quam studiose olim Thessalonicenses coram edocuer
viter iis in mentem revocat: καθὼς καὶ etc. Form
sti 2. προείπομεν: *ante* s. *prius diximus, Gal
(alio sensu προεῖπε *Actl. 1, 16.*: futura praedixit),
bach. recte edidit, multorum codd. in quibus est A
nus, itemque Chrysostomi, Theodor. Theophyl. auctor
vulgari script. aor. 1. προείπαμεν, forma in hoc
posito non usitata. Διαμαρτύρεσθαι h. l. vel
tum habet *sancte adfirmandi* (poenam certo futuram),
23. Xenoph. hist. gr. 3, 2. 13., vel *obtestandi,* gravit
tandi, II. Timoth. 2, 14. 4, 1. al., ut Apostolus eos
iubeat, quam graviter olim haec praecepta iniunxe
(προειπ.) poenae divinae comminatione.

Atque omnino (ait) huic obtestationi aures pra
cesse est, siquidem ea, quae nobis, Deo auctore, pr
evangelii contigit vocatio ad regnum divinum vita
sceleris puram.

V. 7. 8. *Οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ὁ θεὸ
θαρσίᾳ, ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ.* (v. 8.) *Τοιγαρο*

τὸν οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν θεὸν τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ὑμᾶς.

Minime enim nos Deus vocavit ad consortium regni divini s. ad professionem evangelii, cuius ope regni div. participes reddimur (vd. c. 2. v. 12.), *hac lege s. conditione* [vel: *propterea] ut immundi essemus*, ἐπὶ sq. dativo ἀκαθ. aeque potest de conditione intelligi, *Hebrr. 9, 17. Xenoph. Cyrop. 8, 6. 4.* atque de consilio, *Gal. 5, 13. Ephh. 2, 10. Xenoph. Anab. 5, 7. 34.*, *immo, futuros* (ut essemus) *in statu sanctimoniae* (breviter: *ad* sanctimoniam). Qui h. l. obtinet usus praepositionis ἐν (non simpliciter cum εἰς sq. accus. permutandae) haud dubie ad exemplum loci simillimi *I. Corr. 7, 15.* sic intelligendus est, ut καλεῖν simul notionem perveniendi ad scopum vocationis, et permanendi in conditione vocatis proposita complectatur. Vd. Winer *Grammatik etc.* p. 349. 351. ed. III. Ad sententiam illustrandam cfr. *Ephh. 1, 4.* Nolim vero certius definire, utrum ἁγιασμὸς h. l. sensu angustiori de castitate (ut v. 3. 4.) dicatur, an latius pateat; siquidem Apostolus, quum h. l. animos lectorum ad finem primarium praedicationis evangelii converteret, utique sermonem a specie ad genus transferre potuit. Ex his porro colligere iubet lectores v. 8. Τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν etc. Argumentationi nectendae inservit particula haud inusitata τοιγαροῦν, *Hebrr. 12, 1. Xenoph. anab. I, 9. 9.* ἀθετεῖν, abrogare, vanum et irritum existimare et declarare, v. c. foedus, promissum, legem, mandatum, unde etiam i. q. violare, non servare (*Marc. 7, 9. I. Tim. 5, 12. Polyb. 11, 27.* al.), hoc loco, sequentibus deinde accusatt. personae ἄνθρωπον et θεὸν, haud dubie valet *contemnere, spernere, Luc. ev. 7, 30. Gal. 2, 21. Judae ep. v. 8. LXX. I. Samuel. 2, 17.* (מָאַס). Ad sententiam integram nihil interest, sive illam, quam Paulus modo praedicaverat, vocationem obiectum existimes participii ἀθετῶν, sive, quod malim, praecepta de ἁγιασμῷ v. 3 — 6. enuntiata, coniunctissima quippe vocationi per evangelium oblatae: *qui legem illam* ἁγιασμοῦ *contemnit* (violanda lege, quam nihili eam habeat, profitetur), *non hominem spernit*, me, aliumve apostolum aut doctorem evangelii, talia praecipientem et cohortan-

tem (hoc enim, cum plerisque, ex universa orationis praeced. serie facilius suppleri putaverim, quam cum Peltio ἄνθρωπον ad vbb. v. 6. τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ referri: non hominem contemnit, dum fratri iniuriam facit) *sed Deum*, vocationis ἁγιασμὸν efflagitantis auctorem, cuius interpretes sumus. Etsi haud diffitear, enuntiationem simpliciter negantem, quam voc. ἀλλὰ excipiat, subinde, si *sensum* definieris, limitibus circumscribendam videri: *non tam — quam*, s. *non solum, sed;* interpretem tamen eiusmodi quoque locis nunquam oportet negligere vim oratoriam (emphasin), quam *forma* enuntiationis simpliciter negans habeat. Vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 414. sq.* Haud exigua sermonis gravitate contendit Apostolus, si quis homo Christianus legem sanctimoniae nihili habeat, hunc legis contemtum tam manifesto, tam pertinaciter repugnare *voluntati divinae* Christianis perspicuitate summa patefactae, ut hac in re omnino non sermo sit de auctoritate praeceptoris humani neglecta (etsi, hanc negligi, nemo negaverit), sed de ipsius Numinis Summi contemtu. Cfr. similiter opposita *Marc. 9, 37. Actt. 5, 4.* In iis, quae porro de Deo praedicantur τὸν καὶ δόντα etc. et de consilio, quo Apostolus haec addiderit, et de lect. vera v. 8. ex. disceptatur. Etenim, probata lect. vulgari εἰς ἡμᾶς, quaeritur, utrum ἡμᾶς rectius de *Apostolo eiusque sociis* (s. de doctoribus Christt. universe) intelligatur, quae quidem interpretatio propterea in promtu posita esse videtur, quod vbb. praecedd. οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ut modo vidimus, ad doctores evangelii respiciunt; an omnino *de omnibus Christo addictis*, quo sensu Ap. v. 7. dixerat: ἐκάλεσεν ἡμᾶς etc.? Quodsi prius probaveris, πν. ἅγιον de adiumento dic. invisibili, quod Apostolis eorumque sociis doctrinam Chr. tradentibus contigerit, eorumque auctoritatem divinam comprobaverit (vd. c. 1. v. 5.), ita ut causa, quare homines cohortationem apostolicam repudiantes recte dicantur ipsum Deum ἀθετεῖν, hoc modo uberius illustretur: *Deum*, inquam, *qui adeo spiritum suum renerandum nobis, doctoribus, contingere iussit*, non tantum nobis praedicationem evangelii demandavit, sed etiam (καὶ) vires insignes concessit. Διδόναι πνεῦμα εἰς τινα, si

sensum breviter explicueris, fere l. q. *διδόναι τινι*, pr. spiritum concedere ita, ut veniat ad aliquem, s. ex hebraico more loquendi super eo veluti quiescat, *Jes. 11, 2. I. Samuel. 19, 20. Joel. 3, 1. 2.* Sin posterius praeferatur, *πνεύματι ἁγ.* universe mutationes saluberrimae describuntur, quae, Deo volente et moderante, per spiritum divinum, in hominibus ad Christum conversis accidunt (vd. c. 1. v. 6. *II. Corr. 1, 21. sq.* Koppe exc. VI. ad *Gal.*), ita ut vbb. *τὸν καὶ δόντα* etc. novum proferant argumentum, quo doceatur, hominem, qui cohortationem ad sanctimoniam spreverit, contemnere ipsum Deum, quippe qui non tantum ad vitam emendandam nos sancte provocaverit per ipsam evangelii praedicationem, *sed adeo hanc animi nostri morumque immutationem perpetuo adiuvet spiritus sui auxilio*, nisi quis refragari motibus saluberrimis pertinaciter voluerit, *Ephh. 4, 30.* Nihil enim est, quod h. l. de solis, quae extraordinaria dicuntur, spiritus s. donis cogitari iubeat, quamvis haud negaverim, possessionem usumque horum *χαρισμάτων* ea de causa h. l. praedicari potuisse, quod auctoritati divinae evangelii Thessalonicensibus traditi, ad *ἁγιασμὸν* provocantis, declarandae haud parum inserviret. Cfr. Flatt ad h. l. Attamen pro *εἰς ἡμᾶς* auctoritate multorum codd. graecorum, in quibus sunt praestantiores, versionum Peschito et Arabb. itemque duorum codd. versionis, quae dic. Itala, Didymi et Ambrosiastri) *non* Clementis Alex. qui l. 4. stromm. p. 508. ed. Sylb. scripturam potius vulg. exhibet) plures, Bengel, Matthaei, Koppe, Knapp, Vater, Pelt legi maluerunt *εἰς ὑμᾶς*, quam script. Griesbach. parem certe vulgatae iudicavit. Oecumenius quoque, ubi verba contexta suppeditat, legit *ὑμᾶς*, in ipsa quidem interpretatione verbis usus: *τὸ ἅγ. πνεῦμα ἔδωκε ἡμῖν.* Sententia eadem prodit, quam lectionem vulg. *ἡμᾶς* fundere vidimus, si haec de Christianis universe, Spiritus div. efficaciam intus experientibus intellecta fuerit. Facile patet, hoc *εἰς ὑμᾶς* neque Apostolum eiusque socios, neque omnino alios Christianos excludere. Sed, quemadmodum Paulus v. 6. Thessalonicensibus dixerat: vos iam satis edocti estis, voluntatem divinam huc spectare, ut sanctimoniae studeatis, ita etiam h. l.

iterum alloqui eos potuit: *qui Deus adeo vobis spiritum suum animum lustrantem et emendantem contingere iussit*, quanquam v. 7. persona 1. plur. usus fuerat, ex more Apostolorum, quae proxime lectorum suorum ratione habita enuntiaturi essent, modo de his tantum eloquendi, modo ad semet ipsos quoque transferendi. Exspectabatur utique propter v. 7. persona 1. ἡμᾶς, unde factum, ut lectio primitiva ὑμᾶς alteri, faciliori, ex corrigendi studio profectae in exemplaribus multis cederet, praesertim quum ex vbo. οὐκ. ἄνθρ. ἀθετεῖ facile colligeretur, πν. ἅγιον h. l. adiumentum innuere Spiritus div. quod *Apostoli docentes* acceperint. Quod reliquam lect. diversitatem attinet, quod vocula καὶ ante δόντα in nonnullis insigniorum codd. et verss. *Arabb. Peschito Slav.* itemque apud *Chrysost. Theophyl.* aliosque patres omittitur, mihi quidem ex antiquo scribendi errore fluxisse videtur, quum oculi librariorum a syllaba τὸν facile ad syllabam priorem illi simillimam participii δόντα aberrare potuerint. Scriptura vero διδόντα, codicum quidem auctoritate haud destituta, nisi omnia me fallunt, glossema sapit dogmaticum, quo doceretur, Spiritum div. *continuo dari* hominibus Christo addictis.

Sequuntur alia praecepta, ut proficiant in amore aliis praestando, studeantque tranquillitati vitae et industriae in opere faciundo.

V. 9 — 12. *Περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν.* (v. 10.) *Αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους· καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτὸ εἰς πάντας τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν ὅλῃ τῇ Μακεδονίᾳ.* (v. 11.) *Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, περισσεύειν μᾶλλον, καὶ φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν, καθὼς ὑμῖν παρηγγείλαμεν·* (v. 12.) *ἵνα περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε.*

Eximiam vide urbanitatem cohortationis, quam laudatio praemissa ita emolliat, ut facile se insinuet in animos legentium v. 9.: *Non opus habetis ut scribendo vos commonefaciam de amore ceteris Christi cultoribus exhibendo.* Ἀδελ-

φοὺς quippe h. l. non quosvis dici homines (c. 4. v. 6.) sed religionis socios (c. 1. v. 4.) seqq. docent. Caritas mutua, qua Christiani, ipso Deo volente et moderante arctiori religionis vinculo coniuncti, se invicem complectantur, liberalitate potissimum erga pauperes et adflictos se exserens, φιλαδελφία, praecipue commendatur in scriptis Apostt. *Romm. 12, 10. Hebrr. 13, 1. I. Petri 1, 22.* ita quidem, ut haud seiuncta esse debeat ab amore hominibus omnibus praestando, *II. Petri 1, 7. Gal. 6, 10.* Apud profanos φιλαδ. de adfectu fraternitatis proprie dictae usurpatur, *Lucian. dial. De. 26, 3.* Post χρείαν ἔχετε (de qua form. ad C. I. v. 8. dix.) cogitando add. ἐμέ s. ἡμᾶς (nisi malueris supplere τινα, quod add. *Hebrr. 5, 12.*). Quae omissio pronominis, quo subiectum novum indicari debuerat, exemplis apud Graecos haud destituitur. Vd. Bornemann ad *Xenoph. sympos. p. 54.* Mollius utique fluit oratio, si auctoritate codicis *Vatic. Claremont. Augiensis* et aliorum, vers. *Vulgatae, Chrysostomi, Theophyl. Ambros.* cum Lachmanno receperis ἔχομεν. Attamen speciem habet vel interpretamenti, vel correctionis lectionis vulg. difficilioris. Quo iure dixerit Apostolus οὐ χρείαν ἔχετε etc. v. 10. explicat Αὐτοὶ γὰρ etc. Quum modo negasset, Thessalonicenses praeceptione indigere humana, cuius ope nunc demum dignitatem summam amoris mutui sibi persuadeant, eiusque virtutis exercendae initium faciant, in promtu est, in membro opposito αὐτοὶ sq. ὑμεῖς hoc sensu dici: *vos ipsi sponte*, cfr. *Jo. ev. 16, 27. Plato republ.* l. 1. c. 19. p. 43. ed Ast. ubi αὐτοὶ de iis dic. qui *faciunt* aliquid ad suum arbitrium. Vigerus *de praecipuis graecae dict. idiotismis ed.* Herm. 1802. Vol. I. p. 168. Vol. II. p. 727., i. e. pro ea, quam dudum toto pectore amplexi fuistis, cognitione et persuasione, quae veluti cum tota vestra sentiendi ratione coaluit. Cuius persuasionis adfectusque Thessalonicensium laudabilis auctorem praedicat Deum: θεοδίδακτοί ἐστε (vocab. in N. F. ἅπαξ λεγόμ. aliis eiusmodi compositis simile, v. c. αὐτοδίδακτος, l. q. διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, *Jo. ev. 6, 45.*), vel, quatenus, Deo volente et gubernante, religionis doctrinae Christ. prae ceteris amorem commendantis *(Jo. 13, 34.)* participes redditi fuerant,

vel etiam hac de causa, quod Deus porro per Spiritum suum (v. 8.) animos Thessalonicensium ad amorem mutuum et intus nutriendum et factis comprobandum impellebat. *Philipp. 2, 13.* Certum est, patetque ex loco *Jo.* laud. hanc loquendi formulam non tantum ad rectam pertinere cognitionem, sed etiam ad voluntatem laudabilem divinitus excitatam. Quae add. εἰς τὸ ἀγ. ἀλλ. propius pendent ex vb. διδάσκειν (θεοδίδ.) ut εἰς finem s. effectum indicet. Parum diversa apparet, quod rem primariam attinet, interpretatio eorum, qui θεοδίδ. absolute positum habent fere i. q. θεόπνευστοι: Spiritus Dei vobis inest, vos docens et regens, ita ut non possitis vos invicem non diligere. Sed hac ratione probata nemo recte dixerit, quid hoc sibi velit: ipsi *sponte vestra* estis θεοδίδακτοι s. θεόπνευστοι? Sententia parum commode eruitur, nisi vbb. εἰς τὸ etc. cum antecedd. propius coniungantur. Eximia sermonis brevitate usus haec docet Apostolus: ipsi vestra sponte, etsi vos nemo commonefaciat, amore mutuo vos complectimini, divinitus quippe hanc ad rem instituti. Quod sententiam attinet cfr. *II. Corr. 8, 1. 9, 13. 15.* Re ipsa et facto se tales gesserant permulti Thessalonicenses, vel liberalitate, quantum pro viribus possent, erga Christianos pauperes aliorum Macedoniae coetuum exercenda, vel etiam aliis caritatis mutuae speciminibus proferendis. Hac enim laude dignos censuit Ap. καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτὸ (τὸ ἀγαπᾶν) etc. Proinde finem cohortationis suae nonnisi hunc esse profitetur, ut rem laudabiliter inchoatam egregie perficiant, addendis et emendandis, quae insuper fieri aut rectius institui debeant. V. 11. Παρακαλοῦμεν δὲ etc. De phrasi περισσ. μᾶλλον ad v. 1. vid. Innotuerat haud dubie Paulo, non deesse inter Christianos Thessalonn. qui et temere se immisceant rebus alienis, quo facile lites excitentur, et, vitae otiosae indulgentes, nec strenuo manuum labore victui suo prospicientes, sed aliorum liberalitati perperam confidentes, non tantum nihil conferre valeant ad sublevandos pauperes, sed etiam ipsi eo delabantur, ut aliis molesti fieri debeant beneficentia eorum imploranda. Quae quidem amoris mutui impedimenta prorsus removeri iubet Apost. καὶ φιλοτιμεῖσθαι etc. φιλοτι-

μεῖσθαι seq. alius vb. infinitivo dic. qui aliquid ita agit et perficit, ut hac in re honorem ponat laudemque suam, *Romm. 15, 20. II. Corr. 5, 9. Aelian. V. H. 9, 29. 3, 1.* Laudem appetere illos iubet Apost. *vitam tranquillam agendo* (ἡσυχάζειν, *Aeschyli Prom. v. 344. Thucyd. 1, 12.*) i. e. vitam iis tantum, quae singulis competunt, negotiis intentam, ita ut neque de negotiis aliorum rebusve domesticis curiose perquirendis regendisve cogitent, nisi officii ratio hoc fieri iusserit, sedulitate mala hominum otiosorum, qui huc et illuc discurrant (περιεργαζόμενοι), neque res novas in republica moliantur, turbarumque auctores existant, *II. Thessall. 3, 11. 12. I. Tim. 2, 2.* Notionem quippe otii, feriarum, h. l. verbo ἡσυχ. minime inesse, etsi hoc sensu *Lucae ev. 23, 56.* obveniat, e seqq. patet καὶ πράσσειν etc. In eo, inquit, ambitiosi sitis, ut *negotia vestra* (ἴδια, τὰ ὑμέτερα, τὰ ἑαυτῶν, vd. c. 2. v. 14. sq.) *sedulo peragatis, manibusque vestris operemini.* τὰ ἴδια πράττειν graecitatis est minus probandae, quum veteres potius scripserint τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, vd. Lobeck ad *Phryn. p. 441. sq.* Sic apud *Platonem republ.* l. 6. c. 10. p. 273. ed. Ast. ἡσυχίαν ἄγειν καὶ τὰ αὑτοῦ πράττειν dicitur. De vb. ἐργάζεσθαι ad c. 2. v. 9. vid. Commemorando hoc uno laboris genere, quod manibus fit (ab ipso quippe Apostolo, ubi coetibus molestus fieri nollet victu ab iis sumendo, tractari solito), h. l. quaevis industria commendatur. Quod vulgo leg. ἰδίαις ante χερσίν in pluribus deest iisque bonis codd. itemque in verss. Aethiop. Armen. Vulg. Itala, et apud Chrysost. Theophyl. Ambros. Euthalium, ita ut facile possit ex glossemate profectum videri, cui adscribendo superius τὰ ἴδια ansam dederit; nisi existimaveris, Apostolum, etiamnum animo volventem, quod modo dixisset, quemvis oportere τὰ ἴδια peragere, consulto iterum eiusdem vocabuli (scribendi vitio in pluribus codd. propter similitudinem litterarum praecedd. ταῖς omissi) usum fecisse (cfr. *I. Corr. 4, 12.*), quo magis defigeret legentium animos in cogitationem laboris, quo quisque suo victui sua virium contentione consulat, ne temere confidat aliis pro ipso laboraturis, nec rebus se immiscent ad ipsum nihil pertinentibus, lucrum factu-

rus ex iis, quae alii sua industria perfecerint. In mentem iterum revocatur Thessalonicensibus institutio, quam olim ex *ore* Pauli acceperant καθὼς etc. Cohortationi argumentum addit desumtum ex officio cuiusque hominis Christiani, totius ecclesiae dignitati et famae quovis modo prospiciendi v. 12. ἵνα περιπατῆτε etc. Ex usu loq. Paulino, quicunque Jesum Christum non profitentur, et Judaei et Gentiles, dicuntur extranei, οἱ ἔξω (τῆς ἐκκλησίας ὄντες), *Coloss. 4, 5. I. Corr. 5, 12. sq. Apud hos*, s. coram his (quo sensu πρὸς sq. accusat. *Matth. 26, 55. Actt. 13, 31.)* versantur honeste, decenter, εὐσχημόνως, *I. Corr. 14, 40. Romm. 13, 13. Xenoph. memorr. 3, 12. 4.*, qui vitam ita instituunt, ut etiam profanis hominibus probentur, nec ullam praebeant offensam coetui ignominiosam; vel controversiis turbisque excitandis, vel vita otio difluente, eosque ad inopiam tantam redigente, ut aliis molestias facessere debeant, liberalitate eorum imploranda. Posterius praesertim h. l. in mente habuisse Apostolum, colligere licet ex seqq. καὶ μηδενὸς etc. Ellipsin substantivi πρᾶγμα satis cognitam plures quidem intt. etiam his verbis explicandis adhibuerunt: ne ulla re ad vitam agendam necessaria destituamini. Malim cum aliis supplere ἀνθρώπου, quum verba praecesserint, quae speciem huius generis indicarent τοὺς ἔξω: *ne cuiusquam hominis*, vel Christiani, vel profani, *auxilio ad vitam sustentandam indigeatis* (vestra quidem culpa). Desideramus causam idoneam, quare hoc μηδενὸς vel cum Flattio de solis Christianis, vel cum Wolfio et Peltio de solis extraneis intelligatur. Non poterat non ecclesiae esse dedecori, si forte Judaei et Pagani homines Christianos animadvertissent vita vel otiosa vel dissoluta eo delapsos, ut beneficentia aliorum, vel religionis sociorum, vel profanorum, maxime indigerent. Bene Chrysostomus ad h. l. *homilia VI. in ep. I.* Οὐκ εἶπεν, ἵνα μὴ ἀσχημονῆτε ἐπαιτοῦντες (mendicantes), ἀλλὰ τὸ αὐτὸ μὲν ἤνεγκατο, πρακτέρον δὲ αὐτὸ τίθησιν, ὥστε καὶ πλῆξαι, καὶ μὴ σφόδρα τούτους βαρῆσαι.

Transit Apost. ad corrigendos errores eorum, qui vel prorsus dubitabant de Christianis hucusque mortuis et porro

morituris ante reditum Christi sollennem (quem haud ita procul remotum putabant), an resurrectionis mortuorum pariter atque ii, quorum vita terrestris ad *παρουσίαν* usque Servatoris pertingeret, participes essent futuri, vel deteriorem certe illorum conditionem in regno divino fore opinabantur. Etsi non accuratius constet de fonte huius sollicitudinis, cuius vestigia satis perspicua in placitis de Messia eiusque adventu, qualia liber 4. *Esrae* c. 6. c. 13. continet, obveniunt; ex ipso tamen Pauli sermone cognoscimus, tum temporis haud paucos hac de re in eiusmodi dubitationem fuisse coniectos, ut et socios religionis, qui diem iam obiissent, tanquam miseros deplorarent, et ipsi, ignari quippe diei fatalis, mortem extimescerent (quo mortis metu facile constantia eorum in profitenda ac defendenda doctrina Christi, inter vexationes potissimum, infringeretur), ideoque etiam, quo tempore Christus esset venturus, studiosius, quam par esset, investigarent. His dubitationibus vanis opponit Apost. exspectationem certam, resurrectioni ipsius Servatoris superstructam, Christi cultores omnes, vita terrestri defunctos, in vitam meliorem prodituros esse, docetque insuper Thessalonicenses, quod felicitatem in regno divino futuram attinet, nullam fore eorum praerogativam, qui tempore reditus Jesu Christi in hac vita superstites fuerint.

V. 13. 14. *Οὐ θέλομεν δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπῆσθε καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα.* (v. 14.) *Εἰ γὰρ πιστεύομεν, ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη, οὕτως καὶ ὁ θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ.*

Familiares sunt Paulo ad sententiam transeunti, cuius vim et veritatem lectores praecipue vult perpendere, sive doctrinam enuntiet novam, sive olim traditam in memoriam revocandam formulae: *θέλω δὲ ὑμᾶς εἰδέναι*, *I. Corr. 11, 3. Col. 2, 1.* s. *οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν Romm. 1, 13. I. Corr. 10, 1. 12, 1.* s. *οὐ θέλομεν* etc. *II. Corr. 1, 8.* Quem numerum pluralem h. l. pro singulari *θέλω* in textu vulg. obvio, auctoritate multorum codd. verss. Armen. Aeth. Slav. itemque Origenis, Chrysost. Theodor. Theophyl. Ambros. aliorumque patrum, editiones Griesb. Matthaei Knappii

Lachmanni receperunt, Millio quoque, Bengelio, Wettstenio probatum. *Nolumus* (nolo) *vos ignorare* veritatem, dubitationibus suspensos teneri, *quod attinet* (περὶ *I. Corr. 12, 1.*) *eos, qui obdormiverunt,* l. e. mortuos, per euphemismum satis cognitum, huic potissimum loco, ubi de hominibus *resuscitandis* sermo est, egregie accommodatum, *Jo. ev. 11, 11. I. Corr. 15, 6. 18. 20. LXX. Jes. 43, 17. Sophocl. Electra v. 510.* Quanquam Apost. persuasissimum habuit, quod ipse Christus docuerat, *hominum omnium,* Christianorum pariter ac Judaeorum Gentiliumque, proborum pariter atque improborum, et animos esse immortales, et corpora olim instauratum iri, eorumque et remunerationem et poenam fore aeternam; minime tamen ad hunc locum attinebat, de sorte ceterorum exponere. De iis tantum, qui, Christo addicti, diem obierint, eorumque et resurrectione et conditione vere beata posthac futura paucis lectores commonefacere voluit Apostolus. Quae consolatio quam necessaria sit, his docet: ἵνα μὴ etc.: *ne tristes reddamini* (sive propter amicos vestros et cognatos vita defunctos, sive de morte vobis instante cogitantes) *eo modo, quo etiam tristes esse,* de sua aliorumque salute vera desperare *solent ceteri spe* certa et laeta *destituti,* cum Judaei, inter quos Sadducaei certe eorumque discipuli nec persuasionem de resurrectione corporum admittebant, nec de animi immortalitate recte iudicabant, tum maxime Gentiles, de rebus post mortem futuris magnopere fluctuantes, *Ephess. 2, 12.* Voculam καὶ particulis comparationem innuentibus haud raro coniungi omninoque interdum ita poni, ut rei cuidam clare demonstrandae inserviat, etsi per se spectata abesse potuerit, docc. exempla apud Raphelium in *adnotatt. Herodott.* laudd. p. 564. Vd. Weiske *de pleonasmis graecis* p. 185. et supra ad 4, 5. observ. Ab eiusmodi tristitia animum abiiciente alienos esse oportet, qui Christum profitentur e mortuis suscitatum. v. 14. Εἰ γὰρ etc. Ex ipsa indole sententiarum utriusque huius commatis membri utique patet, eundem declarari, quem alia Pauli effata vel eadem brevitate vel uberius tractaverint, nexum persuasionis de Christo in cruce mortuo, per Deum vitae restituto, cum persuasione de resurrectione mortuorum, cuius au-

ctor Deus per Christum sit futurus, *Romm. 8, 11. 28 — 34. I. Corr. 15, 12 — 23. 6, 14. II. Corr. 4, 14.* Praeeuntibus his aliisque effatis mortuus est Christus pro hominibus, ut, pignore certo gratiae divinae aeternae per mortem in cruce toleratam (sacrificia piacularia hucusque usurpata abrogantem) palam exhibendo, animos hominum, qui peccatorum sibi conscii essent, vindicaret a metu servili vel internecionis animi morte futurae vel poenae aeternae post mortem exspectandae, eosque et spe laetissima veniae peccatorum iis omnibus, qui resipiscere voluerint, divinitus contingentis imbueret, et virtutis suae, quam vel moriendo patefecisset, exemplo sancte obstringeret vitae emendatae, peccatis renuntianti, Deo obsequenti, qui digni evadere possent consortio vitae beatae in regno futuro per gratiam Dei constituto. Hanc esse, Deo volente, vim et efficacitatem mortis Christi saluberrimam Deus ipse sollenniter asseruit, siquidem, quem hostes insontem trucidaverant, in vitam revocavit, eumque palam exhibuit filium sibi dilectum, doctorem hominum et Servatorem veracissimum et virtute perfecta insignem, praeconem falli nescium immortalitatis et resurrectionis omnium suo ipsius exemplo comprobatae, omnibus, qui veristi divinae aures praebuerint, constitutum ducem perpetuum felicitatis aeternae impetrandae. Audimus igitur Paulum h. l. breviter sic argumentantem: *si credimus, Jesum et mortuum esse et in vitam rediisse* [ponebat utique Paulus, hac de re persuasum esse lectoribus suis Christianis, sed rem certam et indubitatam tanquam conditionem enuntiat, ex qua pendeat s. sponte sequatur, nisi quis parum sibi constare voluerit, alius persuasionis veritas, *Matth. 7, 11. Jo. ev. 13, 32.* Bornemann ad *Xenoph. Anab. I, 2. 25.*] *credere etiam nos oportet, fore ut Deus omnes* (Christianos) *vitae restituat.* Quod posterius ab Apost. ita enuntiatur, ut pro exspectatione certa rei futurae rem ipsam statim commemoret οὕτως καὶ ὁ θεὸς etc. Vocalam οὕτως nolim cum Storrio et Flattio propius coniungere vbb. τοὺς κοιμηθέντας h. s. *tales*, Christo similes, resuscitatos ducet mortuos Deus. Sed initium facit apodoseos, una cum voc. sq. καὶ consequentiam indicans. Eodem modo οὕτως particulis εἰ et ἐπεὶ protasin incho-

antibus respondet *Apocal. 11, 5. Herod. 9, 6. Xenoph. Cyrop. 8, 1. 1.* De vbb. *διὰ τοῦ Ἰησοῦ* haesitant interpretes, utrum antecedentibus, an sequentibus cohaereant propius. Qui prius probant, Ambrosiaster, Chrysostomus [Theophyl. quidem et Oecum. inter utramque rationem fluctuant] Grotius, Michaelis, Koppe, alii, in varias partes abeunt, explicaturi, quo sensu dici potuerit *κοιμηθ. διὰ τοῦ Ἰησοῦ?* Plerique h. s. qui diem obierunt *Christo addicti*, Chrysostomo interprete: *τὸν Χριστὸν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς*, i. q. *κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ I. Corr. 15, 18.* s. *ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι ἐν κυρίῳ Apocal. 14, 13.* At nemo recte probavit hunc usum promiscuum formularum *ἐν τῷ Ἰησοῦ*, et *διὰ τοῦ Ἰησοῦ*. Aliter sese habet cum locis *Romm. 4, 11. πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας* scil. *γενομένων II. Corr. 5, 7. διὰ πίστεως περιπατοῦμεν*, similibusve, ubi ipsa indoles substantivi, cuius genitivus praepositionem *διὰ* excipit, indicio est, de *conditione* quadam s. *statu* sermonem esse, quem aliquis permeans, sive (quod adiunctum est) cuius particeps, in quo constitutus aliquis cogitetur, ita ut, si sententia spectetur, his locis utique *διὰ* sq. genit pro *ἔν τινι* positum dici possit. Neque cum Chrysostomo eiusmodi praedicatum, quod notionem universam mortuorum his limitibus coerceret (qui tanquam Christiani diem obierunt), ab Apostolo, de resurrectione non universali sed partiali h. l. disserente, omitti non potuisse putaverim. Id enim facile ex tota oratione contexta perspicitur (vd. v. 15. 16.), sortem praedicari hominibus Christo addictis olim exspectandam. Qui *mortuos sub tempus Christi sub κοιμηθ. διὰ Ἰησοῦ* intelligi volunt, ex usu loquendi prorsus nequeunt sententiam suam defendere. Contortius item Michaelis: *quorum mors per Christum in somnum abiit.* Proinde non dubitamus, cum Storrio *dissert. in epistolarum P. nim aliquot loca*, Tubing. 1792. p. 29. sq. (vd. *opuscc. acad Vol. III. p. 320.*), Flattio, Burgerhoudtio spec. laud p. 147. Peltio vbb. connectere *διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξε* praeeuntibus aliis locis, quae docent, mortuos in vitam revocatum iri *per Christum, Jo. ev. 5, 28. sq. 6, 39. 44. 54 14, 3. II. Corr. 4, 14. Philipp. 3, 21.* Duriorem hanc r

donem Koppe propterea existimat, quod statim sequatur σὺν αὐτῷ. Sed vb. ἄξει ad utrumque, et διὰ τοῦ Ἰησοῦ et σὺν αὐτῷ referri satis commode poterat, ut prius modum, posterius scopum resuscitationis innueret: *mortuos ducet Deus per Jesum, futuros cum Jesu*, i. q. ita ut perveniant ad consortium Christi, s. in eum locum, ubi Christus est (cfr. Storr l. l. Burgerhoudt l. l. Flatt, Pelt), *Jo. ev. 14, 3. 17, 24.* Nec minus commoda prodit sententia, si legatur αὐτῷ, quod ad Deum ipsum pertineat (pro ἑαυτῷ, *Luc. ev. 19, 15. Actt. 16, 3.*): mortuos Deus per Jesum *secum* ducet s. adducet, veluti comites sibi adiunget, i. e. in sedes transferet beatorum, cfr. *Hebrr. 2, 10.* ubi Deus dic. πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἄγειν. Attamen, quam antea commendavimus, interpretatio et verbis v. 17. καὶ οὕτως πάντοτε σὺν κυρίῳ ἐσόμεθα maxime accommodata est, et consilio Pauli, eos Thessall., qui perperam existimarent, homines ante παρουσίαν Chr. mortuos a Christo fore seiunctos, sollicitudine tristissima liberandi. Quod Koppe coniecit, ἄξει h. l. dici pro ἄξει ἐκ νεκρῶν (σὺν αὐτῷ i. q. ὡς αὐτὸν): mortuos resuscitabit pariter atque Jesum suscitavit, parum commendatur rationibus philologicis, quum l. *Jerem. 52, 9. Ezech. 16, 40.* ubi ἄγειν apud *LXX.* hebraico הֶעֱלָה respondet, omnino non sermo sit de resurrectione mortuorum.

Non tantum resurrectionis, sed etiam *eiusdem* salutis in regno divino paratae participes erunt, quicunque Christum vere profitentur, sive mortuos sive in vita adhuc superstites deprehenderit dies sollennis reditus Jesu Christi. His sancte adseverandis immoratur oratio Pauli.

V. 15—18. Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ κυρίου, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας. (v. 16.) Ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος ἐν κελεύσματι ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ, καταβήσεται ἀπ᾽ οὐρανοῦ, καὶ οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον. (v. 17.) Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα· καὶ οὕτως πάντοτε

σὺν κυρίῳ ἐσόμεθα. (v. 18.) *Ὥστε παραμυθεῖτε ἀλλήλους ἐν τοῖς λόγοις τούτοις.*

Quum Apostolus felicitatem omnibus veris Christi cultoribus exspectandam v. 14. iam innuisset consortio Christi commemorando (*σὺν αὐτῷ*), satis commode transitum ad sententiam versuum seqq. particula *γὰρ* munire poterat v. 15. *τοῦτο γὰρ ὑμῖν* etc. Ad vbb. postrema v. 14. quae conditionem beatam hominum, qui ad consortium Christi perventuri essent, innuerant *σὺν αὐτῷ* manifesto respicit vocula *γὰρ: hoc enim vobis dico* etc. Nuntiaverat Christus, fore ut, quicunque ipsum vere professi fuerint (*ἐκλεκτοὶ*), tempore constituto congregentur ad salutem regni divini impetrandam, *Matth. 24, 31. sq. Marc. 13, 27.* De praerogativa quadam eorum, qui ad reditum usque Servatoris in vita terrestri versaturi sint, neque locis laudd. nec aliis salutem futuram praedicantibus sermo est. Huius ipsius Jesu Christi institutionis ratione habita (quod dudum Pelagius observavit) Apostolus verissime adfirmare potuit, se haec nuntiare Thessalonicensibus *ἐν λόγῳ κυρίου, instructum Domini sermone* s. *doctrina*, vel: *secundum sermonem Domini* (cfr. בִּדְבַר *Esther 1, 12. I. Regg. 20, 35. ἐν μέτρῳ Ephess. 4, 16. ἐν θελήματι θεοῦ Romm. 1, 10.*). Nisi malueris vel de effato Christi per traditionem propagato, nec in evangeliis memoriae prodito, vel, cum Chrysostomo et Theodoreto, de revelatione singulari cogitare, quae Apostolum huius rei certiorem reddiderit, eique, ut idem aliis patefaceret, mandaverit. De verbis *ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι* etc. exploratum habemus, noluisse Paulum exspectationem *certam* profiteri, fore ut *et ipse et celeri omnes Christiani tum temporis viventes* superstites manerent, donec Dominus rediisset. Etsi enim Paulus *παρουσίαν* Christi maluerit propius instantem cogitare, quam multis demum saeculis post eventuram, probe tamen intellexit, temporis rationes accuratius non posse investigari, adeoque refutavit eos, qui illam *proxime* instantem exspectabant et cupidius appetebant, *I. Thessall. 5, 1. 2. sq. II. Thess. 2, 1. sqq.* Quomodo tandem de omnibus una cum ipso tum viventibus Christianis, in quibus haud dubie etiam fuerunt aetate prove-

cfiam, certo exspectare potuit, fore ut ipsos adhuc in terra versantes deprehenderet dies Domini? Ne hoc quidem Paulus exploratum habebat, se ipsum veniente Domino superstitem fore, *II. Corr. 4, 14.* *καὶ ἡμᾶς διὰ Ἰησοῦ ἐγερεῖ*, 5, 1. *ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ*, *I. Corr. 6, 14.* *καὶ ἡμᾶς* (secundum lectionem probatiorem) *ἐξεγερεῖ*, *Philipp. 1, 20. sq. 3, 11. II. Timoth. 4, 6.* sqq., quanquam lubenter, quamdiu nondum aetate erat provectior, in cogitatione reditus Christi *forsitan ipso adhuc in terris vivente* eventuri animum defigebat, vd. prolegg. §. 6. Immo notio universa *ἡμεῖς οἱ ζῶντες* his limitibus circumscribitur: *οἱ περιλειπόμενοι* etc.: *ii nostrum* (Christi cultorum) *nunc viventium, qui superstites manserint usque ad reditum Domini.* *περιλείπεσθαι* in N. F. praeter v. 17. huius cap. non recurrit, cfr. *Herodian. 2, 1. 16. 3, 2. 20.* Participium praes. h. l. sic intelligendum: ii nostrum, qui in eo fuerint, ut superstites maneant, ut porro vivant usque etc. Traditionem quippe philologicam de praesenti simpliciter pro futuro posito recte, opinor, impugnavit Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 289. sq. Attamen de ambitu verbb. *ἡμεῖς οἱ ζῶντες* diversimode disputatur. Plerique concedunt, Apostolum haec *de parte quadam hominum suae aetatis enuntiasse*, sed plures horum interpretum dubitant, an Paulus *semet ipsum* ad illos *ζῶντας περιλειπομένους* referri voluerit (quod inter vett. Chrysostomus et Damascenus, recentiorum plures negaverunt), nec desunt, qui verba Apostoli *hypothetice* tantum intelligenda existiment: mortuorum in vitam revocandorum non minor erit felicitas, quam speramus fore, ut nobis obtingeret, si quidem accideret, ut nos ad reditum Christi in vita mansissemus, vd. Burgerhoudt in specim. laud. p. 152 — 161. Aliis (Theodoreto, Theophyl. inter recentt. Bensono et Flattio) Apostolus omnino non de Christianis sui temporis, sed *de posteritate* locutus esse videtur. Alii denique (vd. Storrii *opusce. acad. T. I. p. 77.*) sensum verborum latius patere volunt: *quicunque vel nostrum, nunc viventium, vel posterorum, ad reditum usque Domini in vita terrestri manserint.* Quod illam attinet *hypotheticam* verborum interpreta-

tionem, causam desideramus idoneam, quare Paulus hunc singularem dicendi modum (in hac orationis serie obscuriorem, ambiguum certe) usurpaverit. Qui vel posteritatem Christianorum illius aevi intelligunt, vel sensum latius patere dicunt, bene quidem observant, pronomina personalia personae I. et II. haud raro omnes complecti, qui ad populum quendam s. societatem pertineant, temporum diversissimorum, *Marc. 10, 3. Jo. 7, 19. 22. Actt. 7, 38.*, immo interdum vel maiores tantum, vel posteros eorum, quos orator s. scriptor aequales habeat, intelligi, *Jo. 6, 32. Deuteron. 30, 1. sqq.* Sed alia esse videtur huius effati Paulini indoles, alia locorum laudatorum, quum Apostolus illud ἡμεῖς (quod per se spectatum ex more scribendi apostolico utique homines Christo addictos significat) et h. l. et v. 17. verbis οἱ ζῶντες οἱ περιλ. ita accuratius definierit, ut nemo facile negare possit, Paulum, τοῖς κοιμηθεῖσι (v. 14.) *hos* opponentem, *de Christianis suae aetatis* adhuc cum ipso viventibus cogitasse. Nec ulla apparet huius interpretationis difficultas. Ipse enim Servator nunquam definiit, quo tempore (ocius seriusve) rediturus esset, etsi nonnulla eius effata de παρουσίᾳ haud ita procul remota explicari *potuerint*. Cfr. commentarius meus exegetico-dogmaticus in eos Jesu Christi sermones, qui de reditu eius ad iudicium futuro et iudicandi provincia ipsi demandata agunt, Jenae, 1820. p. 140. sqq. 179. sq. 188. 270. sq. 362. 413. 415. Nihil igitur impediebat Apostolum, quo minus cum plerisque Christi cultoribus reditum Christi rerumque omnium immutationem ingentem tum futuram magnopere desiderantibus statueret, *facile fieri posse*, ut παρουσία Domini *mox* eveniat, in vita adhuc superstite aliqua parte hominum tum viventium. Sic statuisse Paulum ex c. 5. v. 4. videbimus. Neque his contradicunt effata supra laudd. *II. Corr. 4, 14. 5, 1. I. Corr. 6, 14.* dummodo perpenderimus, noluisse unquam Apostolum de *tempore* reditus Christi sententiam *certam* pronuntiare, locisque laudd. pronomen plur. ἡμᾶς, quod per se spectatum Christianos universe innuat, de maiori tantum parte positum esse, de iis omnibus, qui vel, priusquam Paulus haec scriberet, diem obiissent, vel porro morituri essent ante παρουσίαν. Nec vi-

deo, quo iure negemus, Paulum haec (ἡμεῖς οἱ ζῶντες) ita enuntiasse, ut de semet ipso pariter atque de aliis Christianorum illo tempore viventium cogitaret (prolegg. §. 6.). Qui negant, ἀναχοίνωσιν illam inesse existimant, qua orator s. scriptor ad semet ipsum, si verba sequamur, transferat, quod vel maxime vel unice de auditoribus lectoribusve intelligi velit. Attamen aliorum, quae laudaverunt, effatorum indoles haec est, ut ex ipsa rei natura et orationis serie, ἀναχοίνωσιν inesse, facile intelligatur. *Romm. 3, 5. 13, 11. sq. I. Corr. 10, 8. 9. II. Corr. 7, 1. Hebrr. 6, 1—3. I. Petri 4, 3.* Secus se habet cum oratione contexta huius l. Si Apostolus illis forsitan περιλειπομένοις se accensere prorsus *noluisset*, sic scribi debebat v. 15. ὅτι οἱ ζῶντες οἱ περιλ. εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κ. οὐ μὴ φθάσουσι ἡμᾶς τοὺς κοιμηθέντας, et v. 16. 17. καὶ ἡμεῖς οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστησόμεθα πρῶτον, ἔπειτα οἱ ζῶντες οἱ etc. Ceterum, quum ad animos Christianorum, quibus haec scribuntur, sollicitudine nimia liberandos haud dubie plurimum faceret, ut de sorte et ipsis, et cognatis, amicis, religionis sociis vita iam defunctis instante edocerentur, vel hac de causa Apostolus, παρουσίαν Christi *forsitan mox* eventuram ratus, maluit h. l. persona prima adhibenda exspectationem illam τοῦ περιλείπεσθαι ad Christianos potissimum tum viventes (ex parte quidem) transferre, quam, tertia usus persona, rem universe enuntiare; haud negaturus quidem, inter homines quoque nondum natos, in vitam terrestrem posthac prodituros, fore, qui ad παρουσίαν usque Domini superstites maneant. De his igitur adfirmat: οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας: *nullo modo, nequaquam* (sic enim οὐ μὴ emphatice usurpatur, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 422.*) *antevertemus* (de φθάνειν vd. ad c. 2. v. 16) *mortuos*, ita ut citius, quam illi, ad Christum perveniamus (v. 17.) et aliquam felicitatis ex consortio Christi oriundae praerogativam habeamus. Qui ceteros anteverterint veniendo ad Christum, haud dubie Thessalonicensibus illis, vel conditionem eorum, qui diem iam obiisset, deplorantibus, vel de sua morte ante παρουσίαν eventura magnopere sollicitis, dignitate in regno divino praestituri

ceteris omnibus videbantur. Proinde in iis, quae seqq. id maxime urgetur, *omnes* Christo addictos *simul* ad eum perventuros. V. 16. (quem v. separatim tractavit F. Flatt: *opuscula academica, coll.* F. Süskind, Tub. 1826. p. 411. sqq.) Ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος etc. Christum rediturum, mortemque (ἔσχατον ἐχθρον, *I. Corr. 15, 26.*) prorsus debellaturum mortuis suscitandis omnibusque ad vitam aeternam ducendis, veluti principem, regnum suum armata manu occupantem, suaeque potestati adversarios omnes subiicientem describit oratio Apostoli, ipsa brevitate et simplicitate ad sublimitatem composita. *Descensurus* quippe *coelitus* dicitur ἐν κελεύσματι, *cum* (proprie: instrucius, vd. ad c. 1. v. 5.) *clamore excitatorio*, i. e. eiusmodi voce longe lateque personante, quae apud vett. in usu fuit, ubi *milites*, ut convenirent, castra deiicerent, collectis omnibus iter susciperent, ad pugnam properarent, per ducem excitabantur, vel se ipsi mutuo excitabant, *Thucyd. 2, 92. Dionys. Halic. antiqq. l. II. p. 88.*, quanquam κελ. (ἅπαξ λεγόμενον in N. F.) etiam de aliis eiusmodi vocibus exhortatoriis usurpatum est, v. c. de incitatione nautarum ad rem suam strenue agendam, *Lucian. Tyr. c. 19.* Quum signa in exercitu et voce humana et sonitu tubae ederentur, illud κελεύσματι amplius explicatur vbb. ἐν φωνῇ etc. Ex usu loquendi Judaeorum seriorum, qui tempore exilium insequuto geniorum coelestium ordines varios et classes distinguebant, angeli his singulis ordinibus praefecti ἀρχάγγελοι appellabantur, hebr. שַׂר. Multa de iis habent vaticinia *Danielis v. c. 9, 21. 10, 5. 13. 21. 12, 1.* ubi Michaeli potissimum *(Apocal. 12, 7. sqq.)*, angelo tutelari gentis Judaicae, cum geniis tutelaribus aliarum gentium dimicanti, dignitas eximia vindicatur. Cfr. *Judae ep. v. 9. liber Henochi* p. 187. Angeli, qui in ipsis sermonibus Christi, *Matth. 13, 41. 16, 27. 24, 30. sq. 25, 31. Marc. 8, 38. 13, 26. sq. Luc. 9, 26.*, Messiam sollenniter redeuntem comitaturi dicuntur, ut iudici summo inserviant, in hoc sermone Paulino turmis militum comparantur; ἀρχάγγελος duci summo totius exercitus (neque enim usui loquendi, nec indoli et naturae huius descriptionis accommodata est eorum interpretatio, qui vel Jesum Christum ang

lorum dominum, vel *πνεῦμα ἅγιον* sub *ἀρχαγγ.* intelligi voluerunt); Christus ipse regi triumphanti, imperium suum sibi prorsus vindicanti, cuius adventum sollennem dux militum, *ἀρχάγγελος*, *et voce sua et tuba exercitum cohortante* nuntiet, nisi malueris *φωνῇ ἀρχαγγ.* et *σάλπιγγι θεοῦ* ad *unum idemque signum* referre, h. s. cum voce exhortatoria mortuos prodire iubente, quam princeps geniorum coelestium per tubam Dei editurus est, praecuntibus locis *Matth. 24, 31. I. Corr. 15, 52.* Ad perficiendam hanc maiestatis, qua Christus olim redditurus sit, descriptionem, et institutis et formulis Judaeorum convenientem, utique pertinebat, ut tuba (*σάλπιγξ*) commemoraretur. Etenim, quum tuba sonans apud Judaeos ad populum convocandum et decreta promulganda adhiberi soleret, *Levit. 25, 9. Numerr. 10, 2. 31, 6.*, unde etiam in scriptis prophetarum tubae mentio facta, ubi de hominibus multis hic illic dissipatis colligendis sermo est, *Jes. 27, 13. Jerem. 4, 5. 6, 1. Joël. 2, 1.*, facile patet, quare oratio anthropopathica ad ipsum Deum, per symbola apparentem, leges promulgantem, res magnas inter Judaeos perficientem, usum tubae transtulerit, *Exod. 19, 16. Ps. 47, 6. Zachar. 9, 14.*, itemque ad Christum mandata promulgantem, *Apoc. 1, 10.*; geniosque coelestes, Dei ministros et praecones, *Apoc. 8, 2. 6. 13. 9, 14.* Tuba ingenti et graviter sonante instructum *Deum* olim mortuos suscitaturum esse Judaei seriores docebant, cfr. Eisenmenger *entdeckte Judenthum* T. II. p. 929. Proinde h. l. Messias sollemniter redituras dic. cum *tuba Dei, i. e. quae Dei est, s. Deo iubente sonabit.* Haec enim interpretatio locis ex V. T. supra laudatis accommodata, simplicitate, opinor, praestat sententiae eorum (Wolfii, Bensoni, Baumgartenii, Boltenii), qui tubam propterea *divinam* praedicari existimant, quod graviter, longe lateque *personatura* sit, i. q. *σάλπιγγα φωνῆς μεγάλης Matth. 24, 31.* Nec prorsus huc pertinent, quae interpr. laudati de eiusmodi effatis monuerunt (vd. Storr *observv. ad anal. et syntaxin hebr. p. 258. sq.*), ubi vel genitivus nominis אֱלֹהִים s. יְהוָה subiectum excipiens hanc rem tanquam Deo gratam, acceptam describit, vel formula: coram Deo (i. q. iudice Deo) praedicato subiecti addita gradum prae-

dicati innuit singularem. Cfr. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 203. Ceterum sermo ipsius Servatoris *Jo. 5, 25. 28.* brevius docet, fore ut mortui omnes percipiant vocem Christi, illos suscitantis. Quando igitur Christus hac ratione descenderit, *οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ* etc. Quod vulgo hic legitur *ἀναστήσονται πρῶτον*, auctoritate critica praevalet lectioni in nonnullis codd. itemque in verss. latinis et apud Theophyl. Theodor. Ambros. expressae *πρῶτοι* (h. s. qui mortui sunt Christo addicti, resurgent *primi*), quam insuper orationi contextae minus aptam apparere confestim videbimus. Fuerunt omnino interpretes (inter vett. Theodor. Theophyl. Oecum. quanquam Oecum. lectionem vulg. *πρῶτον* habet), qui ex hoc loco, collato *I. Corr. 15, 23. sq.* doctrinam eruerent de *duplici mortuorum resurrectione*, altera (priori) Christianorum, altera vel paulo post vel longe serius futura hominum omnium. Etsi vero nihil impediat, quo minus vbb. *νεκροὶ ἐν Χρ.* propius coniungantur (suppl. *ὄντες*): mortui, qui sunt (s. fuerunt) Christo addicti, i. q. *κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ I. Corr. 15, 18. οἱ τοῦ Χριστοῦ* ib. v. 23., oculos tamen incurrit, hi *νεκροῖς* v. 17. minime ceteros opponi mortuos, Christo non addictos, sed *ζῶντας περιλειπομένους*, resuscitatione haud indigentes, sed mutationem quandam subituros (I. Corr. 15, 52.) Quodsi verba: *καὶ οἱ νεκροὶ* etc. resurrectionem, quam dicunt, priorem describere existimemus, nemo facile dixerit, quare Paulus silentio omiserit posteriorem. Versus quippe 17. de re prorsus alia agit. [Quod effatum attinet *I. Corr. 15, 24. εἶτα τὸ τέλος* minime resurrectionem secundam ceterorum omnium s. resurrectionis finem indicat, sed i. q. *συντέλεια τοῦ αἰῶνος.*] Consilium Apostoli homines *Christianos* de morte Christianorum consolandi (quod verissime vidit Koppe ad h. l.) minime hoc efflagitabat, ut de *hominibus omnibus* una cum iis, qui Christo addicti essent, resuscitandis exponeretur. De mortuis omnibus in vitam revocandis, parte pro toto posita cultores Christi resuscitandi commemorari poterant, quum Paulus h. l. de *vita beata* potissimum cogitaret, resurrectionem regno divino sequuturam, quae in libris N. F. ubique ad homines refertur Christo addictos. [Similiter *I. Corr. 15, 23.*

Χριστοῦ potius dicitur, quam οἱ ἄνθρωποι, propterea de Christo, antesignano mortuorum, principe omnium resurgendorum antea sermo fuerat.] Accedit, quod vbb. v. 16. hanc admittunt interpretationem, ut ἐν Χρ. cum ἀναστησονται propius cohaereat: mortui *primum* resurgent *per Christum*, i. q. διὰ Χριστοῦ *II. Corr. 4, 14. vd.* Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 332. Sic malim propter v. 14. 15. ubi Paulus simpliciter et universe κοιμηθέντας commemoravit. Resurgent mortui πρῶτον i. e. antequam *et hi, et ceteri*, tum temporis viventes, ad consortium Christi in sedibus beatorum perveniant. Etenim (v. 17.) ἔπειτα ἡμεῖς etc.: *tum ii nostrum, nunc viventium, qui superstites manserint, una cum illis*, resuscitatis, *nubibus vecti obviam Domino in aërem rapientur*. Quod ἐν νεφέλαις perventuri dicuntur ad consortium Christi, prorsus accommodatum est cogitationi domicilii coelestis super nubibus in infinitum extensi, iisque locis, ubi de Deo sermo est hominibus maiestatem suam patefaciente, nubibus veluti quadrigis triumphalibus vecto, *Ps. 104*, 3. al, itemque de Messia nubibus cincto *Daniel. 7, 13.* et subinde nubibus olim redituro *Matth. 24, 30. Actt. 9, 1. 11.* Et velocitatem summam, qua Christo addicti ex hac terrena sede in sublimiorem abducendi sint, et vim insignem (omnipotentiam divinam), quae hac in re conspicua sit futura, verbum bene lectum ἁρπαγησόμεθα exprimit, *Actt. 8, 39. II. Corr. 12, 4.* Scopus profectionis formula duplici enuntiatur, quae utraque ex eodem vb. ἁρπαγ. pendet, *a)* εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου, obviam Domino, ad colligendos et recipiendos cultores suos coelitus venienti, hebr. לִקְרַאת, *Matth. 25, 1. 6. al. Polyb. 5, 26. 8. LXX. Jerem. 41, 6.* (Quod in nonnullis, iisque bonis codd. in verss. vulg. et Itala et apud patres quosdam exprimitur: εἰς ἀπάντ. τῷ Χριστῷ, defendi omnino potest eiusdem constructionis exemplo *Actt. 28, 15.*) *b)* εἰς ἀέρα, quae verba quo sensu h. l. adiiciantur, diversimode disputatur. Demonstrari utique non potest, ἀήρ simpliciter usurpatum esse pro οὐρανός. Nec usus loquendi permittit, ut εἰς ἀέρα cum nonnullis vertatur: *per aërem*. Videtur Apostolus, sermonis genere populari ideoque minus definito usus,

dicati innuit singu... ...remotas, nubi-
p. 203. Ceteru... ...2. Joseph. antiqq.
vius docet, fore ...los sisteret transitum
los suscitantis. ...me certa futurum, pri-
rit, οἱ νεκροὶ ...dium, deinde εἰς ἀέρα,
ἀναστήσονται ... (καὶ οὕτω πάντοτε etc.).
in nonnullis c... ...re reditus Christi superst-
Theodor. ... ...uri, quo apta reddantur vitae
Christo add... ...asseruit *I. Corr. 15, 50—53.*
textae min... ...ad *I. Corr. l. l.* allata, quae
omnino in ... ...doctorum Rabbinn. similiter sta-
quanquan... ...morituros. Quanta tum futura sit
loco, co... ...ter describit Apostolus commemo-
mortuo... ..., qua fons perennis felicitatis verae
tera v... ...risti perpetuo: καὶ οὕτω etc.: *hac*
Etsi v... ...lectis) *continget nobis, in perpetuum*
propi... ..., dignitatis et felicitatis Christi, *Jo. 14,*
runt ... *8, 17. Coloss. 3, 3. 4. II. Timoth. 2, 12.*
15. ... Paulus sedulo perpendere iubet Thessa-
νεκ... Ὥστε παρακαλεῖτε etc.: *itaque his sen-*
ad... ...*sermone enuntiatis*, cfr. *Matth. 7, 24. 26.*
in... ...) *vos mutuo consolemini.* Praepos. ἐν dativo
(... ... praefigitur, ubi dativus simpliciter positus suf-
... ..., ex more scriptorum N. F. formulam ἐν τινι
... ...audi, cuius ope aliquid fiat, quanquam interdum
... ... apud profanos talia obveniunt, v. c. apud *Herod.* τέρ-
... ... ἐν λόγοις, s. ἐν ἔπεσιν αἰνεῖν, vd. Raphelius
... ...*rall. Herodd. p. 564.*

Restat, ut universe paucis dicamus de indole huius de-
...ptionis Christi redituri recte aestumanda. Sensu mere tro-
pico s. symbolico Apostolum ipsum intelligi voluisse, quaecun-
que de παρουσίᾳ Domini et h. l. et alibi dixerit, eumque hac
mente Christum veluti modo spectabili rediturum descripsisse,
ut formulis Christologiae Judaeorum (vd. Bertholdt *christo-
logia Judd. p. 84. sqq.*) accommodatis, sensu proprio haud
intelligendis, doctrinam de vita nova eademque meliori omnibus
Christo addictis olim per Christum Deo volente futura enun-

haud facilius demonstraveris, quam, symbolo tantum vi- futurae et immortalitatis apud Paulum inserviisse formulas ..uorum resurrectionem praedicantes. *a)* Quanquam Paulus ..be noverat, spem reditus Christi sensu proprio mox faturi ..ter Christianos Thessall. in eiusmodi exspectationem morae im- patientem abiisse, quae animos vario modo perturbaret, nun- quam tamen vel impatientiae vel sollicitudini illorum aliam prorsus de *παρουσία* Domini recte aestumanda persuasionem op- posuit (non docuit, actum quendam s. efficientiam mere *invisibilem* Servatoris intelligi, cuius experimentum et hoc tempore faciant, quotquot Christum recte venerentur, et olim, post vi- tam terrestrem, sint facturi), sed in epistola posteriori in eo tantum elaboravit, ut Thessalonicenses cavere sibi iuberet, ne curiosius in diem reditus Christi inquirerent, nec *παρουσίαν proxime iam instare*, priusquam Antichristus apparuisset, per- peram crederent. *b)* Ipsius Jesu Christi sermones *Matth. 16, 27. 24, 30. 25, 31. 26, 64. Marc. 13, 26. 14, 62. Luc. 21, 27.* satis perspicue docuerant, eum aliquando coelitus ventu- rum esse, ita ut omnibus appareat. Vd. quae de his locis disserui in comment. exegetico-dogm. in eos Jesu Chr. sermo- nes, qui de reditu eius ad iudicium futuro et iudicandi provin- cia ipsi demandata agunt, Jenae, 1820. Quae hac de re ip- sius Christi fuerit persuasio, dissentiunt quidem Theologi, exi- stimantibus quippe haud paucis, successum prosperrimum, quem doctrina et ecclesia Christi in his terris habitura esset, eiusque victoriam tandem de adversariis omnibus reportandam, salutem- que aeternam in regno divino futuram a Servatore, propter il- lius aeculi indolem, eiusmodi symbolis enuntiatam esse, quae reditum quendam Messiae *visibilem*, maiestate insignem depin- gerent. Cfr. Usteri *Entwickelung des Paulinischen Lehr- begriffes* ed. III. p. 198. Baumgarten-Crusius *Grund- züge der biblischen Theologie p. 441. sqq.* Quam controver- siam, suo loco separatim vel in explicandis evangeliis vel in Theologia biblica tractandam, h. l. dirimere nolumus. Sed iidem Theologi recte concedunt, Servatorem, etsi hac in re accommodatione usus fuerit, nec dubitaverit, Christianos serio- ris aevi sensim sensimque, quae *symbolis* tribuenda essent, in-

tellecturos, eiusmodi tamen formulis rem delineasse, quae Christianos *illius certe saeculi* ad *παρουσίαν* visibilem tempore nemini cognito exspectandam converteret. Proinde etiam Paulus in *παρουσίᾳ* Domini praedicanda de actu mere *invisibili* cogitari voluisse parum probabiliter existimatur. *c)* Substant. *παρουσία*, cuius sollemnis est usus de illo Domini reditu (vd. loca ad c. 2. v. 19. laud.), aliis locis, ubi de Christo non sermo est, ubique hominis cuiusdam adventum s. praesentiam sensu *proprio* indicat, *I. Corr. 16, 17. II. Corr. 7, 6. 7. 10, 10. Philipp. 1, 26. 2, 12.* Itemque, quod *I. Tim. 6, 14. II. Tim. 4, 1. 8.* ad *Titum 2, 13.* pro *παρουσία* leg. *ἐπιφάνεια* apparitionem, quae in oculos cadat, intelligi docet. Facilius *nonnulla* eorum, quae Apostolus de hoc adventu visibili elocutus est, ex ipsius mente tropice dicta existimentur, exornationi tribuenda. Attamen, quibusnam terminis haec sententia circumscribenda sit, vix putaverim tam accurate constitui posse, ut dubitationibus nullis locus relinquatur. Quod Paulus genios coelestes comites Christi redeuntis exhibet *II. Thess. 1, 7.* (praeeuntibus effatis Christi *Matth. 13, 41. 16, 27. 24, 31. 25, 31. al.*) praesertim archangelum *I. Thess. 4, 16.* ad salutem exornationem referri posse non facile existimaverit, quicunque meminerit, angelis, providentiae divinae ministris, omnino in libris N. F. sensu proprio efficientiam insignem tribui, in iis potissimum rebus, quae ad salutem hominum et decreta divina per Christum exsequenda pertineant. Tropicum genus dicendi magis redolet voc. *κέλευσμα*, quippe quod (ut supra vidimus) comparationem Christi redeuntis cum principe triumphum agente innuit. Quod commemorationem *σάλπιγγος* attinet certum dicerem, nihil inesse, nisi imaginem mandati Dei potentissimi, si *usus tubae* h. l. ipsi Deo *immediate* tribueretur. Attamen *σάλπιγξ θεοῦ* satis commode (cfr. supra obs.) explicatur: tuba, quae Deo iubente sonabit. Similiterque *I. Corr. 15, 52.* non dicitur: *θεὸς σαλπίσει*, immo simpliciter *σαλπίσει*, vel impersonaliter adhibitum (i. q. tubae sonus edetur), vel ita, ut suppleatur *σάλπιγξ*. Noluisse Apostolum tubam sonantem ad meram referri exornationem, cum Boehm (*de spe Messiana apostolica*, Hal. 1826. p. 37. sq.) ex

colligi possit, quod idem Apost. *I. Corr. 15, 52.* quum dixisset ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι. denuo addiderit σαλπίσει γὰρ, quo animos lectorum hano ad rem praecipue redderet attentos. Utrum vero tubam proprie dictam intellexerit, an universe tantum sonitum quendam admodum gravem longe lateque personantem, illo tempore, Deo volente exoriturum putaverit, minus exploratum habemus. Quocunque tandem modo de his singulis iudicaverimus, sententiam *primariam*, quam Paulus tenuerit, cum Flattio et Peltio hanc esse statuimus: Christus aliquando palam redibit, modo sollenni, summam ipsius maiestatem omnibus patefaciente. Eandemque sententiam primariam effata ipsius Servatoris supra laudd. in evangeliis synopticis exprimunt. Nec ratio humana habet, quod cogitationi eiusmodi temporis, quo summa Jesu Christi ad coelos translati dignitas terricolis omnibus extrinsecus manifestetur (quacunque tandem ratione fiat) recte opponat. Sed haec accuratius examinanda in scholis dogmaticis.

Caput V.

Quanquam Paulus sub finem Cap. IV. reditum Christi sollemnem tanquam eventum, ut ipsi tum videbatur, *haud ita procul remotum* nuntiaverat, parum tamen probandam existimavit curiositatem eorum, qui, quo tempore Christus esset venturus, vel impatienter, vel anxie inquirerent. Itaque lectores suos porro iubet in eo acquiescere, quod probe teneant, παρουσίαν Domini aliquando, *tempore incognito*, *subito* esse futuram, docetque, eos non habere, quod hanc παρουσίαν inopinatam metuant, si modo quovis tempore animum servaverint adventui iudicis bene praeparatum.

V. 1. 2. 3. *Περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν, ἀδελφοί, οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι.* (v. 2.) *αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε, ὅτι ἡ ἡμέρα κυρίου, ὡς κλέπτης ἐν νυκτί, οὕτως ἔρχεται.* (v. 3.) *Ὅταν λέγωσιν· εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια· τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν.*

V. 1. Etsi substantiva χρόνος et καιρὸς in more loquendi vulgato tanquam synonyma obveniant v. c. χρόνος τοῦ τεκεῖν *Luc. 1, 57.* καιρὸς τῆς ἀναλύσεως *II. Tim. 4, 6.* τον πάντα χρόνον *Actt. 20, 18.* ἐν παντὶ καιρῷ *Luc. 21, 36.*; proprie tamen ita differre verissime observavit Tittmann *de synonymis in N. T.* l. 1. p. 40. sqq. ut χρόνος notionem habeat temporis indefiniti, nec per se positum sed aliis vocibus coniunctum ad tempus certum transferatur, καιρὸς vero sit tempus s. temporis punctum opportunum ad aliquid agendum. Unde, si dicitur περὶ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν (cfr. *Actt. 1, 7. LXX. Eccles. 3, 1. Daniel. 2, 21. 7, 12.*), prius accuratius definitur posteriori: *quod vero attinet tempus*, quo Christus rediturus est, *momentum quidem temporis accuratius constituendum*, s. quod attinet *tempus et tempestatem*. Pluralis et singul. utriusque substant. promiscue ponuntur. De form. οὐ χρείαν ἔχετε etc. vd. 4, 9. Non erat, quod Christiani Thessall. nunc demum docerentur, adventum Domini, tempore nemini cognito (*Matth. 24, 36. Marc. 13, 32. Actt. 1, 7.*), improviso esse futurum. In mentem tantum iis revocanda putavit Apostolus, figura quidem praeteritionis usus, et graviter commendanda, quae hac de re ex ore ipsius Apostoli aliorumve evangelii doctorum accepissent. V. 2. Αὐτοὶ γὰρ etc. Iterum emphatice dic. αὐτοὶ, ut 4, 9.: *vos ipsi*, pro vestra rerum Christianarum cognitione, etsi hac de re *litteris* meis non admoneamini, *accurate* ἀκριβῶς (*Matth. 2, 8. Luc. 1, 3. Actt. 18, 25.*) i. e. ex diligenti institutione acceptum, ideoque (quod inde seq.) *certo compertum habetis* etc. Quae h. l. appellatur ἡμέρα κυρίου, dies sollennis Domini, praeeunte nexu huius loci cum verss. postremis C. IV., neque, quod, Schoettgen. in *horis hebrr. et talmudd. p. 830.* Hammondusque ad h. l. voluerunt, de tempore eversionis Hierosolymarum, neque cum Lyrano aliisve de die fatali hominum singulorum, aut cum Theophyl. et Oecum. de utraque re simul intelligi potest, de συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, fine rerum terrestrium olim futuro tempore reditus Domini pariter atque de exitu vitae singulorum. [Facilius Chrysostomo adsentiri liceat, quae Apostolus h. l. de animo adventui Christi bene

praeparando praeceperit, *transferri* etiam posse ad cogitationem diei fatalis cuiusque nostrum, quippe cuius praesagia certa non habeamus.] Immo, quod inter vett. Theodor. verissime intellexit, recentiorum plerique concedunt, *ipse* tantum *dies reditus Christi sollennis* indicatur. *I. Corr. 1, 8. 5, 5. II. Corr. 1, 14. Philipp. 1, 6. 10. 2, 16. II. Thess. 2, 2. II. Petri 3, 10.* Exprimitur phrasis יוֹם יְהוָֹה de tempore usurpata, quo Deus potentiam suam, benignitatem, maxime iustitiam singulari modo sit patefacturus, *Joël 1, 15. Malach. 3, 17. Ezech. 13, 5. Jes. 2, 12.* Hic dies *venit*, ἔρχεται (si sensum spectaveris i. q. ἐλεύσεται, quum de re certo eventura iam decreta agatur) ὡς κλέπτης ἐν νυκτί. Si quid parum decori huic comparationi inesse videatur, perpendamus necesse est, minime *personam Christi* redituri cum fure adventante, sed *rem ipsam*, παρουσίαν eius futuram, cum furis adventu conferri, praeeunte exemplo ipsius doctoris divini, ita ut haec locutio tropica, quae tum temporis in proverbialem abiisse videtur, sententiam duplicem contineat, *a) tempore prorsus incognito, ideoque inopinato appariturum esse, b) metuendum fore omnibus, qui animum haud praeparaverint adventui iudicis*, patrisfamilias instar domum suam contra furem irrupturum parum sedulo munientis. Utrumque enim inesse et alia docent effata, *Matth. 24, 43. sq.* (coll. *Luc. 12, 39. sq.*) ubi Servator, sectatores suos ad vigilantiam cohortaturus, hoc sermone parabolico utitur: Ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἂν, καὶ οὐκ ἂν εἴασεν διορυγῆναι τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, additque: διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς γίνεσθε ἕτοιμοι, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, cfr. *Apocal. 3, 3. 16, 15. II. Petri 3, 10.*, et, quae deinceps apud nostrum v. 3—8. praecipiuntur. Singulari quippe studio convertit Paulus lectorum animos ad *Christum, tanquam vindicem scelerum iustissimum ac potentissimum, inopinato rediturum.* V. 3. Ὅταν λέγωσιν etc. Vulgo *post* ὅταν additur γὰρ, codicum quorundam, verss. patrumque auctoritate textu remotum in editt. Griesb. et Knappii. Haud contemnenda lectio δὲ in codd. paucis, verss. Copt. et Syr. philoxeniana, apud Chrysost. et Theo-

dor. pro γὰρ expressa, in hac orationis serie sic intelligenda: (*vos quidem* probe tenetis, diem Domini certo et inopinato esse venturum), *quando autem ii, qui hoc omnino curare non videntur*, securitatem summam rerum suarum externarum gloriati fuerint, quando impietas magna longe lateque exstiterit *II. Thess. 2, 3.*, iidem subito veritatem promissi Servatoris, παρουσίαν ipsam, experientur. Qui nexus voculae δὲ cum vss. praecedd. si parum recte a librariis intellectus fuerat, accidere facile potuit, ut ab aliis simpliciter omitteretur, ab aliis scriberetur γὰρ ex initio v. 2. Loquentes inducuntur homines, veritatem divinam contemnentes, vitiis indulgentes, prorsus securi poenae instantis, de iudice apparituro minime cogitantes: εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια (ἐστι): *pace*, tranquillitate rerum externarum, *et securitate* a periculo et hostibus *gaudemus*. Quo sensu ἀσφάλεια (בֶּטַח) saepius dici neminem fugit LXX. *Levit. 26, 5. Deuter. 12, 10. II. Maccabb. 4, 21. Xenoph. memor. 3, 12. 7. al.* Gloriatio similis apud *Ezech. 13, 10.* Ad sententiam illustrandam cfr. *Matth. 24, 38. sqq. Luc. 17, 26. sqq.* Attamen his securitatem iactitantibus *pernicies* (ὄλεθρος, *Plato republ. l. 4. c. 10. ed. Ast. II. Thess. 1, 9. I. Corr. 5, 5.*), poena divina, eademque αἰφνίδιος, *repentina* (*Luc. 21, 34. Sapient. 17, 15. Herodian. 1, 6. 8.*) *aderit improviso.* Adventus inopinati notio, praedicato αἰφνίδιος iam adnexa, gravitatis causa separatim exprimitur αὐτοῖς ἐφίσταται, verbo sollenni de rebus hominibusve celeriter adventantibus, praeter omnem opinionem s. citius, quam quis existimaverit adstantibus. Significatio quippe *adoriendi*, quamvis in hunc locum bene transferri possit, quum de pernicie agat futura, an omnino verbo ἐφίσταμαι per se spectato recte vindicetur, propterea dubitaverim, quod plura exempla docent, in utramque partem adhiberi, sive quis animo hostili apparuerit, v. c. *Actt. 6, 12. 17, 5.* sive consilio bono, *Luc. 2, 9. 24, 4. al.* Comparatur denique haec repentina pernicies cum *partus dolore mulierem gravidam* (ἐν γαστρὶ ἔχειν i. q. utèrum ferre, *Matth. 1, 18. 23. Herodot. 3, 32. al.*) *corripiente*, sive *cum actu parturiendi dolores adferente.* Utroque enim sensu apud profanos dicitur

ὠδὶς, v. c. *Act. V. H. 12, 1. Homeri Il. l. 11, v. 271.* cuius loco graecitas deterior formam ὠδῖν posuit, *Matth. 24,* & *Marc. 13, 9.* ubi tropice de vexationibus et aerumnis. Quam parturientis similitudinem pluribus locis V. T. obviam, ubi de dolore, pavore, angustiis sermo est, *Ps. 48, 7. Jes. 13,* 8. *21, 3. 26, 17. Jerem. 6, 24. 13, 21. 22, 23. 49, 24. 50, 43. Hos. 13, 13.*, nec profanis incognitam *Homeri Il. l. 11. v. 269.* h. l. id potissimum innuere, perniciem illam hominibus iudicio Christi condemnandis *inevitabilem* fore, colligere utique licet ex vbb. postremis: καὶ οὐ etc.: *quam perniciem nequaquam* (vd. 4, 15.) *effugient.* Insuper tamen perpendamus, quam probe imago doloris parturiendi, qui quo temporis momento mulierem gravidam correpturus sit ipsa nesciat, etsi haud procul remotum praevideat, ad παρουσίαν *Christi certo quidem sed tempore incognito eventuram* accommodata fuerit. Cfr. Chrysost. ad h. l.

Quicunque vero per doctrinam evangelii recte edocti sunt, quomodo se habeat cum illa Domini παρουσία, et, quo consilio Christus sit venturus, eamque persuasionem animo firmiter amplexi sunt, non habent quod metuant diem Domini certo et inopinato appariturum, si modo vitam instituerint huic cognitioni accommodatam. Quam sententiam Paulus in seqq. ita eloquitur, ut ad Thessalonicenses potissimum erigendos admonendosque transferat.

V. 4—8. Ὑμεῖς δέ, ἀδελφοί, οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει, ἵνα ὑμᾶς ἡ ἡμέρα, ὡς κλέπτης, καταλάβῃ. (v. 5.) Πάντες γὰρ ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε καὶ υἱοὶ ἡμέρας· οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς, οὐδὲ σκότους. (v. 6.) Ἄρα οὖν μὴ καθεύδωμεν, ὡς [καὶ] οἱ λοιποί, ἀλλὰ γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν. (v. 7.) Οἱ γὰρ καθεύδοντες νυκτὸς καθεύδουσιν, καὶ οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύουσιν (v. 8.) Ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες νήφωμεν, ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης, καὶ περικεφαλαίαν, ἐλπίδα σωτηρίας.

Vobiscum, inquit, aliter sese habebit, quam cum hominibus illis perversis (v. 3.) securitatem iactaturis. Vos enim in eiusmodi conditione versamini, quae animos vestros adven-

tui iudicis parum praeparatos esse haud patiatur. Hano confidentiam laetam Apostolus, qui supra v. 2. *παρουσίαν* Domini subito et inopinato futuram cum adventu *furis nocturni* contulerat, sic profitetur v. 4. *οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει: non similes estis hominibus tempore nocturno somno oppressis,* quibus imparatis, dormientibus, fur superveniat, vos non versamini in eiusmodi ignorantiae errorumque caligine, quae animum reddat perversum, terrestribus tantum inhiantem, nec de iudicio Dei iustissimo cogitantem. [Qui formam *imperatiri* ἔστε legi voluerunt, iis neque series orationis addicit, nec vocula *οὐκ*, cuius loco *μὴ* scribendum fuisset, vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 418. sq.] Quanquam *σκότος* atque *σκοτία* utriusque rei symbolo inservit, et *ignorantiae*, et *vitiositatis*, atque miseriae hinc oriundae, *Jo. 3, 19. 8, 12. 12, 35. 46. Romm. 2, 19. al.* cfr. *Job. 37, 19. 12, 25.* (H. Krause *comment. de usu vocabb. φῶς* et *σκοτία in N. T.* inserta *opusculis* Muntinghii T. I.); malim tamen h. l. cum Theodoreto (interpret. *ἄγνοιαν*), Bensono, Baumgartenio, Rosenmüllero aliisque solam tenere notionem *ignorantiae* rerum divinarum *tanquam fontis vitae perversae*, quam Chrysostomum sequi *βίον ἀκάθαρτον* interpretantem, aliosve (v. c. Flattium) utrumque alteri coniungentes. Etenim de *ea civendi ratione*, quae hominibus caligine animi non laborantibus conveniat, v. 6. et 8. demum sermo est. In iis quae add. *ἵνα ὑμᾶς* etc. (sic enim auctoritate codd. *Alex. Claremont. Sangerman. Augiens. Boerner. verss. Vulg.* et *It.* atque Chrysost. cum Lachmanno edidimus pro ordine inverso qui vulgo leg. *ἡ ἡμέρα ὑμᾶς*) ambigi potest, utrum *ἵνα* h. l. *ἐκβατικῶς* ponatur, de *eventu* necessario: *ita ut* (ingenue enim fateor, V. Fritzschium in *excursu I. commentarii ad Matth.* nondum mihi persuasisse hanc particulae interpretationem in libris N. F. nunquam admittendam esse, cfr. *Jo. 9, 2. Luc. 9, 45. Marc. 9, 32. ad Gal. 5, 17.* coll. v. 16. add. ex profanis praeter alios *Platon. rep. 6, 13.* ex. ed. Ast. quae loca, nisi artificiosius explicentur, intelligi aliter vix possunt, cfr. Tittmanni *comment.* erudita *de usu particularum in N. T.* fasc. I. Lips. 1831. 4.), an hic locus

rectius dicatur ex genere esse eorum, ubi quod alicui sub conditione certa acciderit et accidere debuerit, cum vi quadam oratoria, hyperbole s. ironia, enuntiatur, tanquam si ille hoc egerit, ut sibi accideret, cfr. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 383.: *ut dies ille, furis instar, vos imparatos deprehendere possit.* Bene lectum vb. καταλάβῃ, siquidem ii maxime dicuntur καταλαμβάνεσθαι, qui rei cuiusdam hominisve adventum, efficientiam, potestatem *et inopinato et inviti* experiri debent, *Marc. 9, 18. Jo. 12, 35. Polyb. 9, 17.*, v. c. qui in scelere quodam deprehenduntur, *Jo. 8, 3.*, quanquam haud negamus, interdum etiam, ubi de tempore adhiberetur, significatum adveniendi s. appropinquandi simpliciter obtinuisse. Cfr. Irmisch *exc. ad Herodian.* l. 1. T. I. p. 810. sqq. [Haud spernenda lectio κλέπτας, qua probata Apostolus ab illa locutione proverbiali v. 2. de ἡμέρᾳ κυρίου usurpata occasionem sumsisse existimandus est, homines ipsos, quos dies ille imparatos occupet, cum furibus comparandi, quippe qui tenebras praeferunt luci diurnae. Attamen in solis codd. *Alex.* et *Vatic.* et vers. *Copt.* legitur.] Ceterum, quam parum recte ex h. l. colligatur, Apostolum *rem certo exploratam* habuisse, hos Christianos Thessalonn. usque ad παρουσίαν Domini in vita superstites fore (vd. ad 4, 15. 17. observv.) verissime docuit B. Flatt *opuscc. acadd. p. 340.* Quotquot enim illa mentis caligine laborabant, a cognitione et persuasione vera alieni, eos omnes recte dici poterat παρουσία Domini imparatos deprehensura, sive diem iam obiissent, in vitam revocandi ante iudicium extremum, sive etiamnum inter terricolas versarentur. Jam vero ipsa haec formula solennis de παρουσίᾳ Domini usurpata ἡμέρα κυρίου Apostolum, qui modo *tenebras* nocturnas tropice commemoraverat, ad notionem universam *diei luciique diurnae* traducit, cfr. eiusdem generis transitus *Romm. 13, 12. sq.* Unde factum, ut conditionem meliorem Christianorum suorum Thessall. v. 5. his vbb. praedicaret: Πάντες γὰρ ὑμεῖς etc. Voculam γὰρ, vulgo omissam, haud necessariam quidem ad sententiam, recepimus tamen cum Griesbachio, auctoritate codd. praestantiorum, verss. patrumque. Quemadmodum alibi υἱοί τινος dicuntur, qui rei cuiusdam

omnino *regiones sublimiores, a terra prorsus remotas, nubibus superiores* intellexisse, cfr. *Ephes. 2, 2. Joseph. antiqq. Judd.* l. 8. c. 4. §. 2., ita ut veluti ob oculos sisteret transitum ex terra in mundum superiorem *successione* certa futurum, primum quidem venturos in regionem nubium, deinde εἰς ἀέρα, denique in ipsam sedem beatorum (*καὶ οὕτω πάντοτε* etc.). Ceterum corpora eorum, qui tempore reditus Christi superstites sint futuri, subito immutatum iri, quo apta reddantur vitae in coelis agendae, idem Apostolus asseruit *I. Corr. 15, 50—53.* Cfr. effata apud Wettsten. *ad I. Corr. l. l.* allata, quae docent, aliquam certe partem doctorum Rabbinn. similiter statuisse, non omnes homines morituros. Quanta tum futura sit omnium salus aeterna, breviter describit Apostolus commemoranda re praestantissima, qua fons perennis felicitatis verae continetur, consortio Christi perpetuo: *καὶ οὕτω* etc.: *hac ratione* (s. his ita perfectis) *continget nobis, in perpetuum consortibus esse Domini*, dignitatis et felicitatis Christi, *Jo. 14, 2. 3. 17, 24. Roman. 8, 17. Coloss. 3, 3. 4. II. Timoth. 2, 12.* Haec solatia egregia Paulus sedulo perpendere iubet Thessalonicenses v. 18. *Ὥστε παρακαλεῖτε* etc.: *itaque his sententiis* (s. *placitis sermone enuntiatis*, cfr. *Matth. 7, 24. 26. I. Tim. 4, 6. al.*) *vos mutuo consolemini.* Praepos. ἐν dativo *τοῖς λόγοις* praefigitur, ubi dativus simpliciter positus sufficere poterat, ex more scriptorum N. F. formulam ἐν τινι de re usurpandi, cuius ope aliquid fiat, quanquam interdum etiam apud profanos talia obveniunt, v. c. apud *Herod. τέρπειν τινα ἐν λόγοις*, s. ἐν ἔπεσιν αἰνεῖν, vd. Raphelius in *observatt. Herodd. p. 564.*

Restat, ut universe paucis dicamus de indole huius descriptionis Christi redituri recte aestumanda. Sensu mere tropico s. symbolico Apostolum ipsum intelligi voluisse, quaecunque de *παρουσίᾳ* Domini et h. l. et alibi dixerit, eumque hac mente Christum veluti modo spectabili rediturum descripsisse, ut formulis Christologiae Judaeorum (vd. Bertholdt *christologia Judd. p. 84. sqq.*) accommodatis, sensu proprio haud intelligendis, doctrinam de vita nova eademque meliori omnibus Christo addictis olim per Christum Deo volente futura enun-

fiaret, haud facilius demonstraveris, quam, symbolo tantum vitae futurae et immortalitatis apud Paulum inserviisse formulas mortuorum resurrectionem praedicantes. *a)* Quanquam Paulus probe noverat, spem reditus Christi sensu proprio mox futuri inter Christianos Thessall. in eiusmodi exspectationem morae impatientem abiisse, quae animos vario modo perturbaret, nunquam tamen vel impatientiae vel sollicitudini illorum aliam prorsus de παρουσίᾳ Domini recte aestumanda persuasionem opposuit (non docuit, actum quendam s. efficientiam mere *invisibilem* Servatoris intelligi, cuius experimentum et hoc tempore faciant, quotquot Christum recte venerentur, et olim, post vitam terrestrem, sint facturi), sed in epistola posteriori in eo tantum elaboravit, ut Thessalonicenses cavere sibi iuberet, ne curiosius in diem reditus Christi inquirerent, nec παρουσίαν *proxime iam instare*, priusquam Antichristus apparuisset, perperam crederent. *b)* Ipsius Jesu Christi sermones *Matth. 16, 27. 24, 30. 25, 31. 26, 64. Marc. 13, 26. 14, 62. Luc. 21, 27.* satis perspicue docuerant, eum aliquando coelitus venturum esse, ita ut omnibus appareat. Vd. quae de his locis disserui in comment. exegetico-dogm. in eos Jesu Chr. sermones, qui de reditu eius ad iudicium futuro et iudicandi provincia ipsi demandata agunt, Jenae, 1826. Quae hac de re ipsius Christi fuerit persuasio, dissentiunt quidem Theologi, existimantibus quippe haud paucis, successum prosperrimum, quem doctrina et ecclesia Christi in his terris habitura esset, eiusque victoriam tandem de adversariis omnibus reportandam, salutemque aeternam in regno divino futuram a Servatore, propter illius saeculi indolem, eiusmodi symbolis enuntiatam esse, quae reditum quendam Messiae *visibilem*, maiestate insignem depingerent. Cfr. Usteri *Entwickelung des Paulinischen Lehrbegriffes* ed. III. p. 198. Baumgarten-Crusius *Grundzüge der biblischen Theologie p. 441. sqq.* Quam controversiam, suo loco separatim vel in explicandis evangeliis vel in Theologia biblica tractandam, h. l. dirimere nolumus. Sed iidem Theologi recte concedunt, Servatorem, etsi hac in re accommodatione usus fuerit, nec dubitaverit, Christianos serioris aevi sensim sensimque, quae *symbolis* tribuenda essent, in-

tellecturos, eiusmodi tamen formulis rem delineasse, quae Christianos *illius certe saeculi* ad *παρουσίαν visibilem* tempore nemini cognito exspectandam converterent. Proinde etiam Paulus in *παρουσίᾳ* Domini praedicanda de actu mere *invisibili* cogitari voluisse parum probabiliter existimetur. *c)* Substant. *παρουσία*, cuius solleunis est usus de illo Domini reditu (vd. loca ad c. 2. v. 19. laud.), aliis locis, ubi de Christo non sermo est, ubique hominis cuiusdam adventum s. praesentiam sensu *proprio* indicat, *I. Corr. 16, 17. II. Corr. 7, 6. 7. 10, 10. Philipp. 1, 26. 2, 12.* Itemque, quod *I. Tim. 6, 14. II. Tim. 4, 1. 8.* ad *Titum 2, 13.* pro *παρουσία* leg. *ἐπιφάνεια* apparitionem, quae in oculos cadat, intelligi docet. Facilius *nonnulla* eorum, quae Apostolus de hoc adventu visibili elocutus est, ex ipsius mente tropice dicta existimentur, exornationi tribuenda. Attamen, quibusnam terminis haec sententia circumscribenda sit, vix putaverim tam accurate constitui posse, ut dubitationibus nullis locus relinquatur. Quod Paulus genios coelestes comites Christi redeuntis exhibet *II. Thess. 1, 7.* (praeeuntibus effatis Christi *Matth. 13, 41. 16, 27. 24, 31. 25, 31. al.*) praesertim archangelum *I. Thess. 4, 16.* ad solam exornationem referri posse non facile existimaverit, quicunque meminerit, angelis, providentiae divinae ministris, omnino in libris N. F. sensu proprio efficientiam insignem tribui, in iis potissimum rebus, quae ad salutem hominum et decreta divina per Christum exsequenda pertineant. Tropicum genus dicendi magis redolet voc. *κέλευσμα*, quippe quod (ut supra vidimus) comparationem Christi redeuntis cum principe triumphum agente innuit. Quod commemorationem *σάλπιγγος* attinet, certum dicerem, nihil inesse, nisi imaginem mandati Dei potentissimi, si *usus tubae* h. l. ipsi Deo *immediate* tribueretur. Attamen *σάλπιγξ θεοῦ* satis commode (cfr. supra obs.) explicatur: tuba, quae Deo iubente sonabit. Similiterque *I. Corr. 15, 52.* non dicitur: *θεὸς σαλπίσει*, immo simpliciter: *σαλπίσει*, vel impersonaliter adhibitum (i. q. tubae sonus edetur), vel ita, ut suppleatur *σάλπιγξ*. Noluisse Apostolum tubam sonantem ad meram referri exornationem, cum Boehmio (*de spe Messiana apostolica*, Hal. 1826. p. 37. sq.) ex eo

colligi possit, quod idem Apost. *I. Corr. 15, 52.* quum dixisset ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι denuo addiderit σαλπίσει γὰρ, quo animos lectorum hano ad rem praecipue redderet attentos. Utrum vero tubam proprie dictam intellexerit, an universe tantum sonitum quendam admodum gravem longe lateque personantem, illo tempore, Deo volente exoriturum putaverit, minus exploratum habemus. Quocunque tandem modo de his singulis iudicaverimus, sententiam *primariam*, quam Paulus tenuerit, cum Flattio et Peltio hanc esse statuimus: Christus aliquando palam redibit, modo solenni, summam ipsius maiestatem omnibus patefaciente. Eandemque sententiam primariam effata ipsius Servatoris supra laudd. in evangeliis synopticis exprimunt. Nec ratio humana habet, quod cogitationi eiusmodi temporis, quo summa Jesu Christi ad coelos translati dignitas terricolis omnibus extrinsecus manifestetur (quacunque tandem ratione fiat) recte opponat. Sed haec accuratius examinanda in scholis dogmaticis.

Caput V.

Quanquam Paulus sub finem Cap. IV. reditum Christi solennem tanquam eventum, ut ipsi tum videbatur, *haud ita procul remotum* nuntiaverat, parum tamen probandam existimavit curiositatem eorum, qui, quo tempore Christus esset venturus, vel impatienter, vel anxie inquirerent. Itaque lectores suos porro iubet in eo acquiescere, quod probe teneant, *παρουσίαν* Domini aliquando, *tempore incognito, subito* esse futuram, docetque, eos non habere, quod hanc *παρουσίαν* inopinatam metuant, si modo quovis tempore animum servaverint adventui iudicis bene praeparatum.

V. 1. 2. 3. *Περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν, ἀδελφοί, οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι·* (v. 2.) *αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε, ὅτι ἡ ἡμέρα κυρίου, ὡς κλέπτης ἐν νυκτί, οὕτως ἔρχεται.* (v. 3.) *Ὅταν λέγωσιν· εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια· τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, καὶ οὐ μὴ ἐκφύγωσιν.*

narit poenae (miseriae), *immo saluti verae, qua olim potiamur* (s. quae olim nobis contingat, si in his terris animum vigilantem et sobrium praestiterimus, v. 6. sqq.) *per Dominum nostrum Jesum Christum, v. 10. τοῦ ἀποθανόντος* etc. Utrum Paulus simpliciter docuerit, Jesum Christum *pro nobis, in commodum nostrum,* diem obiisse, an, *loco nostro* mortuum esse, de plerisque N. F. effatis, ubi praepositio *ὑπὲρ* hac de re adhibetur (quae per se spectata utramque interpretationem admittit, vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik* ed. II. Vol. II. p. 1155. sq.) disceptari potest. Nonnulla quidem Apostoli dicta, si universam orationis seriem et verba coniuncta spectaveris, ita se habent, ut interpreti facile persuadeant, Paulum *posterius* voluisse, *II. Corr. 5, 19. 21. Romm. 5, 6—9. Gal. 3, 13.* Quanquam lubenter profitemur, ad *effectum* mortis Christi salutarem recte aestumandum nihil interesse, utrum *ὑπὲρ* hoc an illo sensu acceperis, illamque cogitationem mortis, quam Servator *in commodum nostrum* perpessus fuerit, ab iis quoque effatis nunquam seiungendam esse, quae notionem mortis Christi vicariae praecipua perspicuitate exprimere videantur. Quo consilio, quo amore ductus morti se Christus tradiderit, vbb. docetur *ἵνα, εἴτε* etc. *ut nos omnes olim simul beate viramus cum Christo, sive vigiles fuerimus, sive obdormiverimus.* Quae supra v. 6. obtinuit significatio verbb. *καθεύδειν* et *γρηγορεῖν* tropica (moralis), eam facile patet ab *hoc* vs. prorsus alienam esse, quum de iis tantum sermo instituatur, qui, animo vigilantes et sobrii, vitae beatae certo compotes sint futuri. In his ipsis h. l. et vigilantes et dormientes fore dicuntur. Haud dubie Paulus notiones vigilandi et dormiendi ad vitam terrestrem ipsam mortemque transtulit, i. q. *ἐάν τε ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν Romm. 14, 8.* De *mortuis* maluit, pro more suo vocabulum paulo ante positum repetendi, vb. *καθεύδειν* (v. 7. aliter quidem usurpatum) adhibere, ex usu hebr. שָׁכַב s. יָשֵׁן vd. *LXX. II. Samuel. 7, 12. Ps. 88, 5. Daniel. 12, 2.*, quam *κοιμᾶσθαι* 4, 13. Vocula *ἅμα* h. l. minime cum vbb. *σὺν αὐτῷ* propius coniungenda (simulac venerit Christus, statim cum eo vivemus, quanquam *ἅμα* haud raro etiam

cum ipsa vocula σὺν propius coniungitur, cfr. loca apud Lamb. Bos. *de ellips. p. 744. sq. ed. Schaefer.* laud. add. *Plato rep.* l. 5. c. 9. p. 219. ed. Ast.), sed, praeeuntibus Storrio *dissert. in epistoll. Pauli minorum aliquot loca* p. 30. sq. Rosenmüllero aliisque, cum ζήσωμεν, ita ut ἅμα significet: *nos pariter omnes, Romm. 3, 12.* hebr. יַחַד *II. Samuel. 21, 9. Ps. 49, 3. 11.*, eademque sententia exprimatur, quam Apost. c. 4. v. 17. animis lectorum infigere voluerit, et mortuos in vitam revocandos, et, quotquot Christo veniente in terra superstites futuri sint, *eodem tempore* ad consortium vitae Christi beatae perventuros, neque hos praerogativam quandam habituros. Quo sensu Paulus mortem Christi, quam reditus in vitam exciperet, cum hac laetissima et certissima Christianorum omnium exspectatione cohaerere docuerit, ad 4, 14. breviter exposuimus. Ceterum in modo coniunctivo post εἴτε posito non offendendum esse, Censor comment. Pelt. *(Hall. L. Z. N. 83. 1831.)* ex loco *Aristoph. nubb.* v. 1482. recte asseruit. Adnectitur his cohortatio v. 11. Διὸ παρακαλεῖτε etc. Παρακαλεῖν utrum h. l. rectius cum Flattio, Peltio, aliis, sensu *cohortandi*, admonendi accipiatur (vd. ad 2, 11.), an cum Theodoreto per ψυχαγωγεῖν explicante plurimisque intt. sensu *consolandi*, dubium potest apparere. Priori quippe interpretationi addicit, quod Apost. v. 6. sqq. *cohortatus* fuerat Christianos. Posterius loco commendatur similimo 4, 18. ubi Paulus, quum v. 17. de eadem exspectatione Christianis tenenda exposuisset, quam h. l. v. 10. tetigit, iisdem vbb. usus fuerat: ὥστε παρακαλεῖτε ἀλλήλους etc. Ex mea quidem persuasione, cui adsentientes habeo Baumgartenium et Rosenmüllerum h. l. *et cohortationem et consolationem* complectitur. Utriusque rei effectum vbb. declarant: καὶ οἰκοδομεῖτε etc. Homines Christo addicti, per Christum Deo consecrati, quorum animos totos spiritu divino imbutos esse oporteat, sapientia et virtute Deo probata perpetuo increscentes, comparantur in litteris sacris N. F. cum aede Deo sacra, Jesu Christo, qui modo fundamentum modo lapis angularis dicitur, superstructa, quae altius altiusque surgere debeat in honorem Dei, *Ephes. 2, 20. sqq. I. Petri 2, 5.* coll.

I. Corr. 3, 16. sq. 6, 19. II. Corr. 6, 16. Unde vb. *οἰκοδομεῖν*, quod proprie valet de aedificiis, quae vel exstruuntur vel instaurantur, in hunc transiit usum metaphoricum: efficere, ut alii incrementa capiant cognitionis, pietatis, virtutis, tranquillitatis vere Christianae, s. animorum saluti adstruere, *I. Corr. 8, 1. 10. 10, 23. 14, 4. 17.* Formulam *εἷς τὸν ἕνα* i. q. *ἀλλήλους* non abhorrere ab usu profanorum docuit Kypke *obss. sacrr.* p. 339. vd. *Dionys. Halic. antt. Romn. l. 2. p. 134.* Cohortationi Thessalonicensium etiam h. l. laudationem eorum, quae hucusque fecerint, Apost. deesse noluit: *καθὼς καὶ ποιεῖτε*, vd. 4, 10.

Sequuntur iterum, ut C. IV. v. 9. sqq. diversi generis cohortationes, quae ad officia singula pertinent. Primum quidem de doctoribus praesidibusque ecclesiae recte aestumandis colendisque praecipitur. Quam cohortationem verbis antecedentibus hoc nexu sententiarum satis commodo cohaerere, Chrysostomus Theophyl. Oecum. itemque inter recentiores Michaelis, Flatt, alii recte, opinor, intellexerunt: quanquam vobis adfirmavi (v. 11.), laudabiliter fieri, quod admonitione et consolatione mutua vestrae animorum saluti adstruere studeatis, nolite tamen existimare, vos haud indigere doctoribus, qui prae ceteris munere fungantur alios instituendi et commonefaciendi. Immo honorem debitum et obsequium iis praestate. Transit deinde oratio ad concordiam commendandam et amorem, qui salutem aliorum internam docendo, corrigendo, consolando lubenter adiuvet (quod scriptor supra v. 11. breviter enuntiaverat: *καὶ οἰκοδομεῖτε* etc.), errantes et peccantes patienter ferat, vindicta abstineat.

V. 12—15. *Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς,* (v. 13.) *καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ, διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν. Εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς.* (v. 14.) *Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας.* (v. 15.) *Ὁρᾶτε, μή τις*

κακὸν ἀντὶ κακοῦ τινὶ ἀποδῷ· ἀλλὰ πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε εἰς ἀλλήλους καὶ εἰς πάντας.

V. 12. *Κοπιᾶν* proprie: labore defatigari, saepenumero dicc. in N. F. *qui in causa doctrinae Christianae labores et molestias perferunt*, dum assidue docent et admonent, aliis evangelii praeconibus ministeria praestant, Christianos auxilio indigentes adiuvant, vexationes subeunt, *Romm. 16, 6. 12. I. Corr. 15, 10. 16, 16. Gal. 4, 11. Philipp. 2, 16. Coloss. 1, 29. I. Tim. 4, 10. 5, 17.* Duplicem interpretationem admittit *κοπιῶντας ἐν ὑμῖν*, alteram: qui *inter vos*, in coetu vestro *laborant*, ex usu huius praeposit. trito, vd. Matthiae *ausführl. griech. Sprachlehre ed. II. Vol. II. p. 1139.*, alteram Flattio et Peltio probatam, ut dativus *ὑμῖν* obiectum innuat, in quo aliquis sit occupatus (*Romm. 1, 9. II. Corr. 10, 14. Philipp. 4, 3.*): qui *in vobis*, animis vestris, recte *efformandis elaborant!* Commemorantur porro *προϊσταμένους*, qui Christianis *praesint*, a *προϊστάναι*, quod proprie transitive valet i. q. ante collocare, unde: praefiocre aliquem (coetui cuidam regundo, negotiisve tractandis), sed *intransitive* et in quibusdam activi temporibus adhibetur, *I. Tim. 3, 5. 5, 17. Herodian. I, 16, 12. VII, 6, 9. Xenoph. memorr. III, 4, 3.*, et in forma medii, *I. Tim. 3, 4. 12. Romm. 12, 8. Herodian. VII, 10, 16.* Minime vero *eiusmodi intelliguntur episcopi*, quales ecclesia serioris aevi habuit, ab alio quovis doctorum praesidumque genere plane diversi. Aevo quippe apostolico *presbyteri*, qui pariter *πρεσβύτερος I. Tim. 5, 17.* appellantur, atque *ἐπίσκοποι I. Tim. 3, 5.* dicuntur *προεστῶτες*, nondum distingui solebant ab *episcopis*, *Actt. 20, 17. 28. Philipp. 1, 1. I. Tim. 3, 2. sqq.* Inter eos, qui docebant, fuerunt etiam qui ecclesiam regerent, disciplina exercenda, rebusque externis ecclesiae curandis. Similiter *ποιμένες* et *διδάσκαλοι* coniunguntur *Ephh. 4, 11.* Quamvis ecclesia Thessalon. tum temporis *recens* esset, antistites tamen habere utique potuit. Neque hoc argumento sententia de tempore consignationis harum epistolarum plerisque probata refellitur. Vd. prolegg. §. 5. *Ἐν κυρίῳ* malim h. l. interpretari *auctoritate Domini* (vd. 4, 1.), quam cum Theophyla-

eto (explic. ἐν τοῖς κατὰ κύριον), et Flattio: *in causa Domini*, sive: *iuvante Domino*; si quidem ad consilium huius loci id maxime pertinuit, ut Thessalonicenses memores esse iuberentur, illos προϊσταμένους, quum causam Christi agant, non sua sed *ipsius Christi auctoritate* iis praeesse. Eiusmodi antistites, qualés coetus Christiani illa aetate habuerunt, disciplinam ecclesiasticam cohortando potissimum, admonendo, corrigendo exercebant. Huc pertinent vbb. seqq. καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς. Dicuntur enim νουθετεῖν (ἐν νῷ τιθέναι), qui aliquid veluti in animis aliorum reponunt, animo infigunt (an das Herz legen) *Actt. 20, 31. Romm. 15, 14. I. Corr. 4, 14. al. Platonis Gorg. s. 42. p. 154. s. 51. p. 179.* ed. Findeisen. Hos igitur, doctores et antistites, ut observantia et amore prosequantur, cohortatur Paulus Thessalonicenses. (Cfr. praecepta simillima *I. Corr. 16, 15. sqq. Gal. 6, 6. I. Tim. 5, 17.*) Vb. quippe εἰδέναι Peltius ad h. l. verissime contulit cum lat. *respicere*, de iis, qui rei cuiusdam s. personae rationem habent, eiusque curam gerunt, qui et loquendo et agendo ostendunt, se illam accurate intueri, et, qualis sit, quanti aestumanda, probe cognovisse, ex usu hebr. יָדַע *Genes. 39, 6. Prorerbb. 31, 13. Ps. 144, 3. Nahum 1, 7.* ubi *LXX.* et γιγνώσκειν et ἐπιγιγνώσκειν usurpant (quod posterius *I. Corr. 16, 18.* hoc sensu leg. observantia et amore complecti). Simil. ἰδεῖν apud *Lucian. dial. De. 22, 6.* Notionem *reverendi* Peltius quidem ab usu vb. εἰδέναι in N. F. alienam esse observat. Attamen ex more hebr. יָדַע *(Ps. 9, 10. 36, 10. Hos. 8, 2.)* de hominibus certe *Deum* verum recte cognoscentibus colentibusque dicitur, cfr. supra observ. 4, 5. Neque negaverim, nostrum εἰδέναι praeter studium animum erga illos doctores antistitesque gratum testificandi etiam adfectum *reverentiae* internum complecti. De *amore*, quem iis debeant, sermo est v. 13. καὶ ἡγεῖσθαι etc. Cuius loci duplex fuit explicatio. Haud pauci quippe, inter vett. Chrysost. Theophyl. Oecumen. ex recentioribus Beza, Benson, Pelt, Flatt, alii *amoris tantum* intimi, quo illos προϊσταμένους dignos iudicari oporteat, cogitationem inesse volunt: *rogo vos, existimetis* (quo sensu ἡγεῖ-

σθαι dici tritum est) *illos eximio modo* (ὑπερεκπερισσοῦ, vd. 3, 10.) *diligendos*, et animi adfectu, et re ipsa atque facto (liberalitate erga illos exercenda.) Cfr. exemplum huius constructionis hebraico-graecae *LXX. Job. 35, 2.* ἡγεῖσθαί τι ἐν χρίσει, חָשַׁב לְמִשְׁפָּט aliquid pro recte et iuste dicto habere. Alii *officium duplex* commendari existimant, doctoribus et praesidibus praestandum, alterum ex altero pendens, *et reverentiam:* ἡγ. αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ, *et caritatem:* ἐν ἀγάπῃ, h. s. (cfrr. Baumgarten et Koppe ad h. l.) *rogo vos, ut iis observantiam eximiam praestetis, quae proficiscatur ex amore* (de praepos. ἐν in N. F. interdum causae significandae inserviente, v. c. *Jo. 16, 30.* vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 331.), sive: *ut eos in summo habeatis honore, qui sincero adfectu iis exhibeatur*, ut Theodor. ad h. l. πλείονος αὐτοὺς ἀξιοῦντα τιμῆς μετὰ διαθέσεως προσφερομένης εἰλικρινοῦς. Qui alteram rationem defendunt, iis non satis, opinor, addicit usus sermonis graeci, quum significatio aestumandi aliquem s. honore prosequendi verbo ἡγεῖσθαι minime simpliciter posito sed cum aliis vocabb. v. c. περὶ πλείονος s. περὶ πλείστου coniuncto inhaereat (v. c. *Aeschinis dial. II. §. 8. Thucyd. IV, 9.*), illud vero Paulinum ὑπερεκπερισσοῦ huic περὶ πλείονος non accurate respondeat, ideoque propius connecti iubeat vbb. ἡγ. αὐτοὺς ἐν ἀγάπῃ. Quo iure hi eximie dicantur diligendi, verbis enuntiatur διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν, *propter operam, quam causae Christi impendunt* (quo sensu ἔργον *Actt. 15, 38. Philipp. 1, 22. 2, 30.*), vobis salutarem. Commendatio eorum, quae Christiani doctoribus praesidibusque debeant, facile adducebat cogitationem officii concordiae mutuae, qua optime consulant saluti et dignitati totius ecclesiae: εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. Εἰρηνεύειν (proprie: auctorem esse pacis aliorum) dicc. etiam, qui ipsi ita sentiunt aguntque, ut pacem cum aliis servent, concordiae studiosi, *Marc. 9, 50. Romm. 12, 18. II. Corr. 13, 11.* Profanis haud incognitum, *Polyb. V, 8, 7. al. Pacem*, ait, *gerite inter vos*, ἐν ἑαυτοῖς i. q. ἐν ἀλλήλοις, *Marc. 9, 50.* (de usu pronominis ἑαυτοῦ ad personam 2. plur. signif. vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 132*).

Nisi malueris: *concordiae studiosi estote in animis vestris*, ut pacis studium maxime sincerum commendetur. Quod pro vulg. ἑαυτοῖς in codd. haud paucis (in quibus Claremont. et Sangerman.), Versione vulg. aliisque, et apud Chrysost. Theodor. Oecum. exprimitur αὐτοῖς (cuius scripturae Theophyl. quoque mentionem fecit, quanquam in textu habet ἑαυτοῖς), ad illos doctores et antistites referendum, ideo defendi non potest, quod usus dicendi minime permittebat, ut εἰρηνεύειν ἐν τινι diceretur pro εἰρην. μετά τινος. Vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 334.* Ingeniose quidem coniecit Koppe (probante Peltio), scribendum αὑτοῖς ex ἑαυτοῖς contractum, cuius locum deinde in codd. occupaverit lectio facilior (forma usitata) ἑαυτοῖς. Attamen scriptura vulg. praeter codd. multos et patres supra laudd. etiam Clementis Alex. testimonio admodum antiquo defenditur, effatum Paulinum laudantis *paedag. l. 3. p. 263.* ed. Sylb. Scriptura αὐτοῖς vel scribendi vitio originem debuit, vel correctioni eorum, qui ex antecedd. coniecerant, praeceptum inesse de pace cum illis doctoribus praesidibusque colenda. Quo sensu et ambitu praeceptum de concordia mutua servanda Christianis iniungatur, amplius explicatur seqq. quo pateat, hoc εἰρηνεύειν non esse ignaviam aut timiditatem, quae nemini contradicere audeat, immo, quicunque admonitione, correctione, consolatione indigeant, eos utique a Christianis provectioribus admonendos, emendandos, confirmandos esse, modo hoc fiat cum amore et animo mansueto, neque quisquam alteri malum malo rependat. V. 14. Παρακαλοῦμεν δὲ etc. Ad Christianos omnes, provectiores quidem, oratio convertitur, minime (quod Chrysost. Theophyl. Oecum. inter recentiores Turretinus, Benson, Bolten, alii coniecerunt) ad solos ecclesiae praesides. Utitur quippe Apost. iisdem fere verbis, quibus v. 12. non praesides, sed ceteros alloquutus fuerat. Nec ullum apparet indicium sermonis *hoc loco* ad doctores et antistites transeuntis. Quae deinde v. 16. sqq. praecipiuntur, in promtu est de Christianis valere omnibus Neque exempla desideramus eiusdem cohortationis, qua Christiani universe admonentur, ut cognitioni suae rerum divinarum, persuasioni,

virtuti promovendae sermonibus mutuis consulant, *Romm. 15, 14. Coloss. 3, 16. Hebrr. 3, 13. 10, 24.* *Cohortor tamen*, ait, *vos*, *fratres* (quanquam pacem vos colere volo), *ut admoneatis*, resipiscere iubeatis, *homines dissolute viventes.* Voce ἄτακτοι, quae apud profanos de militibus valet ordinem in acie non servantibus, civibusve legibus reipublicae obsequi nolentibus (cfr. *Herodian. IV, 14, 16. VII, 9, 11.* et quae Raphelius in *adnotatt. ex Xenoph. p. 276. sq.* de vb. ἀτακτεῖν observ.) in hac orationis serie ii notantur Christiani, qui omnino ordinem in agendo non servant, qualem leges honestatis et religionis postulant, vitae vel flagitiosae, vel molli et otiosae, vel male sedulae, rebus alienis temere se immiscenti indulgentes, *II. Thess. 3, 6. 11. sqq.* coll. *I. Thess. 4, 5. 6. 11. sq.* Quo sensu morali ἡδοναὶ dicc. ἄτακτοι *Plutarch.* de puer. educ. c. 7. *Consolari* deinde iubentur (παραμυθεῖσθε, vd. supra ad 2, 11.) ὀλιγοψύχους, *homines animi pusilli*, kleinmüthige, malorum impatientes, qui animum fere abiiciunt et de salute sua desperant, vel calamitate externa adflicti (quales Ap. supra notaverat IV, 13.), vel conscientia peccatorum et metu irae divinae depressi. Voc. ὀλιγόψυχοι, in N. F. ἅπαξ λεγόμενον, versioni *LXX.* usurpatur ad exprim. hebr. קְצַר רוּחַ, דַּכָּא וּשְׁפַל־רוּחַ, רוּחַ נְכֵאָה, *Proverbb. 14, 29. 18, 14. Jes. 54, 6. 57, 15.* *Curam* porro *habere* iubentur eorum, *qui infirmi sunt.* Ἀντέχειν proprie: contra tenere, ante se tenere, v. c. manum alicui constanter obvertere (seq. vel genitivo, vel dativo, vel πρός τι), in forma *medii* cum genitivo hoc sensu dic. *rem hominemve firmiter tenere, ei adhaerere*, et sensu physico, et metaphorico de iis, qui vel in re quadam retinenda et conservanda diligenter occupati sunt, *Herodot. 1, 134. Isocr.* λόγος συμμαχικὸς c. 4. p. 254. ed. Lang. *ad Titum. 1, 9.*, vel hominis cuiusdam periculis expositi incolumitati sedulo consulunt (veluti ipsorum sustentant), s. omnino curam eius gerunt assiduam et benevolam, *Matth. 6, 24. Luc. 16, 13. LXX. Proverbb. 4, 6.* Egregie lectum vocabulum, quo Christianis provectioribus cura commendatur, qua eos sustentent, qui, cognitione, persuasione, virtute Christiana nondum satis confirmati (ἀσθενεῖς),

facile possint ad errores et vitia delabi, *Romm. 14, 1. 2. I. Corr. 8, 7. 11. 12.* Sed haec omnia ita fieri vult Apostolus, ut his pariter atque aliis omnibus *animum exhibeant lenem et mansuetum.* *Μακροθυμεῖν* (oppos. *τῷ ὀξυθυμεῖν*) i. q. *tardum esse ad indignandum et irascendum*, sive (quod indignationi coniunctum cogitatur) *ad iniuriam*, quam vel ipse acceperis, vel alii perpessi fuerint, *vindicandam*, *Matth. 18, 26. 29. Luc. 18, 7. I. Corr. 13, 4. Plutarch. de genio Socr. p. 593. Artemid. 4, 12.* Eandem virtutem commendant effata *Ephess. 4, 2. Col. 3, 12.* *Πάντας* h. l. sensu amplissimo dici de hominibus et Christo addictis et aliis cum Bensono et Flattio existimaverim propter versum seq. ubi *εἰς πάντας* (post *εἰς ἀλλήλους*) explicari aliter non potest. Arcte enim cohaeret iis, quae Paulus de patientia et lenitate dixerat, praeceptum v. 15. *Ὁρᾶτε μή τις* etc.: *Cavete* (*ὁρᾶτε* i. q. *φυλάττεσθε Matth. 8, 4. 18, 10. Epict.* enchir. c. 19. §. 2. al.) *ne quis alteri malum malo* (iniuriam iniuria, *Romm. 12, 17. I. Petri 3, 9.*) *rependat.* Quod in membro posteriori *τῷ κακῷ* opponitur *τὸ ἀγαθὸν* non universe studium innuit honestatis, sed, *quae aliis vere prosunt*, *Gal. 6, 10. Romm. 12, 21.* Sic *ἀγαθὰ* i. q. dona utilia *Matth. 7, 11. Quovis tempore*, ait, *erga vos invicem*, Christo addictos, *itemque erga alios omnes rerum, quae aliis vere prosint, studiosissimi estote.* Dicitur quippe et, qui hominem sedulo sectatur, et, qui insigni studio rem quandam expetit, s. in ea perficienda elaborat, *διώκειν*, *Romm. 9, 30. sq. 14, 19. I. Corr. 14, 1. Hebrr. 12, 14. I. Petri 3, 11. Xenoph. memorr. IV, 4, 24. Plat. Gorgias s. 28. p. 92. s. 46. p. 166.* ed. Findeisen. Cfr. cum his praecepta ipsius Christi *Matth. 5, 44. Luc. 6, 27. 35.* Quod vulgo ante *εἰς ἀλλήλους* additur *καὶ* cum Lachmanno delevimus, ex studio quippe librariorum perspicuitatem sermonis adiuvandi oriundum. Desideratur et in aliqua parte codd. (in quibus sunt insigniores familiae alex. et occid.), et in versss. *Pesch. Arabb. Copt. Vulg. It.*

Quae sequuntur praecepta v. 16—22. haud destituuntur nexu commodo, quo et ipsa inter se cohaereant, et commatibus modo illustratis coniungantur, etsi Apostoli in eiusmodi

sectionibus epistolarum, praesertim sub finem obviis, quae admonitiones varii generis complecterentur, non ubique de serie sententiarum certa et accurata cogitasse videantur, qua ab uno praecepto ad alterum transirent.

V. 16—22. *Πάντοτε χαίρετε.* (v. 17.) *Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε.* (v. 18.) *Ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε· τοῦτο γὰρ θέλημα θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἰς ὑμᾶς.* (v. 19.) *Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε.* (v. 20.) *Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε.* (v. 21.) *Πάντα δὲ δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.* (v. 22.) *Ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε.*

Quum v. 15. de iniuriis aliorum haud ulciscendis sermo fuisset, facile excitabatur in mente Apostoli cogitatio illius animi tranquillitatis, immo hilaritatis, ex persuasione vere Christiana, virtutis Christ. studio, conscientia recte factorum oriundae, quae hominem nunquam destituat, eumque inter ipsas vexationes ita muniat, ut neque vindictam cupide appetat, nec de salute sua desperet, immo fiduciam inconcussam in Deo et Christo Servatore ponat, animo a terrestribus ad coelestia converso. Itaque v. 16. *Πάντοτε χαίρετε* haec *laetitia pia* commendatur, *χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ Romm. 14, 17.* supra 1, 6. Cfr. *Matth. 5, 12. Romm. 12, 12. II. Corr. 6, 10. Philipp. 2, 1. 4, 4. I. Petri 4, 13.* Neque est, quod cum Koppio et Bolteno existimemus, salutandi formulam inesse: *valete*, quam Apostolus usurpaverit finem epistolae h. l. impositurus, etsi deinde, iterum ad praecepta digressus, quae necessaria viderentur, clausulam ipsam differret. Vocula *πάντοτε* (quod verissime Pelt observ.) non usitata in salutationibus. Laetitia pia abire solet in preces et gratiarum actiones, quae vicissim haud parum excitant nutriuntque illum hilaritatis Christ. adfectum. V. 17. *Precamini*, sive verbis fiat, sive *ἐν πνεύματι* (intus tantum), *ἀδιαλείπτως* (vd. 1, 3. 2, 13.), *assidue*, admodum diligenter, *Actt. 10, 2. δεόμενος τοῦ θεοῦ διαπαντός, Ephh. 6, 18. προσευχ. ἐν παντὶ καιρῷ*, Col. 4, 2. et *Romm. 12, 12. τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖν.* Cui praecepto et hoc inesse: quotidie hoc fieri debere, et: in quavis rerum humanarum vicissitudine esse precandum, nec

intermittendum, etsi rem expetitam non statim obtinueris *Luc. 18, 1.*, lubenter concedimus, quanquam Apost. magis in notione universa assiduitatis precandi acquievisse, quam hoc illudve assiduitatis specimen prae ceteris intellexisse videatur. V. 18. *Pro omnibus gratias agite Deo.* ἐν παντὶ i. q. ἐν π. πράγματι s. χρήματι, *Ephh. 5, 24.* (κατὰ πάντα loco paral. *Coloss. 3, 22.*) ut Theodor. Theophyl. Oecumen. inter recentiores Koppe, Pelt, alii recte interpretantur, *in quavis causa*, in utraque fortuna, s. si sensum spectaveris i. q. ὑπὲρ παντός. Etiam in rebus adversis, immo pro rebus adversis homines Christo vere addicti gratias agunt Deo, quum Numinis Summi benignitatem et sapientiam pie venerentur, captum omnem humanum superantem, per ipsa mala homines educantem, eorumque salutem veram quavis rerum vicissitudine adiuvantem. *Romm. 5, 3. sqq. 8, 28. II. Corr. 4, 16. 17.* Quod alii intt. (v. c. Chrysostomus explic. ἀεὶ εὐχαρ. Flatt ad h. l.) post παντὶ subintelligi maluerunt χαιρῷ, ad eandem quidem redit sententiam primariam. Desideramus vero certa huius ellipseos exempla. Nihil quippe impedit, quo minus *II. Corr. 4, 8.* vocab. τόπῳ *Philipp. 4, 6.* πράγματι subaudiatur. Ceterum eiusdem generis praecepta exstant *Ephess. 5, 20. Col. 3, 17. Philipp. 4, 6.* Eiusmodi pietatem, quae hominem impellat ad preces assidue fundendas et gratias Deo agendas, voluntati Numinis Supremi accommodatam esse, Ap. verbis profitetur, qualia 4, 3. legimus: τοῦτο γὰρ θέλημα etc. [Quanquam plures codd. in iisque insigniores, itemque verss. *Vulg. It. Slav.* vocula ἐστὶν vel post γὰρ vel post θέλημα vel post θεοῦ exhibent, haec ipsa tamen loci diversitas docet, recte deletam esse in textu Griesbachii, ex studio orationis supplendae profectam.] Nolim cum Koppio, Bolteno, Bensono aliisque: *haec enim* (quae hanc pietatem vos exercere iubet) *voluntas Dei per Jesum Christum* (doctrinam et exemplum Christi, *Matth. 6, 9. 15, 36. 26, 27. Jo. 11, 41.*) *vobis innotuit.* Quanquam recte adfirmatur, εἰς ὑμᾶς proprie: quod attinet ad vos, ratione vestrum habita, si *sensum* spectaveris, interdum dativo inservire circumscribendo, *Ephess. 1, 5. I. Petri 1,*

25. durior tamen apparet omissio verbi: innotuit s. patefacta est, ac tota verborum compages, hoc modo intellecta, nisi omnia me fallunt, languidior. Immo sub voluntate Dei h. l. *decretum* intellig. *divinum* de salute generis humani per Christum reparanda, *Ephh. 1, 5. 9. 11. Hebrr. 10, 10.* εἰς ὑμᾶς (ὄν), *ad vos pertinens*, s. *de vobis captum* (quemadmodum εἰς obiecto s. scopo significando inservit, *Luc. 7, 30. 12, 21. Romm. 9, 21. al.)* itemque ἐν Χριστῷ (ὄν), *in Christo positum*, siquidem Deus hunc potissimum elegit, cuius doctrina et vita humano generi salus contingeret verissima. Huc, inquit, pertinet, s. hoc secum fert decretum illud divinum, ut gratias Deo pro omnibus agere debeatis. Vos enim, huic Servatori addictos, latere amplius non potest, quaecunque Christianis acciderint, Deo volente, eorum saluti consulere aeternae. *Romm. 8, 28. sqq.* Sensu parum diverso Storr *dissert. in epp. Pauli minorum aliquot loca p. 31. sq.* hunc locum interpretatur: hoc Dei consilium profecto *eiusmodi* est, ut ad εὐχαριστίαν materiam praebeat locupletem *(Col. 1, 14. sqq.)* nec in ipsa quidem calamitate defuturam. Fallitur, ex locis *Jo. 6, 50. 58.* probaturus, τοῦτο pro τοιοῦτο scribi potuisse, quum v. 50. vbb. ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ non ex pronom. οὗτος, sed ex partic. καταβαίνων pendeant, nec v. 58. ulla necessitas appareat, οὗτος: *hic, quem dixi, est* etc. pro: *talis* accipiendi. Preces piae et gratiarum actiones, praesertim intentiores, ad illam pertinent, quam Apostoli praedicare solent, Spiritus divini in animis hominum efficientiam, *Romm. 8, 16. 26.* Patet inde, quam facilis fuerit transitus praeceptionis Paulinae ad vbb. v. 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε. Quemadmodum mutationes quaevis salutares, quae Deo moderante et adiuvante in hominibus ad Christum conversis accidunt (vd. ad 1, 5. 6. 4, 8. observ.), ita etiam *dotes, quae recte habebantur insigniores*, s. *quae in singulis potissimum Christianis eius acriorem animi divinitus commoti et excitati testabantur*, v. c. donum γλώσσαις loquendi, carmina, quae laudes Dei praedicabant, vaticinatio, fiducia praecipue firma potenter factis coniuncta, ad πνεῦμα ἅγ. referuntur, *I. Corr. 12, 7. sqq.*, et ipsa nomine veniunt πνεῦμα s. πνεύματα, *I. Corr. 14,*

12.32. Chrysostomus quidem, Theophyl. Oecum. interpretationem v. 19. commemorant duplicem. *Altera* huc redit, ut *πνεῦμα* h. l. universe rectam animi *illuminationem* significet, qua homo ad virtutem Christi exercendam aptus reddatur et idoneus. Quam animi lucernam veluti exstinguere dicantur, qui vitae scelestae indulgent. Simil. Noesselt *exercitt. ad interpret. scripturae s. Hal. 1803. p. 261.* de recta voluntatis divinae intelligentia explic. propter verba antecedd. *τοῦτο γὰρ θέλημα* etc. (Quae vbb. quum sententiam v. 18. primariam non ipsa contineant, sed causae tantum praecepti: *εὐχαριστεῖτε* etc. illustrandae inserviant, interpretationem vocabuli *πνεῦμα* ex illis pendere haud putaverim.) *Altera*, inter recentiores Michaeli probata, *donum* intell. *vaticinandi.* Nexus, opinor, huius commatis cum v. 17. 18. suadet (quod praeter alios Koppe, Flatt, Pelt probaverunt), ut nostrum *πνεῦμα* omnino *effecta Spiritus div. insigniora*, qualia supra diximus, *diversi generis* complecti statuamus, ex quibus deinde, hac universa sententia praemissa, unum genus commemoratur v. 20. *προφητεία.* Hanc singularem animi, qui vim experitur *πνεύματος ἁγίου*, conditionem comparare licet flammae ardenti, ratione praesertim habita dicendi genueris concitatioris et sublimioris, quo eiusmodi homines utebantur. Cui metaphorae originem debebat phrasis *II. Timoth. 1, 6. ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα*: igniculos (veluti sopitos) excitare doni divini. Itaque *σβεννύναι exstinguere (Matth. 12, 20. Ephess. 6, 16. al.) Spiritum* dici poterat, qui illam animi religiosi vim acriorem vel prorsus opprimere studeat, vel coërcere. Sensu tropico similiter usurpatur *Aelian. V. H. 6, 1.* de ira sedata et composita, *Plutarch. Pyth. p. 402.* de animo ipso veluti exstincto. Nolebat Apostolus hanc singularem Spiritus divini efficientiam eiusque documenta varia sinistre iudicari aut contemni. Etenim, qui sic iudicabant, nec ipsi intus alebant vim animi religiosi acriorem, nec alios hoc facientes probabant, immo, quo minus *ἐν πνεύματι* palam loquerentur, contemtu suo impediebant. Hanc fuisse mentem Apostoli ex commate seq. 20. colligi potest, ubi de vaticinatione potissimum praecipitur: *προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε.* Quo sensu *προφητεία*

(נִבְּאָה) in N. F. dicatur, praecipua perspicuitate docet *I. Corr. 14, 6. 30.* ubi λαλεῖν ἐν προφητείᾳ τῷ λαλεῖν ἐν ἀποκαλύψει ita respondet (quemadmodum λαλεῖν ἐν διδαχῇ τῷ ἐν γνώσει), itemque v. 30. sq. τὸ προφητεύειν cum ἀποκαλυφθῆναι ita coniungitur, ut pateat, orationem intelligi, qua homo Christianus de rebus divinis aliquid *hoc ipso tempore sibi patefactum* eloquitur, ut aliis edocendis, admonendis, consolandis inserviat. Quicunque ad dicendum surgebat, quum animum eius cognitionis cuiusdam s. persuasionis ad religionem spectantis novitas, gravitas, perspicuitas subito ita perculisset, ut eam tacendam haud putaret, dicebatur προφητεύειν, sive de rebus futuris, seu de praesentibus sermo esset, sive prorsus arcana, adhuc abscondita, sive quae ipse tantum (πνευματικὸς) ante hanc ἀποκάλυψιν vel nondum cognovisset, vel minus perspicue intellexisset, eloqueretur. [Liceat *hoc sensu* cum Peltio vertere: mysteriorum retectio]. Huic interpretationi prorsus addicunt, quae Koppe *exc. III. ep. ad Ephess. p. 149.* de usu hebr. נָבִיא et נִבָּא egregie disseruit. Proinde *I. Corr. 13, 2.* προφητείαν ἔχειν (ubi προφ. de *facultate* eiusmodi sermonem habendi dic. cfr. *Romm. 12, 6.*) coniungitur cum εἰδέναι μυστήρια. Natura quidem rei secum ferebat, ut eiusmodi sermo, quum animi conditionem haud vulgarem poneret, etiam dicendi genere haud vulgari immo sublimiori uteretur, quod omnino differret a simplici διδάσκειν, institutionis modo tranquilliori, *Romm. 12, 6. 7. I. Corr. 14, 6.* Multum tamen distabat ab illo dicendi genere poëtico, γλώσσαις λαλεῖν. Ipse enim Paulus testatur, τὸ προφητεύειν quidem per se spectatum facere πρὸς οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας, *aliorum* Christianorum saluti internae vere adstruere, non item τὸ γλώσσαις λαλεῖν, quippe quod audientibus non intelligatur, *nisi interpretatio dictorum accesserit, I. Corr. c. 14.* Hoc universo προφητείας, quam descripsimus, *genere* tanquam *species* continetur, quae proprie dic. vaticinatio, *praedictio rei futurae*, vel ore enuntiata, *I. Tim. 1, 18. 4, 14. Apocal. 1, 3. 11, 6. 19, 10.*, vel litteris consignata *Matth. 13, 14. II. Petri 1, 20.*, sive *facultas huius praedictionis, I. Corr. 12, 10.* Attamen

h. l. nihil certe impedit, quo minus *προφητεία* de *genere* interpretemur. Admonendos putabat Ap. Thessalonicenses, ne omnino hoc donum eiusque usum contemnerent. De verbo *ἐξουθενεῖν* (hac forma Graecis antiquioribus non usurpato) proprie: nihili facere, cfr. *Romm. 14, 3. 10. I. Corr. 1, 28. 6, 4. al.* et, quae Lobeck observ. ad *Phrynichi eclogas p. 182.* Illius vero contemtus causa duplex esse potuit (vd. Flatt ad h. l.), vel, quod alia Spiritus divini *χαρίσματα*, quae homines magis in admirationem coniicerent, v. c donum facta insignia edendi s. *γλώσσαις* loquendi praeferenda existimabant (ut inter Corinthios accidit, *I. Corr. c. 14.*), vel, quod in coetu Thessal. non defuerunt, qui, sive ipsi phantasiae figmentis decepti, sive alios decepturi, perperam sese gererent *ἐν πνεύματι ἁγίῳ* docentes et vaticinantes, ideoque, quum errorum varii generis vitiorumque auctores et adiutores existerent, totam *προφητείαν* aliis redderent suspectam, *II. Thess. 2, 2. I. Jo. 4, 1. sqq.* Posterius maxime spectandum putaverim propter v. 21. *Πάντα δὲ* etc. Quod in textu vulg. post *πάντα* desideratur *δὲ*, ex codd pluribus (in quibus nonnulli sunt insigniores), verss. Vulg. Aethiop. Slav. nonnullisque patrum scriptis Griesbach. Matthaei, Knapp, Lachmann recte receperunt, nexui quippe v. 20. 21. prorsus accommodatum. Excidisse textu videtur mero calami errore propter syllabam primam verbi seq. *δοκιμάζετε.* Quanquam, ait, vobis dixi, minime contemnendam esse *προφητείαν*, *probe tamen examinate* (de *δοκιμ.* vd. 2, 4.), *quaecunque dicta fuerint*, nolite cuivis se *πνευματικὸν* profitenti fidem habere. Similiter *I. Corr. 14, 29.* dicta *τῶν προφητῶν* in coetu Christ. loquentium ab aliis vult diiudicari, et, quam plures prae ceteris habeant, dexteritatem hoc faciendi, *διακρίσεις πνευμάτων*, *ad eundem refert Spiritum div. I. Corr. 12, 10.* cfr. *I. Jo. 4, 1.* Commendatur usus diligens rationis humanae, per ipsam doctrinae verae evang. indolem probe cognitam divinitus illustratae, atque iudicii exercitatione subacti *(Hebrr. 5, 14.)*, quo de singulis aliorum effatis sententiam ferre valeamus, utrum indoli et ingenio doctrinae evang. conveniant nec ne. Qua quidem exploratione hoc effici vult Apost. ut, quaecunque vera et honesta co-

gnoverint, *retineant* (κατέχετε *I. Corr. 11, 2. Hebrr. 3, 6. Xenoph. Sympos. 8, 26.*), cogitando et agendo constanter sequantur; *abstineant v. 22.* ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ. Sic vbh. huius commatis antecedentibus nexu facili cohaerere, quem ipsa verbb. oppositio καλὸν et πονηρὸν commendet, Koppe, Flatt, Pelt ad h. l. recte viderunt. εἶδος apud profanos saepenumero i. q. generis species. *Plat. Gorgias s. 9. p. 49. s. 29. p. 109.* ed. Findeisen. Cfr. *Sirac. 25, 2. Joseph. antiqq. Judd. 10, 3, 1.* Itaque πᾶν εἶδος πονηρὸν (quo minus enim genitivum πονηροῦ ab antec. εἴδους regi dicamus, quasi scriptum sit τῆς πονηρίας, *a quavis specie eorum, quae mala sunt*, impedit omissio articuli ante πονηροῦ) proprie: *quaevis species mala*, quod *sensum* attinet, *perversitatem* (τὸ πονηρὸν *Romm. 12, 9. Luc. 6, 45.*) *dictorum factorumque cuiusque modi* complectitur. Minus expedita apparet eorum interpretatio, qui hunc versum tanquam sententiam novam cum seqq. propius coniungi voluerunt: abstinete quovis malo, tum Deus, salutis auctor, vos totos sibi consecratos reddet; etsi lubenter largiar, inesse versui 22. quae simul transitum muniant ad comma 23. Praeplacuit pluribus Lutheri, Erasmi, Piscatoris, Michaelis interpretatio: meidet allen bösen Schein, effugite quamvis mali speciem. Dicitur quidem εἶδος de forma, specie externa, *Luc. 3, 22. Jo. 5, 37. Xenoph. memor. 3, 10, 7. 8. Plat. sympos. c. 28. p. 90.* ed. Wolf. Sed huius formulae εἶδος πονηρὸν de rebus, quae speciem improbitatis prae se ferant, usurpatae exempla desideramus. Neque sententia, quam vbb. sic intellecta exhibent, huic loco satis accommodata. Quemadmodum P. v. 21. de iis, quae vere sint bona et honesta (non de eiusmodi rebus, quae speciem habeant honestatis) constanter tenendis universe praeceperat; ita haud dubie v. 22. de *fugiendis dictis factisque omnibus vere inhonestis universe* praecipere voluit. Id quod inter vett. Chrysost. Theodor.. Theophyl. Oecum. inter recentiores Bolten, Benson, Krause, Flatt, alii verissime intellexerunt. Nec verba ἀπὸ παντὸς εἴδους etc. ita se habent, ut cum Michaeli et Koppio contendere ausim, Apostolum de rixis potissimum odiisque Christianorum mutuis (qui-

bus ipsa *χαρίσματα* occasionem praebuerint, ut apud Corinthios factum, *I. Corr. c. 14.)* h. l. cogitavisse.

Attamen haec animi vitaeque Christianorum emendatio atque perfectio auxilio indiget divino. Itaque Paulus, quod facere solet sub finem epistolarum, ad precationem transit faustam; qua animos mentesque Thessalonicensium tutelae commendet divinae.

V. 23. 24. *Αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς· καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη.* (v. 24.) *Πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει.*

Vim habet et gravitatem initium commatis 23. antecedentibus hac ratione cohaerentis: sedulo curate, ut perversitatem omnem fugiatis, virtute Deo probata increscatis (v. 21. 22.). *Ipse autem Deus*, qui longe maiora iis omnibus, quae vel intelligendo complectimur, vel studiis nostris assequimur, efficere potest *(Ephess. 3, 20.)*, vos hac in re adiuvet. Quum verba totius commatis facile doceant, sententiam primariam hanc esse: faxit Deus, ut irreprehensi olim appareatis die iudicii, ipsa orationis series prae ceteris omnibus commendat hanc formulae ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης interpretationem (Flattio quoque, Peltio, aliis probatam): *Deus, auctor salutis verae* (quo sensu εἰρήνη 1, 2. *Romm. 1, 7. Jo. 16, 33. al.* usurpatur). Nec aliter haec formula dic. *Romm. 15, 33. Philipp. 4, 9.* Quae per Christum contingit felicitas aeternum futura in ipsa versatur animi tranquillitate, *pace interna*, virtuti Deo probatae perpetuo increscenti coniunctissima, *Romm. 14, 17.* Quanquam haud negaverim, θεὸς εἰρήνης *Romm. 16, 20. II. Corr. 13, 11.* accuratius transferri: concordiae mutuae auctor, similiterque *I. Corr. 14, 33.*: Deus cui pax mutua probatur; alia tamen apparet orationis horum locorum series, alia nostri. Sententia fere eadem manet, si Koppio concedatur, θεὸς εἰρήνης verti etiam posse: Deus beniguissimus. Nolim tamen vim synonymam vocabull. שָׁלוֹם et חֶסֶד ex *Jerem. 16, 5.* probare, quem l. V. Rosenmüller in scholl. recte, opinor, sic interpret.: penitus auferam pacem meam, sa-

lutem et prosperitatem, quam illis impertieram, ab hoc populo. Nec Peltius mihi persuasit, cum nostro θεὸς εἰρήνης conferri apte hebr. אִישׁ שְׁלֻמִּי, i. q. qui pacificum se erga me gerit, amicus meus, *Jerem. 20, 10. Ps. 41, 10.* Verbi apud bonos Graeciae scriptores non usurpati, apud seriores raro obvenientis *(Dionys. Halic. antt. Romm. II, 72.)*, sed in N. F. et LXX. frequentati ἁγιάζειν, קָדַשׁ, significatio etymi ope facile cognoscenda, ex qua ceterae omnes proficiscuntur, haec est: *rem quandam s. personam ab omni consortio immunditiae et usu vulgari ac profano remotam, sacram, nec verbo nec facto violandam, reddere aut declarare.* Notiones quippe *munditiae singularis*, rem hominemve ab aliis omnibus quae vulgaria sunt sordemque habent vel externam vel internam (moralem) distinguentis ac separantis, et *dignitatis inde oriundae* ab antiquis inde temporibus, testante potissimum usu loquendi V. T. nexu intimo cohaerebant. Proinde ἁγιάζειν in N. F. *A)* ita usurpatur, ut *Deus* ipse sit *obiectum: Deum* (qui veluti in luce purissima, mortalibus inaccessa habitat, *I. Tim. 6, 16. I. Jo. 1, 5.)* *habere sanctum*, pie colendum, maiestatem eius inviolabilem agnoscere ac venerari, *Matth. 6, 9. Luc. 11, 2. I. Petri 3, 15. LXX. Jes. 29, 23. B)* ad *Jesum Christum* pertinet, partim, quatenus *Deus ipsum ἡγίασεν*, i. e. prae ceteris omnibus *operi sanctissimo* inter homines perficiendo destinavit, *Jo. 10, 36.* (simil. de *Mose* dic. *Sirac. 45, 4.)*, partim, quatenus ipse pro discipulis *se consecravit*, se totum tradidit, velut sacrificium, operi divino pro salute sectatorum in terra exsequendo, *Jo. 17, 19. C)* ad *homines* refertur, *a)* ubi *Judaei* per cerimonias Mosaicas dicc. ἁγιάζεσθαι, i. e. eam corporis munditiem assequi, cuius expertibus non licebat sacra peragere, *Hebrr. 9, 13. b)* ubi *Christiani se ipsi mundos, sceleris puros*, Deo probatos *conservare* et hac in re increscere dicc. *Apocal. 22, 11.* (observanda maxime oppositio: sordidus porro iaceat in sordibus vitiorum), *c)* ubi de *Deo* sermo est, *homines Christo addictos sibi consecrante*, i. e. efficiente, ut Deo prae ceteris devoti probatique sint et maneant, decreta Numinis Summi in his terris peragenda quovis pacto adiuvantes, *Jo. 17, 17. Judae v. 1. d)* ubi de

Jesu docetur, eum *homines sibi addictos pietate et honestate Deo probatos reddere Hebrr. 2, 11.* et Christiani hoc sensu appellantur Deo per Jesum consecrati, *Actt. 20, 32. 26, 18. I. Corr. 1, 2.* al. saepissime, quibus locis simul inesse cogitationem hominum, *qui emendati fuerint,* a sorde morali multitudinis profanae liberati, ab iis omnibus, quae Deo displiceant hominesque a Deo avertant, remoti, praecipue docent effata *I. Corr. 6, 11. Ephh. 5, 26. Hebrr. 10, 10. 14. 13, 12.* si verba adiuncta accurate spectaveris. *D)* de obiecto *rei* adhibetur, quae sacra, dignitate singulari ad religionem pertinente insignis redditur aut declaratur, *Matth. 23, 17. 19. Romm. 15, 16. LXX. Genes. 2, 3. Exod. 19, 23. Levit. 22, 2. 3. al.* Cfr. insuper de voc. ἁγιασμὸς ad 4, 3. observata. Placuit de usu verbi propterea fusius disserere, quod significationes eius diversas, perspicuitatis causa, paulo aliter quam vulgo fieri solet exhibendas putavimus. Quod nostrum locum attinet, quum votum Apostoli pium proferatur, ut Deus ἁγιάσῃ homines Christo addictos, quo sensu hoc dicatur, facile patet ex iis effatis, quae supra sub *C. c. d.* laudavimus: *Deus ipse, salutis verae auctor, vos consecret sibi,* ad sensum suppl. ἑαυτῷ *Jo. 17, 17.* cfr. de hac ellipsi Lamb. Bos *ellipses gr. ed.* Schäfer p. 127. i. e. vos reddat servetque sibi plane deditos et acceptos, cuiusque vitiorum contagionis expertes et quidem ὁλοτελεῖς, *totos,* integros. Ὁλοτελής, in N. F. ἅπαξ λεγόμενον, apud profanos subinde obvium (adverb. ὁλοτελῶς in vers. Aquilae ad *Deuter. 13, 17.* hebr. כְּלִיל) praeeunte etymo ὅλος et τέλος de iis valet, quae integra sunt, numeris suis absoluta, ita ut nihil deficiat, quod ad rem pertineat. Cohaeretne hoc ὁλοτελεῖς propius cum ὑμᾶς, ita ut, praeeuntibus Oecumenio, Theophylacto, Flattio, aliis, ad *integritatem totius naturae hominis* (quod in seqq. πνεῦμα, ψυχὴ, σῶμα dic.) referri debeat, pro simplici ὅλους positum: *vos totos, et corpore et animo, sibi reddat consecratos?* An vim potius et effectum indicat τοῦ ἁγιάζειν, *integritatem persuasionis et vitae* (quod Hieronymo *quaest. ad Hedib. 12.* Ambrosiastro vertenti: per omnia perfectos, recentius Koppio et Peltio probatum): *vos sibi consecret, ita ut*

integri manealis, quales Deo addictos esse oporteat, ἀμώμους, ἀμέμπτους? Praeplacet prius, quum notio posterior verbo ἁγιάζειν inhaereat, ipsumque audiamus Apostolum illud ὁλοτελεῖς uberius sic interpretantem: καὶ ὁλόκληρον etc. Quod h. l. praeter σῶμα et πνεῦμα et ψυχὴ seorsim commemoratur, ex discrimine quodam utriusque rei intelligendum est, in scholis quidem philosophorum graecorum accuratius definito, sed etiam aliis, praesertim Judaeis alexandrinis illius aevi haud incognito, quo πνεῦμα (s. νοῦς) ad vires et facultates eius naturae, quam animum dicimus, *superiores* (Geist) pertinet, ψυχὴ ad *inferiores* (Seele), *Marcus Anton. Philos. 3, 16. Joseph. antiqq. Judd. 1, 1, 2. 3, 11, 2.* cfr. *Philo de migrat. Abr. p. 389.* ed. Francof. pluribusque l. Negaverunt quidem plures interpretes (v. c. Koppe), sermonem Novi Foederis, alienum quippe a subtilitate philosophorum, rationem habuisse huius diversitatis, quum πν. et ψυχὴ promiscue usurpentur, ita ut hoc pariter atque illud universe eam naturam innuat, quae σώματι opponitur, cfr. de ψυχὴ *Matth. 10, 28. II. Corr. 1, 23. 12, 15. Coloss. 3, 23.* de πνευμ. *Jo. 11, 33. 13, 21. III. ep. Jo. v. 2. I. Corr. 5, 3. Coloss. 2, 5.* al. Concedimus, hac in re non prorsus constantem deprehendi orationem scriptorum N. F. Nec argumentis probatur idoneis, Judaeos illorum temporum hoc sensu inter נֶפֶשׁ et רוּחַ distinguere solitos esse. Attamen, ubi hoc agitur (in scriptis maxime Paulinis) ut notio naturae hominis praestantioris, *animae rationalis, quatenus naturae divinae cognata sit, et ita comparata, ut intus experiatur efficientiam* πνεύματος ἁγίου *salutiferam*, perspicuitate praecipua declaretur, πνεῦμα potius dicitur quam ψυχὴ, *Romm. 1, 9. 7, 23. 8, 1. 2. 6. 16. I. Corr. 2, 11. 6, 20. al.* saepissime. Eodem sensu *I. Corr. 2, 14. sq.* homines distinguuntur πνευματικοὶ, i. e. in quibus anima rationalis (natura superior) vim suam praecipue exserit, ita ut illuminentur et perficiantur per Spiritum divinum, et ψυχικοὶ, qui suo tantum sensu et adfectu naturali ducuntur, itemque *I. Corr. 15, 44.* σῶμα ψυχικὸν, corpus animale, proprius coniunctum adfectibus variis et cupiditatibus, quae ad ψυχὴν nostram pertinent, opponitur πνευματικῷ, corpori

praestantiori, quod olim accipiemus prorsus accommodatum vitae perfectiori ἐν πνεύματι agendae. Nolim igitur haec τὸ πν. καὶ ἡ ψυχὴ vel nostro l. vel *Hebrr. 4, 12.* merae tribuere verborum copiae. Cfr. de usu dicendi biblico Olshausen *de naturae humanae trichotomia N. T. scriptoribus recepta*, Regiom. 1825. Non docuit quidem, opinor, Apostolus tripartitam naturae humanae substantiam. Attamen, quo gravius cogitationem *totius hominis* exprimeret, notionem *animi* (oppos. σώματι) amplificare voluit, totamque exhaurire, commemoranda utraque animi facultate, et inferiori et superiori. Adsentientes habeo Flattium, et Peltium ad h. l. itemque Kuinoelium in *comment. ad Hebrr. 4, 12.* Inter vett. Gregorius Nyssenus (cuius sententiam Theophyl. in comment. ad h. l. attulit) τὸ πνεῦμα recte interpret. de anima rationali, τὸ νοερὸν μέρος, ψυχὴ de anima sentiente, τὸ αἰσθητικόν. Ipse vero Theophyl. Oecumen. Theodor. praeeunte Chrysostomo, adsentientibus nonnullis recentiorum, sub πνεύματι intelligi maluerunt τὸ χάρισμα τοῦ πνεύματος ἁγίου, *illuminationem animi ex Spir. div. profectam* (Michaelis ad h. l. *donum vaticinationis* et alia huiusmodi χαρίσματα), parum accommodate substantivis ψυχὴ et σῶμα, quippe quae docent, *ipsius potius hominis naturam totam* his vbb. describi, etsi omnino adfirmaverim, vocem πνεῦμα eo, quem supra probavimus, sensu τῇ ψυχῇ oppositam, ad aliquam respicere πνεύματος nostri et πνεύματος divini cognationem. Neque cum Bolteno facere possumus, πνεῦμα vertente: *persona s. natura vestra universe spectata*, quae deinde per μερισμὸν describatur ψυχὴ et σῶμα. Transtulit quippe ad πνεῦμα ciusmodi significationem ex hebr. נֶפֶשׁ derivatam, quae alteri potius substant. ψυχὴ interdum recte vindicetur. Fausta precatur Apost. Thessalonicensibus, ut, quod totam cuiusque naturam et vitam attinet, cogitantes, volentes, sentientes, facta edentes (σώματι), irreprehensi maneant Deo iuvante. Conferre licet locum similem libri Judaici *Sohar*, quem Wolf in curis T. IV. p. 382. laudavit, ubi de sanctis dicitur: illi toti sancti sunt, corpus (גופא) illorum sanctum est, animus (נפשא) illorum sanctus est, spiritus (רוחא) illorum sanctus

est, anima (נפשתא) ipsorum est sanctum sanctorum. De verbis ὁλόκληρον ὑμῶν in diversas partes abeunt interpretes. Contortius nonnulli haec ita coniungunt, ut substantivum exprimatur, pr. universitas vestri, s. natura vestra integra (quae deinde explicetur: πν. ψ. σῶμα). Adiectivum ὁλόκληρον, תְּמִימִים, שָׁלֵם quoad sensum non minus ad ψυχὴ, quam ad πνεῦμα et σῶμα referendum, etsi forma grammatica his tantum respondeat, proprie: id, cui totum est, quod κλήρῳ (sorte) obtigit, utroque sensu adhibetur, et quantitatis, i. q. *res integra, tota*, quatenus partes suas omnes habet, ὁλοτελὴς, v. c. *LXX. Levit. 23, 15.* ἑπτὰ ἑβδομάδας ὁλόκληρους, *LXX. Josuae 8, 31. Herodian. 6, 2, 6. al.*, et qualitatis, quatenus aliquid *illaesum* est, *incolume, labis et vitii expers*, sive indoles physica spectetur, *Joseph. antiqq. Judd. 3, 12, 2. 4, 4, 6. Arrian. dissertt. Epictt. 3, 26.*, sive moralis, *Plat. Phaedrus* c. 64. p. 262. ed. Heindorf. *Sapient. 15, 3. Jacobi ep. 1, 4.* De qualitate plures interpretati sunt (cfr. Koppe et Flatt, qui praesertim articulum urget τὸ ante ὁλόκλ. omissum) proprius cum vb. τηρηθείη coniungentes: spiritus vester, anima, corpus (cogitata, sensa, studia) diligenter serventur, veluti custodiantur (τηρηθ. *Ephess. 4, 3. I. Timoth. 5, 22.* al.) integerrima, l. q. ita ut sint maneantque incorrupta, Deo prorsus accepta. Quae quidem integritas moralis quum satis perspicue voc. ἀμέμπτως indicata fuerit, praestat cum aliis ὁλόκληρον ad *universitatem naturae et vitae humanae* (vocibus πν. ψ. σ. descriptae), veluti quantitatem, referre. Non sine gravitate h. l. adiect. ὁλόκλ. substantivis praefigitur absque articulo: *quaecunque ad spiritum vestrum, animam, corpus* (quo facta eduntur) *pertinent*, ganz, nach allem was zu ihnen gehört, werde euer Geist, Seele, Leib bewahrt. Additur ἀμέμπτως ἐν τῇ etc. *ita ut nihil in vobis reprehendatur* (vd. supra 2, 10.) *tempore, quo Dominus noster Jesus Chr. redierit*, de παρουσίᾳ ad 2, 19. dix. Sic enim Clericus, Flatt, alii, de his struendis recte iudicarunt (vd. supra 3, 13. *I. Corr. 1, 8.*), quum usus loquendi minime permittat, ut ἐν τῇ παρουσίᾳ ex τηρηθείη pendere dicamus, pro εἰς τὴν παρουσίαν (serventur usque ad reditum etc.). Haec per-

suasionis virtutisque Christianae constantia, eam vim habitura, ut iudici summo olim probemur, simil. praedicatur *Philipp. 1, 10. Coloss. 1, 22.* Confidit vero etiam Apostolus Deo veraci, eum his precibus satisfacturum v. 24. *Πιστὸς ὁ καλῶν* etc. *Fidus est*, constat promissis (*πιστὸς* vd. *I. Corr. 1, 9. 10, 13. II. Thess. 3, 3. Hebrr. 10, 23. 11, 11.* נֶאֱמָן יְהוָה s. אֱמוּנָה *Jes. 49, 7.*) *Deus, qui vos* per doctrinam vitamque Jesu Christi ad consortium *invitat* regni divini (poterat quippe Deus aeque dici *καλέσας*, atque *καλῶν*, quum haec invitatio divina, evangelii praedicatio, vim suam perpetuo exserat, ut supra 2, 12.) *qui profecto efficiet*, praestabit promissa. Codd. pauci interpretamentum adiiciunt, forsitan ex *II. Corr. 1, 6.* ductum *τὴν ἐλπίδα ὑμῶν βεβαίαν.* Ipsam hanc vocationem Apost. docet pignori inservire auxilii divini Christianis quovis tempore adfuturi, ut, si modo serio voluerint, digni evadere possint salute promissa.

Sequuntur mandata postrema, subiuncta valedicendi formula solenni.

V. 25—28. *Ἀδελφοί, προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.* (v. 26.) *Ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ.* (v. 27.) *Ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσιν τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς.* (v. 28.) *Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν.*

V. 25. *Προσεύχεσθαι περί τινος Actt. 8, 15. Col. 1, 3. Hebrr. 13, 18. al.* quanquam secundum significationem propriam praepos. *περὶ* latius patet, quam *προσευχ. ὑπέρ τινος, Matth. 5, 44. Col. 1, 9. al.* (quum *περί τινος* proprie sit: ratione rei cuiusdam hominisve habita, in causa alicuius), plerumque tamen, si sententiam spectaveris orationis nexui accommodatam, non aliter dicitur quam definitius illud *ὑπέρ τινος, pro salute alicuius, in eius commodum, preces fundere.* Vd. Winer *Grammatik* etc. ed. III. p. 320. 328. Ut pro salute ipsius, praesertim pro successu prosperrimo laboris sui apostolici precibus Deum adirent, Apostolus lectores Christianos saepenumero cohortatus est, *Romm. 15, 30. Col. 4, 3. II. Thess. 3, 1.* Salutari porro iubet v. 26. ipsius nomine sin-

gulos omnes religionis socios ibi versantes, non verbis tantum, sed etiam ἐν φιλήματι ἁγίῳ, *Romm. 16, 16. I. Corr. 16, 20. II. Corr. 13, 12. I. Petri 5, 14.*, osculo, *quale deceat homines ἁγίους*, Deo per Christum consecratos, s. *quod haud vulgare sit, sed vim habeat singularem amoris fraterni, quo alter alterum complectatur, significandi.* Cfr. de hoc salutandi more coetibus primis Christianis familiari *Justini Mart. apologiae c. 65. p. 54.* ed. Braunii. *Constitutt. Apostt. 2, 57.* Neander *allgemeine Geschichte dèr christl. Religion und Kirche* 1. B. 2. Abth. p. 424. sq. In promtu est, Paulum haec iis scripsisse, quorum manibus epistola primum tradenda esset (forsitan presbyteris, vd. supra v. 12.). Idem haud dubie valet de seqq. v. 27. Ὁρκίζω ὑμᾶς etc. Vb. ὁρκίζειν apud profanos hoc sensu: iusiurandum ab aliquo exigere, haud raro obvium (ipsis Atticis haud incognitum, vd. Lobeck ad *Phrynichi ecl. Att. p. 361.)* in *sermone biblico* i. q. *obtestari* aliquem, graviter religione adhibita admonere, *LXX. I. Regg. 22, 16. Genes. 24, 37.* Duplicem interdum habet accusativum, alterum eius, quem obtestamur, alterum eius, per quem (cuius auctoritate commemoranda et nomine usurpando) obtestatio fiat, suppl. νή, *Marc. 5, 7. Actt. 19, 13. LXX. Genes. 24, 3.* Qua de causa Apost. eiusmodi obtestationem usurpandam putaverit, ut, qui primum has litteras accepturi essent, eas praelegendas curarent fratribus Deo consecratis omnibus (i. e. Thessalonicensibus, ceteros enim totius Macedoniae coetus si Paulus in mente habuisset, quod nonnulli intt. haud improbabile *indicarunt*, accuratius, opinor, ipse definiisset illud πᾶσι τοῖς ἁγ. ἀδ.), coniecturis variis assequi studuerunt. Innotuitne forsitan Apostolo, vel semel vel aliquoties accidisse, ut epistola, quam coetui cuidam Christiano scripsisset, ab iis, qui primi accepissent, diutius retineretur, nec omnino coetui traderetur? Attamen vestigia nulla exstant eiusmodi Pauli epistolarum, quae utramque ad Thessall. datam tempore antecesserint. Cfr. quae in prolegg. de consignatione harum epp. disputata sunt. Verissime item Pelt ad h. l. observavit, id ipsum, quod Paulus praeter solitum (prima vice) toti coetui Christ. epistolam scriberet, opportunitatem potuisse huic obte-

stationi praebere. Etsi enim fidem presbyterorum huius ecclesiae minime suspectam habuisse videtur (vd. supra v. 12. sq.), forsitan tamen verebatur, ne illi sufficere existimarent, si Christianis singulis epistolam traderent, eandem cum aliis sensim sensimque communicaturis, ubi facile fieri poterat, ut multum temporis elaberetur, priusquam plurimis innotesceret, neque singuli omnes eam acciperent. Maluit igitur presbyteris negotium demandare, sedulo curandi, *ut epistola tota, omnibus, coetui congregato, palam praelegatur.* Cfr. *Coloss. 4, 16.* (Eodem significatu *recitandi* ἀναγινώσκειν dic. *Luc. 4, 16. II. Corr. 3, 15. Xenoph. memorr. 4, 2, 20.*, quanquam alibi simpliciter: legere, v. c. *Matth. 24, 15. Jo. 19, 20.*) Accedebat forsitan, quod presbyteri, nisi Apostolus rem *urgeret*: ὁρκίζω ὑμᾶς etc. de hac epistola palam coram coetu praelegenda facile haesitare potuissent, propter effata nonnulla, quae ad singulos quosdam Christianos corrigendos respicerent (4, 3. sq. 5, 14. sq.), praesertim quum haud deessent, qui observantiam presbyteris debitam negligerent, v. 12. 13. Cfr. Benson ad h. l. An forte insuper singulares illius sollicitudinis Apostoli causae fuerint, iis coniunctae, quae *II. Thessall. 2, 2.* de epistola falsa Paulo supposita dicuntur, ignoramus. Quod Michaelis coniecit, sententiam Pauli hanc fuisse: curate, ut Christiani Thessall. *omnes* ex ductu litterarum subscriptionis meae intelligant, epistolam vere a me profectam esse, dass meine Hand *recognoscirt* werde, argumentis idoneis destituitur. Vb. quippe ἀναγινώσκειν alibi simpliciter vel de legentibus vel de praelegentibus usurpatur, neque constat, Apostolum, quo tempore *prima vice* Thessalonicensibus scriberet, eiusmodi fraudem, quae epistolam alienam ipsi supponeret, habuisse compertam. Ceterum, quod ante ἀδελφοῖς vulgo additur ἁγίοις, quanquam in pluribus bonae notae codd. itemque verss. It. et Aethiop. et apud Damasc. Ambros. Cassiod. desideratur, textui vindicandum censemus, siquidem nullam habet glossematis speciem, quo vocab. ἀδελφοῖς minime indigebat. Causa omissionis duplex esse potuit, vel calami error ex similitudine vocabb. ἁγίοις et ἀδελφοῖς oriundus, vel, quod haec verbb. coniunctio ἁγ. ἀδ aliena videbatur a genere dicendi Paulino.

Alibi quippe Christiani simpliciter vel *οἱ ἅγιοι*, vel *ἀδελφοὶ* (omisso *ἅγ.*) dicuntur, exceptis tamen locis *Coloss. 1, 2. τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις καὶ πιστοῖς ἀδελφοῖς*, et *Hebrr. 3, 1. ἀδελφοὶ ἅγιοι.* Valedicit Apost. Christianis precatione fausta solenni adhibita v. 28. *Ἡ χάρις* etc.: *gratia Domini nostri J. Chr.* (vd. 1, 1.) *sit vobiscum*, vobis adsit, opituletur, cfr. *II. Corr. 13, 13. Gal. 6, 18. Ephh. 6, 24. al.* Quae vulgo adiicitur vocula *ἀμήν* (אָמֵן), formula precantis, optantis: *sic fiat!* pluribus quidem epistolarum Pauli clausulis recte, opinor, vindicatur auctoritate testium criticorum, *Romm. 16, 24. I. Corr. 16, 24. Gal. 6, 18. II. Thess. 3, 17.* Nostro l. pariter atque *II. Corr. 13, 13. Ephh. 6, 24. Philipp. 4, 23. Col. 4, 19. Philem. v. 25.* hoc additamentum, ab optimis libris alienum, valde suspectum habemus, inde enatum, quod librarii ponebant, Apostolum hanc legem certam sibi scripsisse, ut nunquam omitteret *ἀμήν*.

Subscriptiones, quae vulgo in editionibus ad calcem epistolarum leguntur, in antiquissimis codd. plerumque omissas, in iis, qui habent, diversimode expressas, modo breviores, modo ampliores, nec in definiendo loco, ubi epistolae scriptae fuerint, ubique consentientes, Paulum auctorem non habuisse, dudum probaverunt interpretes. Idem valet de subscriptione h. l. vulgo addita: *Πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν* de cuius lectt. varr. vd. Griesbachii *app. crit.* ad h. l. Errorem manifestum eorum, qui Paulum utramque epist. Athenis exarasse dixerunt, in prolegg. §. 3. refutavimus.

ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ
Η ΠΡΟΣ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΙΣ
ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΔΕΥΤΕΡΑ.

Caput I.

V. 1. 2. *Παῦλος, καὶ Σιλουανὸς, καὶ Τιμόθεος, τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων ἐν θεῷ πατρὶ ἡμῶν καὶ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ·* **(v. 2.)** *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Eandem habes salutationem sollennem, quae priorem epistolam auspicata est. Quo iure vbb. ἐν θεῷ etc. ad verba ante v. 2. supplenda: *χαίρειν λέγουσιν*, referenda censeamus: *Paulus* etc. *auctoritate Dei patris nostri et Domini J. C. haec precantur* etc. ad ep. I, 1. docuimus. V. 2. suspectum est pronomen ἡμῶν, in nonnullis codd. itemque apud Theophyl. omissum, quod ex v. 1. irrepere facile potuit.

Ex quo tempore epistola prior ad Thessalonicenses pervenerat, iterum Paulus nuntium acceperat de statu horum Christianorum (prolegg. §. 4.). Et, quanquam probe cognoverat, quae corrigenda essent (vd. Cap. II. III.), maluit tamen initium ducere a laudatione eorum, quae de ecclesia Thessalonicensium universe spectata praedicari verissime poterant. Quas laudes eadem pietate, cuius testimonium ep. I. c. 1. v. 2. sqq. exhibuit, quemvis successum laboris felicem, et quaevis hominum recte facta ad gratiam divinam referente, etiam h. l. ita eloquitur, ut Deo gratias agat pro incrementis, quae persuasio, amor, constantia Thessalonicensium adhuc ceperit, addita promissione laeta liberationis ab omnibus huius vitae aerumnis, et felicitatis in regno divino futurae.

V. 3. 4. 5. *Εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοί, καθὼς ἄξιόν ἐστιν, ὅτι ὑπεραυξάνει ἡ πίστις ὑμῶν καὶ πλεονάζει ἡ ἀγάπη ἑνὸς ἑκάστου πάντων ὑμῶν εἰς ἀλλήλους·* (v. 4.) *ὥστε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐν ὑμῖν καυχᾶσθαι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ θεοῦ, ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν καὶ πίστεως ἐν πᾶσιν τοῖς διωγμοῖς ὑμῶν καὶ ταῖς θλίψεσιν αἷς ἀνέχεσθε·* (v. 5.) *ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, ὑπὲρ ἧς καὶ πάσχετε.*

V. 3. De usu form. *εὐχαριστεῖν περί τινος* repetere nolumus ad I. ep. 1, 2. observata. Eundem, quem Paulus l. l. declaraverat, animum gratum h. l. profitetur, et, quanquam notionem *gratias agendi* brevius eloquitur, hoc tamen addit et urget, pietatem postulare, ut perpetuo cum sociis gratias agat Deo, *ὀφείλομεν, καθὼς ἄξιόν ἐστιν.* Quod posterius duplici modo intelligi posse docent Theophyl. et Oecumen. ad h. l. Vertere licet: *siquidem par est* (δίκαιόν ἐστιν), qua ratione probata simpliciter declaratur, rem, de qua sermo sit, auxilio Dei praestitam (ὅτι ὑπεραυξάνει etc) utique postulare, veluti operae pretium esse, ut gratiae Deo agantur. Constat, *καθώς* (pr. secundum quod) saepenumero *causam* indicare, quare aliquid hoc vel illo modo se habere dicatur, aut fieri oportere, quatenus vel causam facti, vel dicti veritatem ex similitudine, aequalitate, convenientia rerum quarundam perspicimus, *Luc. 11, 1. Actt. 15, 15. Ephess. 4, 4. al.* Nec inusitata est phrasis *ἄξιόν ἐστιν* h. s. *operae pretium est, I. Corr. 16, 4. II. Maccabb. 6, 24. Plat. Gorgias s. 15. p. 67. s. 30. p. 84.* ed. Findeisen. Negari, opinor, non potest, verba sic intellecta, quum iam praecessisset *ὀφείλομεν*, pleonasmum quendam habere, qui non omnino removeatur, etsi cum Flattio illud *καθὼς ἄ. ἐ.* sequentibus volueris propius connectere, quam antecedentibus. Maiorem vim nanciscitur oratio Pauli, si vocula *καθὼς* h. l. *modum eximium*, quo animus gratus declarari debeat, innuere existimetur: *oportet nos Deo gratias agere, quales conveniant praestantiae beneficii* (eximias, *καὶ διὰ λόγων, καὶ δι' ἔργων*, ut Theophyl.

obs.) Vocula μεγάλως, quam Oecumen. *suppleri* voluit, haud indigemus. καθώς haud raro de convenientia, proportione rerum dic. *Marc. 4, 33. Jo. 5, 23. 14, 27. Actt. 2, 4. al.* [De usu numeri pluralis eadem valent, quae ad c. I. *epist. I.* v. 2. observavimus. Per totum C. I. *huius* ep. II. nihil prohibet, quo minus Apostolus persona 1. *plur.* usus de Silvano ac Timotheo *simul* cogitasse existimetur. Attamen C. II. v. 2. pron. ἡμῶν haud dubie ad solum pertinet Paulum.] Quale Dei beneficium intelligatur, explicat Paulus ὅτι ὑπεραυξάνει etc.: *quod fiducia vestra* (πίστις et ἀγάπη eodem sensu praedicc. quo *I. Thessall. 1, 3.*) *incrementa magna capiat, et amor vestrum omnium mutuus abundet.* Notio *crescendi*, quae verbo simplici αὐξάνειν intransitive posito inhaeret, *Ephh. 2, 21. 4, 15. al.*, intenditur composito, praeter hunc l. in N. F. haud obvio, profanis non prorsus incognito ὑπεραυξάνει, ex more Pauli, lubenter usurpantis vbb. ex ὑπέρ formata. De vb. πλεονάζειν vd. *I. Thess. 3, 12.* Ex sententia Chrysostomi et Theophyl. eiusmodi fiducia describitur, cuius incrementa laudabilia eo potissimum patefacta sint, quod tentationibus cederet nullis. Verissime, opinor, hoc colligunt ex v. 4. cfr. *I. Thess. 1, 6.* Quanquam longius petitum dixerim, quod illi interpretes comparationem fiduciae inconcussae cum rebus in loco edito collocatis, quae nunquam tangantur, nec deprimantur diluvii fluctibus, in vb. ὑπεραυξάνει quaesivisse videantur. Consulto Paulus de ἀγάπῃ sermonem adhibet prolixiorem ἑνὸς ἑκάστου etc. indolem veram praedicaturus amoris Christiani, qui animos omnium eodem quippe religionis vinculo consociatorum teneat, et omnes tanquam fratres complectatur (quod Chrysost. et Theophyl. bene observv. ἡ ἀγάπη ἴση ἦν παρὰ πάντων). Cfr. *I. Thess. 4, 9.* Quam egregie et fiducia illa et amor Thessalonicensium inter ipsas vexationes increverit, suamque vim saluberrimam exseruerit, non modo sentiebat Apostolus animo grato, sed etiam palam coram aliis coetibus professus fuerat, v. 4. ὥστε ἡμᾶς αὐτοὺς etc.: *Quo* (quibus incrementis) *factum, ut nos ipsi* (ἡμᾶς αὐτοὺς *Romm. 8, 23.* de *se* potissimum *Apostolo* intelligi vult, quae v. 4. dicuntur, quum illud εὐχαρ.

ὀφείλομεν v. 3. de ipso pariter ac de comitibus Pauli, Timotheo et Silvano, adfirmaretur) *apud alios coetus Deo sacros de vobis gloriari possemus*, ut, quales gratia Dei iuvante vos habeam discipulos, coram aliis possem praedicare, vestramque pietatem et caritatem exemplo iis proponere, *I. Thess. 2, 19. sq.* De eiusmodi gloriatione sermo est, ab omni superbia prorsus aliena, quae gratiam agnoscat divinam in iis omnibus conspicuam, quae laboribus humanis bene successerint. Καυχᾶσθαι dicc. ἐν τινὶ, qui in re quadam s. homine gloriandi habent materiem, *Romm. 5, 3. 11. II. Corr. 12, 5. 9. Gal. 6, 13. 14. al.*, ex usu cognito praepositionis ἐν de iis, quae rationem et causam rei cuiusdam in se continent, praesertim post verba admirandi, laetandi, laudandi, gloriandi adhibitae. Idem vb. alibi cum ὑπὲρ coniungitur seq. genitivo obiectum gloriationis indicante, *II. Corr. 7, 14. 12, 5.* Sic etiam Paulus h. l. dicit, virtutes Thessalonicensium ipsas, quae gloriandi materiem praecipuam suppeditabant, commendaturus: ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς etc. *propter constantiam vestram* (ὑπομονὴ h. l. eadem est, quae *I. Thess. 1, 3.* laudabatur ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος, constantia recte sentiendi et agendi, qualem efficit spes certa in Jesu Christo posita) *atque fiduciam* adhuc praestitam *inter omnes, quas sustinetis* (αἷς ἀνέχεσθε pro ἅς ἀνέχ. ex graecismo, quem attractionem vocant, Matthiae *auf. griech. Gramm. ed. II. Vol. II. p. 1294. sqq.*), *vexationes et adflictiones.* Ad sententiam parum interest, *sive* πίστις h. l. cum ὑπομονῇ ita coniungi existimaveris, ut posteriore indolem πίστεως describat (cfrr. Grotius et Pelt ad h. l.) i. q. πίστις ὑπομένουσα, s. ὑπομονὴ τῆς πίστεως, fiducia inconcussa, constantia fiduciae, *sive*, cum Flattio, πίστιν causam τῆς ὑπομονῆς innuere: propter constantiam vestram ex persuasione Christ. oriundam. Substantt. διωγμοὶ (persecutiones, *Matth. 13, 21. Romm. 8, 35. Xenoph. Cyrop. 1, 4, 21.*) et θλίψεις distingui subtilius nequeunt. Cfr. *I. Thess. 3, 7.* ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ἡμῶν. Vexationes et iniuriae quas religionis causa subierunt, *diversi generis*, modo ab his modo ab illis illatae, calumniando, probris adficiendo, ipsi libertati et vitae insidiando, intelliguntur,

nisi malueris πᾶσιν vertere: *summas* inter vexationes, vd. ad *I. Thess. 3, 9.* Ceterum huic loco minime contradicit effatum *I. Thess. 1, 8. 9.* Etenim, quod fama πίστεως Thessalonicensium modo conversorum in tota Macedonia et Achaia sermones ipsius Apostoli anteverterat, ita ut ipse non opus haberet hac de re demum edocere aliorum coetuum Christianos, nec poterat nec debebat impedire Paulum, quo minus ipse etiam laetabundus incrementa huius illorum πίστεως et caritatis palam celebraret. Quo impensius Apost. de hoc statu laudabili Thessalonicensium laetabatur, eo confidentius sperabat, dignos olim iudicatum iri salute regni divini v. 5. ἔνδειγμα τῆς etc. ἔνδειγμα, ἅπαξ λεγ. in N. F., apud profanos (vd. Reiske *index Demosth.* sub h. v.) de indicio s. argumento rei usurpatur, i. q. ἔνδειξις loco simill. *Philipp. 1, 28.* Nominativus est enuntiationi praecedenti per appositionem additus, *I. Timoth. 2, 6.* Matthiae *ausführl. griech. Gramm. Vol. II. ed. II. p. 804. sq.*, i. q. ὅ ἐστιν ἔνδειγμα etc. *quae quidem vestra adflictionum tolerantia indicio est futuri olim iusti Dei iudicii.* Sententia apparet eadem, si cum Koppio ἔνδειγμα pro εἰς ἔνδ. dictum putaveris. Quod in paucis codd. et apud *Theophyl.* legitur εἰς ἔνδ. ex hac interpretatione originem duxit. De re ipsa, quae h. l. ἔνδειγμα δικαίας κρίσεως τοῦ θεοῦ appellatur, in utramque partem disputant, utrum (quod praeter alios Calvinus, Baumgarten, Koppe, Pelt voluerunt) *aerumnae* et *vexationes* intelligantur: quod vos in hac vita adfligimini, quanquam πίστιν et caritatem constanter tenetis, adversarii autem, aerumnarum vestrarum auctores, fortuna prospera gaudent, ex eo argumentum peti potest, tempus fore, quo iustitia divina vobis meliorem sortem contingere iubeat, illis deteriorem; an *constantia*, qua Thessalonicenses has vexationes perferant (Sebast. Schmidt, Benson, Flatt, alii): perseverantia vestra veluti pignori inservit felicitatis, cuius vos olim participes fieri iubebit Deus, qui pro iustitia summa constantiae vestrae laudabiliter praestitae deesse noluit praemia aeterna. *Utrumque*, opinor, alteri coniunctissimum. Aerumnae quippe, per se spectatae, quomodo otuissent felicitatis futurae pignori inservire, nisi easdem ita

perferrent, ut Deo probarentur, πίστιν et ἀγάπην servantes? Etsi enim scriptura sacra nunquam hominem veluti arbitrum constituit iustitiae divinae, tanquam si propter constantiam persuasionis virtutisque Christ. remunerationem olim futuram iure postulet; ubique tamen adfirmat, gratiam divinam, a iustitia haud seiunctam, eos tantum felicitatis regni divini compotes esse reddituram, quos propter indolem suam et vitam Deo probatam remuneratione dignos iudicaverit. Huic interpretationi vs. sequens multo potius addicit, quam sententiae Wolfii, Grotii, Krausii, aliorum, qui praeeuntibus Chrysost. Theophyl. Oecum. illud ἔνδειγμα hoc modo acceperunt: Deus vos patitur aerumnis obnoxios reddi, quo luculentiorem olim, salute regni coelestis vobis tribuenda, illis puniendis, exhibeat iustitiae iudicii sui demonstrationem. Ceterum lectionem nonnullorum codd. et Oecumenii: δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ, exquisitiorem quippe nec alienam ab indole sermonis Paulini (*Romm. 2, 5.*), praeferendam dicerem, si modo auctoritate externa magis instructa esset, nec facile originem ducere potuisset ex vbb. δικαίας κρίσεως in hoc vel illo codice minus perspicue exaratis. Quam laeta spes inter ipsas vexationes, quae evangelii causa perpetrantur, Thessalonicensibus adfulgeat, iustitiam Numinis Summi perpendentibus, membrum posterius explicat: εἰς τὸ καταξιωθῆναι etc. Constat, ἀξιοῦσθαι et καταξιοῦσθαι i. q. *re quadam dignum haberi*. *Xenoph. Cyrop. 2, 2, 17. Diod. Sic. 2, 60. al.* Quod nonnulli contendunt (Koppe et Pelt ad h. l.), haud raro etiam simpliciter dici καταξ. τινος, qui aliquid nanciscantur, id vereor ut locis, quae laudaverunt, recte probetur. De effatis certe N. F. adfirmaverim, significationem propriam ubique esse tenendam, *Actt. 5, 41. Luc. 21, 36. 20, 35.* (ubi v. 36. υἱοί εἰσιν τοῦ θεοῦ facile ostendit, Jesum, etsi v. 35. de statu hominum resurrectionem sequuturo universe cogitaret, tamen, quae diceret, ad eos potissimum transtulisse, qui vita *felici* post mortem futura *digni* apparituri essent). Quod coniunctionem verborum attinet, nolim haec εἰς τὸ καταξιωθῆναι etc. cum quibusdam interpp. propius referre ad vbb. postrema v. 4. αἷς ἀνέχεσθε, ita ut membrum prius v. 5. ἔνδειγμα —

τοῦ θεοῦ parenthesis (s. exclamatio interposita) habeatur: quas vexationes sustinetis (en, pignus iudicii Dei iustissimi!) hoc effectu, ut olim digni sitis apparituri etc. Nihil quippe impedit, quo minus ex iis, quae ipso vs. 5. proxime praecedebant, pendere dicamus, sive ex δικαίας κρίσεως: quae perseverantia vestra indicio est futuri olim iusti Dei iudicii, *huc valituri (eam vim habituri)*, *ut digni iudicemini felicitate regni divini, cuius causa* (i. e. Jesum Chr. auctorem nuntiumque regni divini constanter profitentes) *adeo mala perfertis*, sive ex tota phrasi ἔνδειγμα — θεοῦ: quae perseverantia vestra iudicii divini iustissimi olim fut. pignori inservit, *quod hoc attinet*, ut digni iudicemini etc. Prius potissimum cum Flattio putaverim ipso nexu commatis 5. et 6. commendari. Ceterum res ipsa docet, βασιλείαν τοῦ θεοῦ h. l. dici *regnum Dei olim futurum eiusque felicitatis aeternae consortium*, *Matth. 25, 34. I. Corr. 6, 9. 10. II. Timoth. 4, 18.* alibi saepiss. Cfr. ad *I. Thess. 2, 12.* observ. Miror, quod V. Pelt ad h. l. ex *I. Thess. 4, 13—18.* colligi posse putaverit, de regno Christi in hac ipsa terra condendo potius cogitandum esse, quam de coelesti. Immo, quae Paulus l. l. v. 17. eloquutus est: ἔπειτα ἡμεῖς — ἁρπαγησόμεθα εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα etc. transitum in coelos (mundum invisibilem) olim futurum aperte innuebant.

Amplius immoratur Apostolus huic exspectationi certae iudicii iusti, quod Numen Supremum olim exerciturum sit, eiusque descriptionem exhibet uberiorem, animis Thessalonicensium ab adversariis vexatorum consolandis inservientem.

V. 6—10. *Εἴπερ δίκαιον παρὰ θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν,* (v. 7.) *καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ,* (v. 8.) *ἐν πυρὶ φλογός, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσι θεὸν καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσιν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ·* (v. 9.) *οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον, ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ·* (v. 10.) *ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ καὶ*

θαυμασθῆναι ἐν πᾶσιν τοῖς πιστεύσασιν [ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς] ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.

Nexum sententiarum commatis 6. et seqq. cum antecedd. vocula εἴπερ innuit: siquidem, quandoquidem, ita ut h. l. pariter atque *Romm. 8, 9. 17. I. Petri 2, 3. al.* non dubitationem significet, sed certam animi persuasionem (quod dudum recte intellexerunt Chrysost. et Theophyl.). Etsi enim εἴπερ proprie valeat de re, quae esse sumitur, sed in incerto relinquitur utrum iure an iniuria sumatur (ut verbis utar Hermanni ad *Vigerum de idiotismis graecae dictionis T. II. p. 792. ed. 1803.*), haud raro tamen, quod nobis certo persuasum est, *tanquam si dubium haberi possit*, enuntiamus, audientium legentiumve iudicium rectum provocaturi. Παρὰ θεῷ i. q. *iudice Deo, Matth. 19, 26. Romm. 2, 13. al.* Neo profani Graeciae auctores huno usum praepos. παρὰ ignoraverunt, vd. *Herodot. 1, 86. 3, 160.* (παρὰ Δαρείῳ χριτῇ). Ἀνταποδιδόναι (גָּמַל), quod *I. Thess. 3, 9.* de homine Deo gratias veluti rependente usurpatum vidimus, h. l. utramque complectitur iudicis efficientiam, et remunerantem *Luc. 14, 14.* et ulciscentem *Romm. 12, 19.*. *Etenim*, inquit, *iustum censetur iudice Deo, iis, qui vos adfligunt* (de θλίβειν vd. *I. Thess. 3, 4.*), *olim adflictionem* (v. 9. ὄλεθρον αἰώνιον), v. 7. *vobis, qui* hoc tempore *adfligimini, quietem*, liberationem a curis et aerumnis (ἄνεσιν, quod hoc sensu τῇ θλίψει et τῷ θλίβεσθαι opponitur, *II. Corr. 7, 5. 8, 13. Polyb. 1, 66. Herodian. 8, 5, 19.*, quanquam in hac orationis serie latius patet, universam *felicitatis aeternae* in regno div. futurae cogitationem innuens, i. q. ἀνάψυξις, *Actt. 3, 19.*) *una* nobiscum *rependere.* Aliis verbis eadem ἄνεσις describitur *Hebrr. 4, 9. Apocal. 14, 11. 13.* Haud parum valebat ad animos consolandos, quod Apost. Christianis adflictis spem certam faciebat, eos olim *una cum* Paulo, doctore dilecto, sive omnino cum Apostolis eiusdem vitae beatae participes esse futuros. Quod Paulus h. l. remunerationem illam pariter atque vindictam *iustitiae* Dei tribuit, non contradicit doctrinae Christi et Apostolorum, *Luc. 17, 7 — 10. Romm. 3, 24. 5, 15. 11, 6. al.*, qua salutem futuram minime tanquam mercedem operum

postulare, sed modeste exspectare iubemur, *libera* quippe *Dei gratia* (χάριτι) impetrandam. Neque est, quod vel cum Peltio aliisque illud δίκαιον h. l. aliter quam de eo, quod iustitiae divinae conveniat, interpretemur, vel cum Flattio dicamus, felicitatem futuram eorum, qui fidem servaverint, per se spectatam ad iustitiam referri divinam, sed *modulum* huius felicitatis liberum esse munus gratiae. Immo eodem modo videmus Apostolum *Romm. 2, 5. sqq.* δικαιοκρισίαν τοῦ θεοῦ praedicantem, ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Hoc utique constanter docet scriptura sacra, *libera Dei gratia* factum esse, ut hominibus, qui non possent suis viribus meritisque salutem consequi veram (omnes quippe peccarunt, ideoque, si facta hominum spectaveris, approbatione carent divina, *Romm. 3, 23.*), per Jesum Christum aditus ad conditionem, qua homo Deo probetur, et vitam beatam impetrandam patefieret. Attamen, quae eidem amori infinito Numinis Summi coniunctissima est, sanctitas atque iustitia perfecta salutem per Christum paratam ex ea conditione pendere voluit, ut ii tantum regni divini consortio digni iudicarentur, qui veritati divinae iis patefactae obsequium fidum praestitissent. De tempore retributionis futurae haec sequuntur, simillima iis, quae *I. Thess. 1, 10. 3, 13. 4, 16. 5, 2. 23.* de παρουσίᾳ Domini legimus: ἐν τῇ ἀποκαλύψει etc.: *tempore quo Dominus Jesus coelitus patefiet.* De Christo Servatore et iudice, nunc invisibili, olim ad iudicium exercendum apparituro et vb. ἀποκαλύπτεσθαι *Luc. 17, 30.* et subst. ἀποκάλυψις adhibetur *I. Corr. 1, 7. I. Petri 1, 7. 13. 4, 13.* Quicunque verba horum commatum singula, quae notionem iudicii extremi perspicue eloquuntur (praesertim ὄλεθρος αἰώνιος v. 9. et ἡμέρα ἐκείνη v. 10.) absque omni partium studio accurate perpenderit, eademque cum locis epistolae I. modo laudatis similibusque effatis contulerit, non facile cum Hammondo existimabit, Apostolum h. l. de adventu Christi minus proprie dicto ad Hierosolymas evertendas futuro cogitavisse. Cfr. quae Michaelis, Koppe, Flatt ad h. l. recte opposuerunt. Venturus dicitur Dominus μετ' ἀγγέλων (vd. ad *I. Thessall. 3, 13. 4, 16.* observv.) δυνάμεως αὐτοῦ, *cum geniis coele-*

stibus maiestati suae sive *potentiae inservientibus*, i. e. quorum opera Christus maiestatem suam reddit conspicuam, sive potentiam suam exercet. Sic enim malim cum Calvino, Grotio, Sebast. Schmidtio, Baumgartenio, Peltio haec interpretari, quam, quod olim in versione mea latina probaveram, praeeuntibus Theophylacto, Bensono, Flattio vertere: *cum nuntiis suis coelestibus potentissimis.* Quanquam angelis potentia eximia vindicatur *II. Petri 2, 11.* neminemque latet hic usus substantivi casu genitivo positi praedicato indicando inservientis; praeplacet tamen interpretatio prior et facilitate, si verba graeca spectaveris, et ipsius sententiae indole. Parum recte Drusius, Michaelis, Krause: *stipatus angelorum exercitu.* Neque enim ordo verborum huic versioni addicit (scribendum quippe fuisset: *μετὰ δυνάμεως ἀγγέλων αὐτοῦ*), neque in libris N. F. exempla obveniunt eiusdem dicendi rationis, quae in versione LXX. obtinuit, ut *δύναμις* de *agminibus angelorum* usurparetur, siquidem *Matth. 24, 29.* locisque parallelis non angeli, sed corpora coelestia intelliguntur. Venturus item dicitur Dominus v. 8. *ἐν πυρὶ φλογὸς*, *in* (cinctus) *igne flammante*, inter ignes flammas circumcirca spargentes, quo sensu *πῦρ φλογὸς Exod. 3, 2. LXX.* (לֶהָבָה אֵשׁ) *Sirac. 8, 10.* i. q. *πῦρ φλέγον*, *LXX. Ps. 104, 4.* (אֵשׁ לֹהֵט) *Daniel. 7, 9.* Quae in nonnullis codd. praestantiorum pluribusque verss. itemque apud Tertull. contra Marc. V, 16. Theodor. aliosque patres exprimitur lectio *ἐν φλογὶ πυρὸς* (sententia quidem haud mutata), quanquam auctoritate externa minime destituitur, facilior tamen apparet, quum vulgatae quodammodo interpretandae inserviat, et phrasis *φλὸξ πυρὸς* saepius quam illa in codice sacro obveniat, *LXX Ps. 29, 7. Jes. 29, 6. Joel. 2, 5. Daniel. 7, 9. Actt. 7, 30. Hebrr. 1, 7. Apocal. 19, 12.* Quod rem ipsam attinet, non ausim definire, utrum Apostolus certa naturae externae phaenomena illo tempore coelitus apparitura, fulmina forsitan ac tonitrua horrenda intellexerit (in ipsis quidem Christi sermonibus, ubi de *παρουσίᾳ* agitur, aliae commemorantur mutationes tum eventurae *Matth. 24, 29. sq. Marc. 13, 24—26. Luc. 21, 25. sqq.*), an illud *πῦρ φλογὸς* symbolo tantum inservire vo-

dicium futuro etc. p. 14. At multo frequentius *αἰώνιον* dic. de rebus in perpetuum futuris, nec aliter *ὄλεθρον αἰώνιον* in scriptis Pauli intelligi velim praeeuntibus locis N. F. ubi vitae beatae sensu plane proprio aeternum futurae *κρίσις*, *ἀπώλεια*, *ὄλεθρος αἰώνιος opponitur*, *Matth. 25, 46. al.* et perpetuitas poenae futurae aliis verbis declaratur *Marc. 9, 43 — 50. Jo. 3, 36.* Quo sensu illi porro dicantur poenam daturi *ἀπὸ προσώπου* etc. duplici modo explicatur. Haud pauci enim (Whitby, Benson, Bolten, Flatt, Pelt) praepositioni *ἀπὸ* vim tribuunt *causalem: efficiente hoc facie Domini* etc. ex usu cognito praepositionis *ἀπὸ* causae efficienti significandae inservientis (quanquam, ubi hoc potissimum docetur, rem hominemve *immediate* aliquid effecisse, non *ἀπὸ* sed *ὑπὸ* usurpatur, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 318.*). Cfr. ad *I. Thess. 1, 8.* obs. Quemadmodum Hebraei *faciem* rei s. personae (פָּנִים) pro ipsa commemorant, *I. Samuel. 8, 18. LXX. Malach. 2, 5.* Vorstius *de hebraismis N. T. c. 14. p. 355. sq.* ita h. l. *ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου* scribi omnino potuit pro simplici *ἀπὸ τοῦ κυρίου*, *Jerem. 4, 26. LXX. πᾶσαι αἱ πόλεις ἐμπεπυρισμέναι πυρὶ ἀπὸ προσώπου κυρίου, καὶ ἀπὸ προσώπου ὀργῆς θυμοῦ αὐτοῦ ἠφανίσθησαν*, *Acti. 3, 20. ὅπως ἂν ἔλθωσιν καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου.* Malim tamen, si haec interpretatio voc. *ἀπὸ* probata fuerit, praeeuntibus Bensono, Storrio *(dissert. in epistt. Pauli minorum aliquot loca p. 32.)*, Flattio, Peltio, vbb. *προσώπου τοῦ κυρίου* pro periphrasi habere *emphatica*, ut *προσ.* in hac orationis serie *vultum* Jehovae *severum*, *indignabundum* describat, tanquam symbolum severae Dei iustitiae, *I. Petri 3, 12.* coll. *Ps. 34, 17.*: *punientur a Domino malis omnibus inimico, eiusque maiestate potentissima*, s. *potentia gloriosa.* Patet enim, utroque modo genitivos *τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ* (*ἰσχὺς*, potentia, robur, eodem sensu de summa dic. Dei potestate *Ephess. 1, 19. 6, 10.*, de *δόξα*, maiestate, gloria vd. *I. Thess. 2, 12.*) intelligi posse, ut vel prior posterioris, vel hic illius contineat praedicatum. Argutius, quam verius, hanc sententiam erui voluerunt Chrysost. Theophyl. Oecume-

nius: *simulac apparuerit facies Domini*, eiusque δόξα τῆς ἰσχύος, *statim ad supplicium abripientur peccatores*, nec opus erit ad puniendos illos negotio magno. Alii vero interpretes (Beza, Schmid, Michaelis, Koppe, Krause) praepositionem ἀπὸ h. l. *vim negativam* sive *privativam* habere existimant: *poenam daturi sunt, remoti a facie Domini eiusque potentia gloriosa*, procul a consortio Christi beato. Separationem quippe s. remotionem saepenumero indicat ἀπὸ, cfr. Vigerus *de idiot. gr. ed.* Herm. a. 1802. Vol. II. p. 582. 810., in ipsis etiam libris N. F. etsi non ubique verbum discedendi, s. separandi praecesserit, *Romm. 9, 3. II. Corinthh. 11, 2.* Aperte docuerat Christus, improbos olim ab ipso et Patre Deo remotissimos fore, expertes regni divini, in loco miseriarum pleno versaturos, *Matth. 7, 23. 8, 12. 22, 13. 25, 41.* Priori quidem interpretationi ex Flattii sententia hoc maxime favet, quod verba τῆς δόξης etc. summam Domini potentiam praedicent, quae iudicio severo de improbis omnibus exercendo abunde pateflat. Verum enimvero eiusdem δόξας τῆς ἰσχύος (praesertim si vert. *maiestas potentissima*) mentio fieri satis commode poterat ad amplificandam notionem hominum, qui olim procul futuri sint a Domino, haud experturi maiestatem eius *(Jo. 17, 24.)* hominibus ipsi vere additis salutiferam. Nisi omnia me fallunt, interpretatio posterior ex eo haud exiguam habet commendationem, quod vbb. sic intellecta sententiam fundant novam, gravitate insignem, quum prior eandem fere sententiam, quae v. 7. 8. enuntiata fuerat: ἐν τῇ ἀποκαλύψει — διδόντος ἐκδίκησιν, aliis verbis repetitam exhibeat. Verbis modo explicatis conferre licet *Jes. 2, 10. 19. LXX.* quem locum ut Paulus ante oculos habuisse existimetur, membrum posterius suadet καὶ ἀπὸ τῆς δόξης etc. quanquam l. l. ἀπὸ προσώπου (מִפְּנֵי) neque de remotione usurpatur, neque causam efficientem indicat, immo (ut *Malach. 2, 5.*) moventem s. impellentem, siquidem l. l. non dicitur ἀπὸ προσ. κυρίου, sed ἀπὸ προσ. τοῦ φόβου κυρίου. Quae supra v. 8. legg. διδόντος ἐκδίκησιν (poenam irrogaturus) propius cohaerent iis, quae iam sequuntur, eundemque Dominum, impietatis ultorem strenuum, etiam felicita-

tis eorum, qui veritati divinae obsequuti fuerint, auctorem futurum describunt v. 10. ὅταν ἔλθῃ etc. In promtu est, infinitivos ἐνδοξασθῆναι et θαυμασθῆναι post ἔλθῃ *consilium* innuere sive *propositum*, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 267.* Ἐνδοξάζεσθαι: illustrari, gloriam (δόξαν) consequi, eamve sibi parare, in N. quidem F. praeter hunc locum et v. 12. desideratur, nec profanis familiare, sed apud LXX. interprr. hebraicis: הִתְפָּאֵר, הִכָּבֵד, נֵעָרַץ respondet, atque seq. ἐν (בְּ) τινι de *Deo* dicitur laudem e gloriam sibi parante vel puniendis improbis, *LXX. Exod. 14, 4 Ezech. 28, 22.* vel cultoribus suis vindicandis et salute ornandis, *Ps. 89, 8.* vel iis, quae per aliquem effecturus sit *Is. 49, 3.* ita ut ἐν praesidium s. instrumentum illustrandi Domi indicet (Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 332.*) Si sen sum spectaveris, ἐν τοῖς ἁγίοις i. q. διὰ τῶν ἁγίων et Minus accurate nonnulli verterunt, quod olim probaveram: in ter ἁγίους etc. Praeeunte parallelismo vbb. seqq. καὶ θαυ μασθῆναι etc. et v. 12. non *angeli* h. l. dicc. ἅγιοι (*I. Thess. 3, 13.*) sed *homines Christo ac per Chr. Deo co secrati*, *I. Thess. 5, 27.* *Quando*, inquit, *Dominus venet ut illustretur*, maiestatem suam patefaciat, *per cultores su* ab adversariis vindicandos et remunerandos consortio re divini. Quae sententia quam magnam habeat gravitatem pl rimumque valeat ad consolandum et corroborandum homin Christianum, si perpenderit, deflenda sorte sua olim summ Domini maiestatem abunde illustratum iri, aliis verbis iter exprimitur καὶ θαυμασθῆναι etc.: *et admirandum e exhibeat per* (quo sensu θαυμαζ. ἐν τινι *LXX. Jes. 61, Sapient. 8, 11.*) *omnes, qui fidem ei habuerint.* Πιστεύοντες iterum dicc. Christo addicti, *I. Thess. 1, 7.* Sed vulg. πιστεύουσιν editiones Bengelii, Griesbach Matthaeii, Koppii, Knappii, Vateri, Lachmas recte exhibuerunt, quod in codd. praestantissimis, in vers. vu et syr. philoxen. itemque apud Irenaeum, Chrysost. The dor. Theophyl. Oecum. Damasc. Ambros. Euthaliu aliosque legitur πιστεύσασιν. Scriptura vulg. irrepere f cile potuit vel errore scribarum, vel studio corrigendi, qua

[illegible] [illegible] [illegible] X. F. [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] II. Thess. 2. 12. Rom. 2. 2, [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
Griesbachio. Koppio. [illegible] Thessalonicam [illegible]
[illegible] τοῖς μὴ πιστεύσασιν, h. e. [illegible]
[illegible] [illegible] Paulum. [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]

tis eorum, qui veritati divinae obsequuti fuerint, auctorem futurum describunt v. 10. ὅταν ἔλθῃ etc. In promtu est, infinitivos ἐνδοξασθῆναι et θαυμασθῆναι post ἔλθῃ *consilium* innuere sive *propositum*, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 267.* Ἐνδοξάζεσθαι: illustrari, gloriam (δόξαν) consequi, eamve sibi parare, in N. quidem F. praeter hunc locum et v. 12. desideratur, nec profanis familiare, sed apud LXX. interprr. hebraicis: הִתְפָּאֵר, הִתְגַּבֵּר, נֶעֱרַץ respondet, atque seq. ἐν (בְּ) τινι de *Deo* dicitur laudem et gloriam sibi parante vel puniendis improbis, *LXX. Exod. 14, 4. Ezech. 28, 22.* vel cultoribus suis vindicandis et salute ornandis, *Ps. 89, 8.* vel iis, quae per aliquem effecturus sit *Jes. 49, 3.* ita ut ἐν praesidium s. instrumentum illustrandi Domini indicet (Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 332.*) Si sensum spectaveris, ἐν τοῖς ἁγίοις i. q. διὰ τῶν ἁγίων etc. Minus accurate nonnulli verterunt, quod olim probaveram: *inter* ἁγίους etc. Praeeunte parallelismo vbb. seqq. καὶ θαυμασθῆναι etc. et v. 12. non *angeli* h. l. dicc. ἅγιοι *(I. Thess. 3, 13.)* sed *homines Christo ac per Chr. Deo consecrati, I. Thess. 5, 27. Quando*, inquit, *Dominus venerit, ut illustretur*, maiestatem suam patefaciat, *per cultores suos* ab adversariis vindicandos et remunerandos consortio regni divini. Quae sententia quum magnam habeat gravitatem plurimumque valeat ad consolandum et corroborandum hominem Christianum, si perpenderit, definienda sorte sua olim summam Domini maiestatem abunde illustratum iri, aliis verbis iterum exprimitur καὶ θαυμασθῆναι etc.: *et admirandum sese exhibeat per* (quo sensu θαυμαζ. ἐν τινι LXX. *Jes. 61, 6. Sapient. 8, 11.*) *omnes, qui fidem ei habuerint.* Πιστεύοντες iterum dicc. Christo addicti, *I. Thess. 1, 7.* Sed pro vulg. πιστεύουσιν editiones Bengelii, Griesbachii, Matthaeii, Koppii, Knappii, Vateri, Lachmanni recte exhibuerunt, quod in codd. praestantissimis, in vers. vulg. et syr. philoxen. itemque apud Irenaeum, Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Damasc. Ambros. Euthalium aliosque legitur πιστεύσασιν. Scriptura vulg. irrepere facile potuit vel errore scribarum, vel studio corrigendi, quum

participium praesens vb. *πιστεύω* in N. F. saepius obveniat, quam haec aoristi forma. Attamen posterior huic loco (pariter atque *II. Thess. 2, 12. Hebrr. 4, 3.*) propterea magis apparet accommodata, quod de tempore sermo est, quo Dominus veris ipsius cultoribus propter vitam *peractam* (*πίστιν* ad finem usque constanter servatam) felicitate aeterna donandis maiestatem suam patefacturus sit. Falluntur, opinor, qui cum Grieshachio, Koppio, aliisque Theodoretum legisse contendunt *τοῖς μὴ πιστεύσασιν*, h. s. ut admirandum sese exhibeat puniendis iis, qui fidem denegaverint. Immo Theodoretus verba Apostoli interpretationi, ut facere solet, praefixa sic attulit: *καὶ θαυμασθῆναι ἐπὶ* (pro vulg *ἐν*, forsitan scribendi errore) *πᾶσι τοῖς πιστεύσασιν*. Sequitur interpretatio: *ἀκριβέστερον ἔδειξε τῆς τιμωρίας τὸ μέγεθος, αἰώνιον ταύτην ἀποκαλέσας* (quod ad v. 9. pertinet). *Ἔδειξε δὲ καὶ τῶν πεπιστευκότων τὴν περιφανείαν, αὐτὸν εἰρηκὼς τὸν θεὸν ἐν αὐτοῖς* (πεπιστευκόσι) *δοξασθήσεσθαί τε καὶ θαυμασθήσεσθαι*. In promtu est, et hanc observationem, et iis quae pluribus interiectis apud eundem Theodor. verba *ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ* explicantem adduntur: *θαυμάσεται γὰρ ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύσασιν*, aliam lectionem exprimi nullam, nisi quam in textu habemus. Proinde omnino mirum videtur, quod in oratione contexta Theodoreti, in expositione quidem uberiori commatis 10. haec leguntur: *ἐπειδὴ γὰρ κατὰ τὸν παρόντα βίον οἱ μέν εἰσιν ἐν καλοπωρίαις καὶ πόνοις, τινὲς δὲ πονηρίᾳ συζῶντες ἀφθόνων ἀπολαύουσιν ἀγαθῶν, ἐν δέ γε τῇ τῆς κρίσεως ἡμέρᾳ ἀναῤῥηθήσονται μὲν οἱ δίκαιοι, καὶ στεφάνων ἀξιωθήσονται, κολασθήσονται δὲ οἱ πονηρίᾳ συνεζηκότες· εἰκότως ἔφη, ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς μὴ πιστεύσασιν*. Ex his postremis opinio exstitit multorum, Theodoretum in textu Paulino v. 10. habuisse *τοῖς μὴ πιστεύσασιν*. Equidem persuasissimum habeo, *non potuisse hunc interpretem suis ipsius verbis prorsus contradicere*, sed expungendam esse vocalam *μὴ* in textu Theodoreti, satis mature illatam sedulitate temeraria scribarum, qui ex verbis antecedd. ubi Theodoretus et

remunerationis proborum olim futurae, et poenae de improbis olim sumendae mentionem fecisset ἐπειδὴ γὰρ — συνεζηκότες, perperam colligerent, membrum apodoseos (εἰκότως ἔφη etc.) posterius καὶ θαυμασθῆναι etc. ad poenam futuram hominum non credentium (ἁγίοις oppositorum) referri debere, parum recte animadvertentes, Theodoretum h. l. iterum *ipsius Apostoli verba* attulisse. Restat, ut de parenthesi dicamus, cui vbb. τοῖς πιστεύσασιν occasionem praebuerunt: ὅτι ἐπιστεύθη — ἐφ' ὑμᾶς. Haud pauci quidem interpretes, Grotius, Wolf, Bengel, Storr (*opuscc. Vol. II. p. 106.*), Koppe, Krause, Rosenmüller, Noesselt (*opuscc. fascic. I. ed. II. p. 302*), Flatt, praeeuntibus vers. *Peschito*, *Pelagio*, *Damasceno*, propius haec coniungi voluerunt vbb. postremis ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, aoristo ἐπιστεύθη vim temporis futuri tribuentes: *siquidem testimonium meum de vobis*, de salute vestra futura, *editum* (quod de Christo redituro et vos salute ornaturo praedixi), sive *testimonium meum de vestra persuasionis Christianae et caritatis constantia coram aliis multis (v. 4.) exhibitum, ratum apparebit*, eventu comprobabitur, *die illo*. His primum obstat, quod aoristus nunquam revera vices gerit temporis futuri, etsi loca obveniant a nostro multum diversa, ubi futurum exprimere *videatur* vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 227. sq.* Deinde, ets largiamur, passivum πιστεύεσθαι (נֶאֱמָן) de testimonio dic potuisse, quod fidem suam et veritatem probaret, s. cuius ve racitas agnosceretur, *LXX. Ps. 93, 5. Polyb. 8, 19.* ipsa ta men verba Pauli antecedd. τοῖς πιστεύσασιν (qui *credi derunt* evangelio) suadere, ut ἐπιστεύθη eodem sensu ac cipiatur de eo, cui crediderint, verissime monuit Pelt ad h. Extra omnem, opinor, dubitationem positum est, quod inte vett. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. inter recen tiores Beza, Er. Schmid, Michaelis, Pelt intellexerun postrema ἐν ἐκ. τῇ ἡμ. (i. q. ἡμ. κυρίου *I. Thess. 5, 2*) propius cohaerere vel cum initio v. 10. ὅταν ἔλθῃ etc., v quod malim, cum θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι etc. Neo v deo, quam duritiem Koppe huic interpret. inesse puta quum eiusmodi parentheses, immo multo longiores, Apost

sint familiares. Vim quandam et gravitatem habet haec formula de tempore iudicii extremi sollennis ἐκείνη ἡμέρα *(Matth. 7, 22. 24, 36. Luc. 10, 12. II. Timoth. 1, 12. 18.)* *sub finem* enuntiata, *post parenthesin illam*, qua Apostolus docet (cfr. *Flacii* glossa), quo iure ad Thessalonicenses transferatur, quod modo dixerat de Domino olim gloriose vindicaturo probos ipsius cultores: vos enim utique ad τοὺς πιστεύσαντας pertinetis, *creditum est a vobis testimonium meum* (de Christo et regno divino) *ad vos perlatum.* Τὸ μαρτύριον ἡμῶν propius coniung. cum ἐφ' ὑμᾶς, suppl. γενόμενον (neminem offendat omissio articuli ante ἐφ' ὑμᾶς, Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 119.)*, ita ut ἐπὶ sq. accus. h. l. eandem habeat potestatem quam *Luc. 3, 2.* ἐγένετο ῥῆμα θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην, ad modum hebr. הָיָה, liceatque omnino, si sensum spectaveris, vertere: apud vos editum. Quo minus ἐφ' ὑμᾶς, coniunctum verbo ἐπιστεύθη, pro dativo simplici accipiatur, sive vertatur: a vobis, rationes linguae impediunt. Praedicatio evangelii egregie dicebatur *testimonium*, μαρτύριον, de Deo vero, Christo, rebusque divinis coram Ethnicis Judaeisque exhibitum (κήρυγμα explic. Theodor.) *Matth. 24, 14. Actt. 4, 33. I. Corr. 2, 1.* ex usu hebrr. עֵדוּת s. עֵדָה de legibus divinis *Deuteron. 4, 45. LXX. II. Regg. 11, 12. Ps. 119, 31.*

Laetissima quaeque sperabat Apost. de Christianis Thessalonicensibus. Attamen, quum probe nosset, nonnisi Deo iuvante fieri posse, ut et constantes maneant et amplius proficiant in persuasione illa et caritate Christiana, qua digni reddantur felicitate regni divini, testabatur porro, se hac de re ad Deum preces fundere pias, confidentiae plenas (cfr. *I. Thess. 3, 12. sq. 5, 23. sqq.*).

V. 11. 12. *Εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει·* (v. 12.) *ὅπως ἐνδοξασθῇ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ, κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

V. 11. Quo nexu votum, quod his commatibus contine-

tur, antecedentibus cohaereat, initium docet v. 11. εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα etc.: *quapropter (Coloss. 1, 29.)*, huius iudicii divini olim exercendi ratione habita, *vestra causa semper preces fundimus, ut Deus noster* (quem nos omnes Patrem habemus et veneramur) *dignos vos habeat salute, ad quam vocati estis.* Substant. κλῆσις profanis haud incognitum (v. c. *Xenoph. Cyrop. 3, 2. §. 7. in.* vocatio ad principem, *historia gr. 1, 7.* vocatio in iudicium) in libris N. F. *a)* de invitatione dicitur ad consortium regni divini *(I. Thess. 2, 12.)* per Christum divinitus facta, eademque accepta et probata, *Romm. 11, 29. I. Corr. 1, 26.* (ubi sensus: considerate, quomodo se habuerit cum vestra invitatione etc.) *Ephess. 1, 18. 4, 1. 4. Philipp. 3, 14. II. Timoth. 1, 9. Hebrr. 3, 1. b)* de conditione, in qua versantur vocati, et externa. *I. Corr. 7, 20.*, et interna *II. Petri 1, 10.* Transfertur h. l. metonymice ad ipsum vocationis obiectum, i. e. felicitatem hominibus Christo vere addictis promissam atque paratam. Precibus enim se Deum adire testatur Apostolus ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ Thessalonicenses τῆς κλήσεως. Quae formula ἀξιοῦν τινά τινος, proprie: aliquem re quadam dignum habere, et sensu bono de dignitate quadam ac sorte prospera *Luc. 7, 7. I. Timoth. 5, 17. Hebrr. 3, 3. Xenoph. memorr. 1, 4, 10. Aelian. V. H. 3, 24.* et sensu deteriori de poena *Hebrr. 10, 29.*, facile insuper adducit notionem *impertiendi* cuidam id, quo dignus fuerit iudicatus (cfr. loca *ep. ad Hebrr.* laudd.), quanquam ἀξιοῦν non magis dici potest quam compositum καταξιοῦν (vd. ad v. 5. observv.) simpliciter significasse: aliquid consequi. Qui cum interprete *syro* vertunt: ut Deus vocatione *dignos vos efficiat*, s. *dignos servet* (Baumgarten, Bolten, Krause), verbo ἀξιοῦν potestatem tribuunt exemplis destitutam. Felicitate futura digni recte haberi, huiusque salutis vere participes fieri (per Deum, iudicem iustum) non potuerunt, nisi perseverarent ac proficerent in pietate et caritate Christiana. Proinde omnino optandum fuit, ut salute digni servarentur. At hoc posterius non ipsis inest vbb. ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ etc. sed nexu continetur sententiarum, aliisque vbb. exprimitur seqq. καὶ πληρώσῃ etc.

Quae h. l. apparet interpretationis diversitas in eo potissimum versatur, quod *πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης* vel *Dei*, vel *hominum* virtutem quandam et efficacitatem significare existimatur. *Εὐδοκία* (רָצוֹן) i. q. *animus ad rem quandam hominemve propensus*, in aliquo lubenter acquiescens, in graecitate scripturae sacrae partim de *Deo* usurpatur, de oblectatione, quam Deus percipiat ex hominibus, *Luc. 2, 14.*, de consiliis et decretis divinis ex gratia libera erga homines oriundis, *Ephh. 1, 5. 9. Philipp. 2, 13. LXX. Ps. 51, 18. Ps. 145, 16.*, partim de *homine*, sensu quidem deteriori de appetitu vehementiori, cupiditate, *Sirac. 18, 31.*, sensu bono de benevolentia erga alios, *Philipp. 1, 15.*, de animi desiderio ex benevolentia profecto, *Romm. 10, 1.* Quanquam vb. *εὐδοκεῖν* non alienum fuit ab usu profanorum Graeciae scriptorum (vd. ad *I. Thess. 2, 8.*), haec tamen *substantivi* forma apud eos desideratur. Dicebant potius *εὐδόκησις*. De substant. *ἀγαθωσύνη* (טוּבָה), sacris tantum auctoribus sollemni, dubitant interpp., utrum *probitatem* universe, an *benignitatem* s. *benefaciendi studium* indicet. Quod posterius attinet, certa sunt huius significationis exempla apud *Nehem. 9, 25. II. Chronn. 24, 16. LXX. Gal. 5, 22.* (ubi cum *χρηστότης* coniung.) *Romm. 15, 14.* (ubi nexus verborum cum praeceptione praecedente v. 1 — 12. hanc interpret. maxime commendat). Ambigua sunt effata *Ps. 52, 3. LXX. Ephess. 5, 9.*, siquidem verba adiuncta utique permittunt, ut de probitate intelligatur. Proinde, qui vbb. *πᾶσαν εὐδωκίαν ἀγαθωσύνης* virtutem s. efficientiam Numinis Summi describi existimant (Beza, Calvinus, Benson, Baumgarten, Koppe, Flatt, Pelt) vertere solent: *ut Deus benevolentiam suam gratuitam, eamque summam* s. *multiplicem* (de voc. *πᾶς* vd. ad *I. Thess. 3, 9.*) *perficiat*, perfecte praestet, abunde vobis iubeat contingere (de usu vb. *πληροῦν* cfr. *Romm. 8, 4. II. Corr. 10, 6.*), sive: *ut Deus plane perficiat decretum suum benignissimum de salute vestra captum*, quod Oecumenio probatur explic. *ἵνα πληρώσῃ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἀγαθὴν βουλὴν εἰς ὑμᾶς ὁ θεὸς· βουλὴ δὲ καὶ εὐδοκία θεοῦ, τὸ πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι.* Attamen, quum membro huius commatis po-

stremo καὶ ἔργον πίστεως haud dubie aliquid praedicetur, quod ad *ipsorum Thessalonicensium* indolem vitamque pertineat, eidemque verbo πληρώσῃ arcte cohaereat, praestat, opinor, etiam formulam antecedentem de virtute Christianorum interpretari. Quodsi ἀγαθωσύνη de probitate acceperis, sententia prodit, quam Grotius, Bolten, Krause, Wahl *Clav.* Bretschneider *Lex.* sub v. εὐδοκία inesse volunt: *ut Deus perfecte vobis contingere iubeat summam* (s. *cuiusque generis*) *probitatem ipsi acceptam*, in qua lubenter acquiescat, εὐδοκίαν i. q. ἐν ᾗ εὐδοκεῖ ὁ θεὸς, *Sirac. 15, 15.* Cfr. de hoc usu substantivi vices adiectivi sustinentis Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 190.* Eandem sententiam probatam video Chrysostomo et Theophylacto, quorum posterior magis perspicue, quam Chrysost. haec dixit: πᾶσα ἀρεσκεία πληρωθῇ ἐν ὑμῖν, καὶ πᾶν ἀγαθὸν διαπράττησθε, καὶ οὕτως ἦτε, ὡς βούλεται ὁ θεὸς. Sin ἀγαθωσύνη de benignitate explicueris, cum Noesselto *opuscc. fascic. I. ed. II. p. 300. sq.* sic vertendum: *ut Deus prorsus perficiat beneficentiam vestram benevolam*, s. *beneficentiam ex benevolentia sincera oriundam.* Deus ipse dicitur homines ad amorem et liberalitatem aliis praestandam reddere promtos paratosque, *I. Thess. 3, 12. 4, 9. II. Corr. 8, 1.* Huic interpretationi minime obstant, quae apud Peltium p. 147. opponuntur. Etenim, quo iure εὐδοκία de adfectu benevolentiae intelligatur, ex locis patet supra laudatis. Nec video, qua de causa vel haec formula: perficiat Deus vestram benevolentiam, vel praedicatum πᾶσαν (h. s. benevol. summam, s. quovis pacto sese exserentem) difficultatem interpreti facessere, aut duritiem habere dicatur. Immo, quae Noesselto probatur, interpretatio prae ceteris omnibus eo maxime commendatur, quod Paulo admodum familiaris fuit utriusque rei praedicatio, *et caritatis* Christianorum, *et* πίστεως, *I. Thess. 1, 3. 3, 6. 5, 8.* Utrumque h. l. alteri coniungitur: καὶ ἔργον πίστεως, *opus fiduciae* vestrae, i. e. *sentiendi agendique rationem ex persuasione Christiana oriundam.* Qua de causa hanc phrasin sic intelligendam existimem, ad *I. Thess. 1, 3.* expositum. Limitibus eam circumscribunt angustioribus Chrysost. Theodor. Theo

phylactus (ex recentioribus Benson) ὑπομονὴν τῶν διωγμῶν et h. l. et v. 12. intelligentes. Deum precatur Apost., ut cum amore et liberalitate omnino eiusmodi persuasionem, quae in vitam et facta transeat, in animis Thessalonicensium perficiat ἐν δυνάμει, vel: *per potentiam suam (Actt. 4,7.)*, vel: *potentissime*, δυνατῶς, *Coloss. 1, 29.* Minus expedita videtur eorum interpretatio, qui vbb. ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει hoc sensu coniungunt: ἔργον δυνατώτατον. Qua de causa optanda sit haec perfectio, Apostolus v. 12. verbis profitetur, quae prorsus redolent pietatem summam Christianam, quaecunque recte et laudabiliter fiant eo referentem, ut gloria Domini illustretur: ὅπως ἐνδοξασθῇ etc. Quod olim vulgo praeceptum est, ὄνομά τινος haud raro merum esse pleonasmum *pro ipso homine* positum, id recte impugnavit Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 495.* ad Wahlii *Clavem N. T. Vol. II. ed. II. p. 166.* seqq. provocans. In ea, quae h. l. obtinet, orationis serie in promtu est, ὄνομα τοῦ κυρίου etc. esse *dignitatem* s. *maiestatem Jesu Christi*, s. *Jesum Chr. quatenus dignitatem summam habeat* (siquidem nomini eius usurpando eiusdem *dignitatis* cogitatio adhaeret) cfr. *Matth. 24, 5. Philipp. 2, 9. 10. Hebrr. 1, 4.* Similem certe eiusdem voc. usum scriptores profanos fecisse, quum nominis celebritatem ὄνομα dicerent, neminem fugit. Praeeunte Theophylacto, maluit Benson hoc membrum prius: ὅπως — ἐν ὑμῖν ad solam hanc referre vitam, ὄνομα Χριστοῦ de *professione Jesu Christi* interpretatus *(Matth. 28, 19. Actt. 8, 16.)*: *ut professio evangelii* s. *evangelium Chr. per vestram in malis tolerandis constantiam illustretur* coram omnibus. Attamen, quum membrum posterius καὶ ὑμεῖς ἐν αὐτῷ (quod Benson ipse concedit) recte intelligatur de Christianis olim die iudicii per Christum salutem iis donaturum illustrandis, parallelismo membrorum longe accommodatior apparet ea, quam commendavimus, interpretatio. *Quo dignitas*, ait, *Domini nostri Jesu Chr. per vos illustretur.* De ἐνδοξάζεσθαι ἐν τινι vd. ad v. 10. observv. Summa quippe Domini efficacitas, sanctitas, iustitia, benignitas partim eo ipso conspicua redditur, quod homines Christo addicti, iuvante Deo, eximie pro-

ficiant in persuasione vera et quavis virtute doctrinae et exemplo Christi accommodata, ex πνεύματι Chr. oriunda (ἀγαθωσύνῃ et ἔργῳ πίστεως), partim remunerandis iis salute aeterna (v. 10.) manifestabitur. Suspectum est, quod post Ἰησοῦ vulgo additur Χριστοῦ, in pluribus codd. et verss. itemque apud Oecumen. omissum. Cfr. quae de eadem lect. diversitate ad v. 8. monuimus. Vicissim. Christiani et in hac vita, incrementa illa ἀγαθωσύνης et ἔργου πίστεως ex doctrina, vita, πνεύματι Christi capientes, *per eum* laudem veram consequuntur, et olim *per eundem* illustrabuntur, participes futuri (quando Dominus iudex venerit) felicitatis gloriosae (quo sensu δόξα *I. Thess. 2, 12. Coloss. 3, 4. Jo. 17, 22.* dic.) regni divini. Itaque precatio fausta his vbb. absolvitur: *pariterque vos* illustremini (suppl. δοξασθῆτε) *per illum*. Utrumque vero pietas Apostoli gratiae tribuit Dei et Jesu Chr. κατὰ τὴν χάριν etc.

Caput II.

Postquam Paulus animos Thessalonicensium consolatus fuerat praedicando Dei iudicio iustissimo, quod olim futurum sit, quando redierit Dominus, eos potissimum meliora docendos putavit, qui, curiosius inquirentes in diem Domini, eiusque propinquitatem summam *vel sollicite metuentes, vel propter curas et aerumnas praesentes cupidius expetentes*, non tam animo recte confirmando et vere perficiendo consulerent exspectanda Domini παρουσία, quam ad errores varii generis delaberentur. Cfr. quae in prolegg. §. 4. observata sunt. Experiundo quippe cognoverat, eos, qui reditum Christi tam prope instare persuasum habeant, ut fere quovis mense immo die probabilitate summa exspectetur, partim facile decipi posse commentis fraudatorum, qui nomen ac dignitatem Christi sibi vindicaverint, et oraculis falsis pseudoprophetarum (*Matth. 24, 11. 24. Marc. 13, 5. sq. 21. sq. Luc. 21, 8.*), partim, si illam Domini παρουσίαν cupide exspectatam quotidie procrastinari viderint, in dubitationes coniici, an unquam futurus sit Domini dies et vera docuerint Jesus et Apostoli (*II. Petri 3,*

3. *sqq.)*, partim de fine rerum omnium humanarum proxime iam instante perpetuo cogitantes desidiae indulgere aliisque vitiis hinc oriundis (quapropter Cap. III. huius epistolae de laboribus, qui singulis competunt, strenue peragendis praecipitur, cfr. *I. Thess. 4, 11. sq.)*. Attamen hunc Christianorum errorem non potuit ita corrigere, ut doceret, saecula multa elapsura, priusquam Dominus redierit. Ipse enim Servator de termino temporis huic mutationi ingenti divinitus constituto nihil omnino definiendum putavit, novimusque, Paulum aliquamdiu certe maluisse παρουσίαν Domini haud ita procul remotam cogitare, quam post multa demum saecula eventuram. Cfr. quae ad *I. Thess. 4, 15.* et in prolegomm. §. 6. disputata sunt. Id unum persequitur Apostolus, erroneam esse exspectationem reditus Domini *proxime iam instantis*, docetque sermone prophetico Cap. II. Servatorem non prius esse venturum, quam defectio magna a pietate vera exstitisset, prodiissetque adversarius pessimus verae religionis, efficacitate magna insignis, adventu Domini frangendus. Quibus nuntiandis hoc certe effici poterat, ut animi illorum perturbati ab exspectatione fere quotidiana vel anxia vel cupida Domini venientis ad tranquillitatem quandam traducerentur, cognoscendo temporis termino, *ante quem παρουσία non esset futura*. Quod B. Koppe in *comment.* ad h. l. et Storr *dissert. in epistoll. Pauli minorum aliquot loca* p. 42. coniiciunt, Apostolum iis maxime, qui magnopere cuperent in vita terrestri superstites manere ad παρουσίαν usque Domini (cfr. ad *I. Thess. 4, 15. obs.)*, eaque de causa in exspectatione huius mutationis ingentis proxime iam eventurae animum totum defigerent, ostendere voluisse, quam parum considerate hoc optaverint, quum παρουσίαν illam non possint nisi tempora antecedere tristissima, mihi quidem minus probabile apparet. Etenim, qui huic persuasioni vanae indulgebant, conditionem eorum, qui in hac vita terrestri superstites fuerint Domino redeunte, praestantiorem fore conditione aliorum Christi cultorum ante παρουσίαν mortuorum, etsi legerent prophetiam apostolicam de rebus tristissimis παρουσίαν Domini antecessuris, haud facile impediebantur, quo minus haec omnia perpeti mallent, quam praeroga-

tiva illa destitui. Eiusmodi opinioni praeconceptae medicina optima iis dicendis adhibebatur, quae Paulus *I. Thess. 4, 15. sqq.* auctoritate Domini enuntiaverat. Proinde de consilio, quo Apostolus ea docuerit, quae Cap. II. huius ep. v. 1 — 12. obveniunt, eam persuasionem amplecti maluimus, quam supra breviter fuimus professi. De fontibus totius prophetiae apostolicae, eiusque sensu vel historico vel philosophico recte indagando in ipsa interpretatione sententiam nostram profitebimur, priorum quidem duodecim versuum explicatione peracta. Singulari diligentia locum, qui sequitur, difficiliorem tractaverunt Noesselt *opuscc. fascic. II. p. 259 — 296.* Storr *dissert.* supra laud. C. Heydenreich in promtuario: *neues krit. Journal der theolog. Litteratur herausgeg. von Winer und Engelhard, 8. B. 1. 2. 3. St. 1828.* Sententias interpretum diversissimas de illo, quem Paulus proditurum nuntiavit, *ἀνθρώπῳ τῆς ἁμαρτίας* et de *κατέχοντι αὐτὸν* accuratius examinaverunt praeter Heydenreichium l. l. Koppe in excursu II. interpretationi harum epp. addito, Pelt in excursu comment. p. 185. sqq. Theoph. Beyer *comment. de κατέχοντι τὴν ἀνομίαν II. Thessall. 2, 7. Lips. 1824. 8.*

V. 1. 2. *Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ᾽ αὐτόν, (v. 2.) εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοός μηδὲ θροεῖσθαι, μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι᾽ ἐπιστολῆς, ὡς δι᾽ ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου.*

V. 1. De usu vb. *ἐρωτᾶν*: rogare, rogando admonere, ad *I. Thess. 4, 1.* vid. Una cum *παρουσίᾳ* Domini commemoratur *ἐπισυναγωγὴ ἡμῶν ἐπ᾽ αὐτόν*, suppl. *ἐσομένη*, *futura nostrum omnium ad Dominum congregatio*, siquidem *ἐπὶ* motum ad locum s. scopum superiorem indicat, *Matth. 10, 18. Luc. 12, 11.* Verbum *ἐπισυνάγειν* pr. insuper s. post alium colligere, conducere, etiam simplicem habet *congregandi* significationem, *Polyb. 1, 95, 7. Matth. 24, 31. Luc. 12, 1. al.* Substantivum inde oriundum *ἐπισυναγωγὴ* *Hebrr. 10, 25.* de conventu sacro Christianorum, s. de ipso, qui convenerit, coetu dicitur. Alibi *(II. Maccabb. 2, 7.)* de

congregatione populi Israelitarum. H. l. verba antecedd. sponte ostendunt, mutationem describi laetissimam, qua homines omnes Christo vere addicti, ii pariter, qui ante reditum Domini diem obierint (per Christum resuscitandi), atque ii, qui adhuc in vita fuerint superstites Domino veniente (ut verbis Apostoli *I. Thessall. 4, 17.* coll. 5, 10. utamur), Christo veluti obviam rapientur in aeternum apud Dominum futuri. Eadem de re ἐπισυναγειν loco *Matth.* l. cfr. *Marc. 13, 27.* Parum recte Hammond, Schoettgen, alii, hunc totum locum de eversione Hierosolymarum interpretati, voce ἐπισυναγωγὴ h. l. vel libertatem limitibus nullis circumscriptam conventus sacros celebrandi, cuius compotes Christiani futuri sint imperante Traiano, eversis Hierosolymis, vel tutelam insignem, quam Christus hominibus sibi addictis post excidium Hieros. praestiturus sit, adumbrari existimarunt. Neque enim de conventibus sacris Christt. dici poterat ἐπισυναγωγὴ ἐπ' αὐτὸν (Χριστὸν), rectius ἐπισυναγ. ἑαυτῶν *Hebrr. 10, 25.*, neque Christus loco *Matth. 23, 37.*, quem illi in subsidium vocaverunt, verbo ἐπισυνάγειν per se spectato, sed tota phrasi ἐπισ. ὑπὸ τὰς πτέρυγας notionem tutelae adumbravit, qua incolumes praestare potuisset incolas Hierosolymarum, si doctrinae et praeceptis Christi aures praebere voluissent. Cfr. Heydenreich in comment. supra l. p. 9. sq. Praeterea initium capitis nostri II. tam arcte cohaeret capiti I. ubi Apostolus satis aperte a vs. inde 6. usque ad finem de reditu Domini ad iudicium extremum locutus fuerat, ut substant. παρουσία omnino non possit nisi de eadem re intelligi. Cfr. ad *I. Thess. 2, 19. 3, 13. 4, 15. 5, 23.* observv. Praepositionem ὑπὲρ plures antiquiorum interpretum, vers. Vulgata, Ambrosiaster, Pelagius, itemque Erasmus, Calvinus, Beza h. l. vim obtestandi habere existimant: obsecro vos per adventum Domini nostri etc. Quanquam ὑπὲρ apud profanos Graeciae auctores interdum hoc sensu usurpatum esse videtur (cfr. Bernhardy *wissenschaftliche Syntax der griech. Sprache*, Berlin, 1829. p. 244.), in libris tamen N. F. exemplum huius significationis certum desideramus, quum *II. Corr. 5, 20.* nihil obstet, quo minus ὑπὲρ Χριστοῦ vertatur: Christi causa. Nec alibi Pau-

lus praedicationem reditus Christi olim futuri adhibuit obsecrationi. Teneamus cum plerisque interprett. potestatem voculae haud incognitam: *quod attinet ad, II. Corr. 1, 8. 8, 23. Xenoph. Cyrop. 7, 1. memorr. 4, 3, 12.* Quid Paulus effici velit cohortando, v. 2. explicatur: *εἰς τὸ* (i. q. *ut, I. Thess. 3, 10.*) *μὴ ταχέως* etc. Nolumus cum Flattio de inversione verbb. v. 1. 2. cogitare hoc modo explicanda: *εἰς τὸ μὴ σαλευθῆναι ὑμᾶς ὑπὲρ τῆς παρουσίας* etc. Satis expeditam quippe verborum collocationem exhibet textus graecus: *rogamus autem vos, fratres, quod attinet Domini nostri Jesu Christi adventum, nostramque ad illum futuram congregationem, ut ne patiamini vos cito persuasione recta deïici, aut perturbari.* *Σαλεύεσθαι* (a *σάλος*, agitatio, iactatio, praesertim fluctuum maris, *Luc. 21, 25.*) et de eiusmodi rebus usurpatur, quae sensu physico concutiuntur et commoventur, *Matth. 11, 7. Actt. 4, 31. al.*, et de hominibus, qui ex animi statu solito deiiciuntur, concitantur, inquieti redduntur, *Actt. 17, 13. Plutarch. adv. Colot.* c. 16. Simil. *ἀποσαλεύεσθαι Arrian. dissertt. Epictt. 3, 26.* Constructio est praegnans *σαλ. ἀπὸ τοῦ νοός* i. q. ita concuti animo, ut dimovearis s. abducaris *ἀπὸ τοῦ νοός*, ut *Coloss. 2, 20. ἀπεθάνετε ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου.* De subst. autem *νοῦς* quaeritur, utrum h. l. mentem, animum universe innuat, *I. Timoth. 6, 5. II. Tim. 3, 8. Homeri Od. 8, 78. Il. 1, 363. Plat. apol. Socr. c. 4. p. 80.* ed. Fischer. ita ut *σαλ. ἀπὸ τοῦ νοὸς*, pr. veluti ex mente (statu mentis solito) deiici, *perturbationem animi graviorem* indicet (cfrr. Michaelis et Koppe ad h. l.); an sensu angustiori rationem, Vernunft, naturam hominis superiorem, vera, honesta, sancta recte intelligentem et approbantem, *Romn. 7, 23. 25.* saepiss. apud Platonem aliosque philosophos graecos (vd. Tennemann *System der Platonischen Philos. Vol. II. p. 163. sq. 173.*): *ut ne quis vestrum, animo concitatus, a ratione* (ab usu rationis recto) *deficiat;* an denique, sensu parum diverso, sententiam ipsam, quae animo teneatur, s. teneri debeat, intelligentiam, persuasionem, *I. Corr. 14, 14. sq. Philipp. 4, 7. Plat. Gorgias* s. 22. s. 55. ed. Findeisen: *ut ne quis vestrum a persuasione* (re-

eta) deïici se patiatur, i. e. ab ea, quae pertinet ad *παρουσίαν τοῦ κυρίου* et nostram *ἐπισυναγωγὴν ἐπ' αὐτὸν* recte intelligendam, quam Paulus sermone (v. 5.) tradiderat Thessalonicensibus, Dominum non prius esse venturum, quam insignis illa exstitisset defectio a religione vera (v. 3. sqq.), neque in ipsum diem Domini (nemini quippe cognitum) curiosius esse inquirendum, attamen certo exspectandum (cfr. Flatt et Heydenreich l. l. p. 11.). Eligenda, opinor, vel secunda vel tertia interpretatio, ne verbis *σαλευθ. ἀπὸ τοῦ νοὸς* fere prorsus idem dicatur, quod vocab. posterius *θροεῖσθαι* exprimit. Quod in nonnullis codd. et verss. et apud patres quosdam additur *ὑμῶν* post *νοὸς*, explicandi studio debetur. Ad perturbationem mentis graviorem, qua efficiebatur, ut plures a persuasione recta deflecterent, universe significandam pertinet vb. *θροεῖσθαι*. Proprie quidem *θροεῖν* i. q. sonitum gravem, s. clamorem tumultuantem edere, deinde etiam: eiusmodi rem narrare, narrando divulgare, quae vel admirationem excitare, vel metum incutere possit, *Aeschyl. Prometh. v. 612. Eurip. Jon. v. 784.*, unde nexu cogitationum facili ad eos transferebatur, qui alios, praesertim narratione aut praedictione, in metum vel stuporem coniiciunt, *Matth. 24, 6. Marc. 13, 7.*, quo sensu apud seriores dic. Graecos, vd. Lobeck ad *Phrynichi ecl. p. 676.* Hoc loco pariter metum complectitur eorum, qui propinquitatem summam adventus Domini *sollicite* exspectabant, atque desiderium anxium aliorum, qui *παρουσίαν* Dom. *cupidius expetebant*. (Vd. quae et in prolegg. §. 4. observv. et supra interpretationi horum vss. sumus praefati.) Utrique rumoribus vanis et oraculis falsis eorum, qui Christum hic illicve, vel hoc mense, hoc die proditurum dictitabant, perturbabantur, eiusmodi sermonibus *temere, praecipitanter*, fidem habentes. Hoc enim sensu *ταχέως* de homine, qui aliquid ita *sine mora* facit, ita festinat, ut *praepostere* agat, saepius dic. *I. Timoth. 5, 22. Sapient. 14, 28.* Quanquam nec repugnaverim, si quis cum Storrio (comment. laud. p. 33.) existimet, *ταχέως* h. l. respicere ad terminum temporis, quo elapso aliquid acciderit, *I. Corr. 4, 19. Philipp. 2, 19. 24.*, ita ut Apost. hoc maxime notet, quod plures Thessall. *iam* deiici

se patiantur persuasione recta, quam *nuper* amplexi fuerint, ab ipso Paulo instituti. Sententiam vero Koppii, cui *ταχέως* impatientiam exprimere videtur, qua plures Thessalonicae reditum Christi exspectaverint, recte improbavit *Heydenreich* l. l. p. 15. quum verba, quibuscum *ταχέως* propius cohaeret, *σαλευθῆναι ἀπὸ* etc. labefactationem potius persuasionis prius probatae cum perturbatione coniunctam significent. Pro vulg. *μήτε θροεῖσθαι* non dubitavimus cum Lachmanno edere *μηδὲ θρ.* Cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 412.* Etenim, quod in membro seq. *μήτε — ἐπιστολῆς* recte se habet ter positum *μήτε*, ubi eiusdem negationis tres partes s. modi diversi proferuntur, ferri non potest in antecedd. *μὴ ταχέως — θροεῖσθαι*, quae duas negationes continent diversas, ex usu sermonis graeci vocibus *μὴ*, *μηδὲ* (vd. Winer l. l. p. 408.) disiungendas. Quod libri omnes exhibent *μήτε*, patet, quam facile vel scribendi errore, vel ex vbb. seqq. irrepere potuerit in codices antiquissimos. Quo facilius cavere sibi discerent Thessalonicenses, ne deflecterent a persuasione recta (de adventu Domini), nec mentibus perturbarentur, haec addidit: *μήτε διὰ πνεύματος* etc. Res ipsa docet, Apostolum h. l. opiniones et praedictiones vanas impugnantem sub *πνεύματι* non potuisse nisi *eiusmodi institutionem s. praedictionem intelligere, quae perperam tribueretur motui interno spiritus divini* (cfr. Theophyl. Flatt, Pelt ad h. l.), oracula pseudoprophetarum, *oriunda potius ex spiritu erroris et mendacii*, ex *πνεύματι τῆς πλάνης*, opposito *πνεύματι τῆς ἀληθείας*, *I. Jo. 4, 6.* (unde Oecumenius *πν.* interpret. *πνεῦμα ἀκάθαρτον*). Eodem sensu *πνεύματα πλάνα* una cum *διδασκαλίαις δαιμωνίων* commemorantur *I. Timoth. 4, 1.* Sententia haud mutatur, si malueris cum Chrysostomo, Boltenio, Koppio, Storrio, Heydenreichio *πνεῦμα pro concreto πνευματικὸς (I. Corr. 12, 10.)* accipere, ut homines ipsi intelligantur, qui adflatum divinum mentiti fuerint, *I. Jo. 4, 1. sqq.* Sed prior vocabuli interpretatio accuratius respondet sequentibus *λόγου*, et *ἐπιστολῆς*. Minus expedita apparet explicatio iis probata, qui *πνεῦμα* h. l. vel ad vaticinia V. T. male intellecta referri voluerunt (vd. Krause ad

h. l.) vel ad oraculum Christi *Matth. 24, 29. sqq.* et loca parallela, quibus prophetae plures Christiani sententiam suam de reditu Domini *quam proxime* iam instante superstruxerint (Noesselt *opuscc. fasc. II. p. 274.*). Utrumque, opinor, magis perspicue enuntiandum fuisset. Et quanquam haud negamus, fuisse, *qui sibi viderentur* (errori proprio indulgentes) vel propter verba Christi sic intellecta, vel praeeuntibus V. T. oraculis, *recte contendere*, Christum hoc vel illo mense aut die proxime venturum, hoc loco tamen sermonem institui de *fraudatoribus*, versus docet tertius (*μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ* etc.). De ipsius Apostoli spiritu nuperrime interpretatus est Doct. Reiche in *comment. authentiae posterioris ad Thess. ep. vindiciae*, Gott. 1829. p. 9. nota b., verba *ὡς δι' ἡμῶν* cum illis *διὰ πνεύματος* pariter atque cum seqq. *διὰ λόγου, δι' ἐπιστολῆς* cohaerere existimans: nolite perturbari vel sermone prophetico, perperam mihi adscripto, vel etc. Nisi omnia me fallunt, *πνεύματος ὡς δι' ἡμῶν* minus recte et perspicue dici poterat, quam *λόγου* s. *ἐπιστολῆς δι' ἡμῶν*. Nec usu loquendi probatum est discrimen, quo interpres laud. vocem *λόγος*, ne h. l. post *πνεύματος* supervacanea appareat, ab illo differre existimat, ut *λόγος colloquia tantum privata* significet, quae Paulum cum discipulis instituisse perhibeant, *πν.* vero sermones sacros, quos Apostolum dicant in synagoga habuisse. Cavere sibi iubet Apostolus Thessalonicenses, ne vel sermonibus pseudoprophetarum aures praebeant, vel decipiantur oratione aut epistola fictitia, quae Pauli nomine circumferatur: *μήτε διὰ λόγου* etc. Loquendi usus parum addicit iis, qui cum Michaeli *λόγος* de *computatione annorum* acceperint, eiusmodi Christianos intelligentes, qui computatione temporum ex *Daniele* potissimum instituenda demonstrare sibi viderentur, diem Domini proxime iam instare. Quippe hanc potestatem *λόγος* nunquam induit nisi ex vocabb. adiunctis. Alii, praecuntibus Chrysostomo, Theophylacto, Oecumenio, sermones intelligunt hominum, qui *simpliciter docendo* (non vaticinando) Christianis persuadere velint, proxime iam imminere adventum Christi. Attamen, quemadmodum *λόγος*, institutio ore facta, et *ἐπιστολή*, litterae scriptae, infra v. 15.

sibi invicem respondent (ut alibi λόγος et γράμματα *Polyb. 4, 24.)*, ita h. l. non dubitamus cum plerisque interprett. *utrumque* et διὰ λόγου et δι' ἐπιστολῆς propius referre ad vbb. ὡς δι' ἡμῶν suppl. εἰρημένου καὶ γεγραμμένης. Quaeritur, quo sensu de utroque dicatur ὡς δι' ἡμῶν? Plures intt. (Hieronymus, Noesselt l. l. p. 275. Krause) intelligi volunt, *quae Paulus vere quidem dixerat (v. 5.) et scripserat (I. Thess. 4, 15. sqq.), illi vero,* quorum opinio vana h. l. notatur, *perperam intellexerant.* Malim cum Origene *epist. ad Alexandr.* Tertull. *de resurr. c. 24.* Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. (quorum nonnulli quidem minus recte posterius tantum δι' ἐπιστολῆς cum ὡς δι' ἡμῶν connectunt), contendere, *sermonem* indicari *Paulo adfictum et epistolam ei suppositam*, quod inter recentiores Wolf, Benson, Rosenmüller, Storr, Koppe, Flatt, Heydenreich p. 17. Reiche in comm. l. p. 10. recte probaverunt. Etsi enim concedimus, ὡς cum participio (quale h. l. post ὡς δι' ἡμῶν supplendum) in constructione genitivi absoluti universe opinionem quandam s. persuasionem innuere vel veram vel falsam (vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 497.)*, in hac tamen nostra verbb. connexione vix aliter intelligi potest, quam: *quasi vere a me profecta esset haec institutio* (λόγος) *aut epistola*, praesertim quum Apostolus infra c. 3. v. 17. signum exhibuerit, quo epistolae vere ab ipso profectae dignosci possint a suppositiliis. Utrum Paulus, priusquam hanc epistolam scriberet, experiundo cognoverit, exstitisse falsarium, qui vel sermonem vel epistolam fictitiam nomine Apostoli circumferret, an eiusmodi fraudem futuram metuerit tantum, eamque his monendis occupare voluerit, sub iudice lis est. Posterius Reiche comment. l. p. 10. hoc potissimum argumento defendit, quod Apostolus de adversariorum crimine non potuisset non apertius loqui et distinctius, si tale quid *factum esse* comperisset. *Neque,* inquit, (labefactemini aut perturbemini) *per praedictionem, quae dicatur divinitus revelata, nec per institutionem quandam aut epistolam tanquam a me profectam.* Ipsa opinio vana, qua animi facile perturbentur, vbb. postremis indicatur, quae propius cohaerent cum σαλευ-

θῆναι et θροεῖσθαι, ita ut haec: μήτε διὰ πνεύματος — δι' ἡμῶν interiecta habeantur: ὡς ὅτι etc. *quasi proxime immineat* (ἐνέστηκεν, *Romm. 8, 38. Gal. 1, 4. al. Herodian. 2, 2, 3.*) *dies Domini*, παρουσία, *I. Thess 5, 2.* Voc. ὡς in form. ὡς ὅτι interdum quidem pleonastice dicitur, ubi causa rei profertur, vel explicatur aliquid, *II. Corr. 5, 19. 11, 21. Isocr. Oratt. p. 362.* ed. Lang. Attamen h. l. utrumque habet vim suam (vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 488.*), siquidem ὡς ad opinionem, quae illis persuadeatur, vanam significandam pertinet (cfr. supra obs.), ὅτι ad rem ipsam opinatam: ut neque per vaticinationem, neque etc. perturbemini, *opinantes*, proxime iam instare diem Domini i. q. ὡς ἐνισταμένης τῆς ἡμέρας etc. Pro vulg. Χριστοῦ auctoritate praestantissimorum codd. apud Griesbach. Knapp. Lachmannum editum est Κυρίου, quod et plures verss. vett. exhibent, et Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Tertull. Hieron. Ambros. alii.

His praemissis docet Apostolus, de παρουσίᾳ Domini proxime imminente non prius esse cogitandum, quam palam apparuerint quaedam adhuc abscondita, etsi iam his temporibus praeparata.

V. 3. 4. *Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον· ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, (v. 4.) ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ ὡς θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἔστιν θεός.*

Quae Paulus v. 2. per μερισμὸν cohortatus fuerat, complectitur hac universa admonitione v. 3. *Μή τις* etc.: *cavete* (ὁρᾶτε s. φυλάττεσθε facile suppletur ex initio v. 1.) *ne quis ullo modo vos plane decipiat.* Ἐξαπατᾶν eandem cogitationem, quae verbo simplici ἀπατᾶν inhaeret, paulo fortius exprimit, *Romm. 7, 11. I. Corr. 3, 18. Herodian. 1, 13, 10. 2, 5, 7.* Iis, quae sequuntur ὅτι ἐὰν μὴ etc. *si quidem nisi prius defectio exstiterit* etc. in promtu est, deesse apodosin. Verissime enim contra Flattium, qui praeeunte Stor-

rio comment. l. p. 35. ἐὰν μὴ absque ellipsi intelligi voluit: *certissime*, Pelt ad h. l. monuit, effata ab illis excitata *Ezech. 17, 19. Numerr. 14, 28.* alius esse generis, quum hebr. אִם לֹא locis l. *iuris iurandi* formulae inserviat, utique per ellipsin intelligendae: non vivam, s. non ero Jehova, nisi hoc fiat. Neque huc pertinet *I. Regg. 20, 23.* ubi אִם לֹא ad vb. refertur cogitando addendum: *videbis*, s. *videbimus*, an illis non simus praevalituri. Procul dubio illud ἐὰν μὴ ἔλθῃ etc. ex vbb. pendet omissis: *non proxime instat dies Domini* (nisi prius defectio etc.), quae facile poterant ex fine v. 2. lectoribus relinqui subintelligenda, praesertim quum Apostolus h. l. effatum, quod olim (cfr. v. 5.) coram Thessalonicensibus eloquutus fuerat, iisdem fere verbis commemorasse videatur. Exempla aposiopeseos in N. F. *Luc. 13, 9. Romm. 5, 12.* obveniunt. Ἀποστασία, *defectio* (vocab. serioribus Graecis usitatum, pro antiquo ἀπόστασις, vd. Lobeck ad *Phrynichi ecl. p. 528.*) quo sensu dicatur, ubique ex orationis serie cognoscendum. Seditionem Judaeorum contra Romanos, illo tempore prope instantem, quae eversionem Hierosolymarum antecessit eamque properavit, in mente habuisse Apostolum, consentiunt plures, Clericus, Schoettgen (*horae hebr. et talmud. T. I. p. 840.*) Noesselt (*opuscc. fasc. II. p. 280.*) Krause, Rosenmüller, Usteri *Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffs ed. II. p. 189.* Argumento quidem utuntur haud contemnendo, ad tranquillandos animos Thessalonicensium, qui, Judaeis praesertim instigantibus, propter suam evangelii professionem vexationes perpessi fuissent (*Actt. 17, 1 — 10. I. Thess. 1, 6. 2, 14. sqq. 3, 3.*), maximam vim habuisse, quod Apostolus nuntiaret, fore, ut Romani, furore Judaeorum lacessiti, horum seditionem ulciscerentur, Christiani vero, labefactata Judaeorum potentia, ab illis vexationibus liberarentur. Verum enimvero ex iis, quae posthac de homine τῆς ἁμαρτίας dicuntur, sequitur potius, imaginem tristissimam *defectionis insignis a religione futurae, impietatis atrocissimae*, Apostolo etiam h. l. ante oculos esse obversatam. Eadem de causa non potest sola doctrinae verae depravatio (v. c. defectio futura Christianorum multorum ad opiniones gnosticas, qua

de re Hammond. in paraphr. cogitavit) intelligi. Interpretationi nostrae, Koppio, Flattio, Heydenreichio (l. l. p. 24.), Peltio probatae, usus vocabuli *ἀποστασία biblicus* egregie addicit, cfr. *LXX. III. Regg. 21, 13.* (in textu edit. Breitinger.) *II. Chronn. 29, 19. Jerem. 2, 19. Aquila* ad *Judd. 19, 22. I. Maccabb. 4, 15. Actt. 21, 21.* Prorsus ab usu loquendi aberraverunt, qui sibi persuaserant, potuisse Paulum divisionem imperii Romani ante apparitionem Anti-Christi futuram (quam Tertullianus *de resurr. carnis c. 24.* ad locum nostrum transtulit, adumbratam quippe *Daniel. 7, 7. 24. Apocal. 13, 1. 17; 12.*) *ἀποστασίαν* appellare. Nec probandi Chrysost. Theophyl. Theodor. Augustinus *(de civit. Dei l. 20. c. 19.)*, qui *ἀποστασία* de *ipso*, qui posthac describitur, *homine τῆς ἁμαρτίας* interpretati sunt. Ratio quippe nulla apparet idonea, quare vel cum illis interprr. antiquioribus, vel cum Bolteno (vert. *homo, qui defecit*) abstractum h. l. pro concreto positum existimemus. *Defectionem multorum a Deo vero* intelligit Paulus, illo tempore veluti in occulto gliscentem, posthac palam prodituram, quae modulum extremum habitura sit in illo homine peccati. Eamque insignem fore nec praeter exspectationem apparituram, saepius quippe praedictam, articulus (*ἡ ἀποστ.*) innuit. Eandem vim articulo recte vindicamus in vbb. sqq. *καὶ ἀποκαλυφθῇ* etc. Quemadmodum de Christo Servatore, nunc invisibili, olim ad iudicium exercendum apparituro *ἀποκαλύπτεσθαι* et *ἀποκάλυψις* dicitur (cfr. ad C. I. v. 7. obs.) ita idem vbb. h. l. transfertur ad *hominem ἁμαρτίας Christo oppositum*, nunc absconditum, suo tempore, quando obstaculum quod efficacitatem eius adhuc retinet (v. 6.) remotum fuerit, ita palam proditurum, ut, qualis sit, quam depravatus et perniciosus, omnibus pateſiat. Ex usu satis cognito substantivi casu genitivo sic positi, ut praedicatum contineat prioris, animumque ad vim huius praedicati praecipue intendat, *ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας* dicitur pro *ἄνθρ. ὁ ἁμαρτωλὸς* (hebr. אִישׁ חֵטְא *Jes. 55, 7. Proverbb. 6, 12.*), h. s. *homo plane insignis vitiositate et exercenda et adiuvanda*, totus peccatis immersus, mancipium et auctor peccati. Significatum angustio-

rem, quem Krause ad h. l. voci ἁμαρτία tribuit: seditio contra Deum, neque effata *Hebrr. 10, 26. 12, 3.* nec alia comprobant, etsi haud negaverim, in hac potissimum orationis serie, notione vitiositatis universa contemtum ipsius Numinis Summi tanquam partem τῆς ἁμαρτίας praecipuam contineri. Sensu non differt scriptura,, quae pro ἁμαρτίας in nonnullis codd. et verss. et apud patres quosdam exhibetur τῆς ἀνομίας. Attamen correctionem sapit vel interpretamentum ex v. 7. 8. profectum. Idem homo porro dic. ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *miseriae filius.* De phrasi hebraicograeca υἱός τινος i. q. qui rei cuiusdam particeps est, eique propius coniunctus, ad *I. Thess. 5, 5.* vid. Eiusdem generis est haec formula υἱὸς τῆς ἀπωλείας, quam Chrysost. Theophyl. Michaelis, Benson, Koppe, Flatt, alii recte interprett. *homo perditissimus,* quem certa manet pernicies (v. 8. 10.). Cfr. *Jo. 17, 12.* ubi idem praedicatum Judae Cariotensi proditori tribuitur. *Sirac. 16, 9.* ἔθνος ἀπωλείας. Similiter *Apocal. 17, 8. 11.* bellua, quae in visione prophetica apparet, ex Tartaro oriunda, contumeliosis in Deum titulis referta, dicitur abitura in perniciem (ἀπώλειαν). Adhaeret insuper, quod Theodor. et Oecum. recte observarunt, cogitatio eius, qui aliis auctor futurus sit perniciei (v. 10.). Maluerunt alii (cfr. Pelt) voc. ἀπώλεια de *summa* illius hominis *nequitia* interpretari, quo sensu latini hominem pessimum dicunt perditum et τέκνα ἀπωλείας *LXX. Jes. 57, 4.* hebraicum יַלְדֵי פֶּשַׁע exprimit. Quanquam posterius haud dubie h. l. ab illo priori cogitando haud seiungendum est, *primariam* tamen existimaverim notionem *poenae* illi homini, cuius perversitas summa vocc. ἄνθρ. ἁμαρτίας iam satis aperte indicata fuerat, destinatae. Utrumque alteri coniungunt Bengel, Noesselt l. l. p. 281. Heydenreich p. 26. Futuram illius efficacitatem pessimam depingit V. 4. Ὁ ἀντικείμενος etc. Ἀντικεῖσθαι pr. ex adverso positum esse, *Herodian. 4, 3, 13. 6, 4, 8. al.* tum: adversari, repugnare, sive loquendo fiat seu faciendo, nisi absolute ponitur (ut mente suppleas, cui quis repugnare dicatur), ubique sequentem habet dativum rei an personae, *Luc. 13, 17. 21, 15. I. Corr. 16, 9. Philipp. 1, 28*

Gal. 5, 17. I. Tim. 1, 10. 6, 14. LXX. Exod. 23, 22. Job. 13, 25. Zachar. 3, 1. Quapropter accedere non possumus ad partes Bensoni, Koppii, Rosenmülleri, Flattii, aliorum, qui ἀντικείμενος pariter atque sq. ὑπεραιρόμενος cum ἐπὶ πάντα λεγόμενον etc. connectunt, praesertim quum praepos. ἐπὶ (ut recte vidit Heydenreich l. l. p. 27.), si ex utroque partic. pendere existimetur, non sine duritie sensu duplici (*contra* et: *supra*) accipiatur. Immo per se positum, hoc sensu: *adversarius ille insignis*, i. e. vel *Dei veri*, quod ex seqq. cogitando facile additur (cfr. Pelt), vel, quod malim ex fine v. 3. repetere, *Christi* (τοῦ κυρίου). Nolim quidem cum nonnullis (v. c. Bolteno) posterius sic intelligi, ut ipsum vocab. ἀντικείμενος notionem accuratius definitam exprimat hominis, qui *loco Jesu Christi se ipse venditaturus sit* Χριστόν (*Matth. 24, 5.*). Latius patet, neque feliciter cum substant. comparatur ἀντιβασιλεύς. Minus in promtu positum est, si et antecedd. et seqq. spectaveris, quod Baumgarten et Michaelis ad vocem ἀντικείμενος cogitando supplent: generis humani s. salutis communis, quanquam eiusmodi homo ἁμαρτίας, qualem Paulus describit, verissime dicitur saluti generis humani perniciosissimus: De Satana h. l. sermonem non esse, etsi ἀντικειμ. *LXX. Zachar. 3, 1.* hebraico שָׂטָן respondet, pridem recte viderunt Chrysost. Theophyl. Oecum. Distinguitur enim ἀντικείμενος v. 9. ab ipso Satana, imaginem Satanae referens. Hic adversarius Christi nihil omnino sanctum ac divinum habiturus dic. καὶ ὑπεραιρόμενος etc. *qui se efferet super omne, quod Deus vocatur, aut religiose colendum.* Ὑπεραίρεσθαι, se efferre supra alios, fastu intumescere, et absolute dicitur *II. Corr. 12, 7.* et sq. dativo *II. Maccabb. 5, 23.* itemque ὑπεραίρειν sensu intransitivo sq. accusativo: supra aliam rem eminere *Longin.* περὶ ὕψους *c. 3. §. 4. p. 16. ed. Mori.* Praepositionem ἐπὶ vers. Vulg. et Ambrosiaster recte, opinor, vert. *supra*, consentientibus Peltio, Heydenreichio, aliis. Sic enim ἐπὶ haud raro usurpatur, ubi quis super aliquo stare vel sedere vel facere aliquid dicitur, ita ut ipse exstet, emineat, *Matth. 19, 28. Luc. 2, 8. Actt. 21, 5.* Patetque, hanc interpretatio-

nem et verbis seqq. maxime accommodatam esse et ipsi verbo *ὑπεραίρεσθαι*, quippe quod oculis quasi depingat fastum nefandum hominis, qui ultra quodvis sanctum et divinum veluti adscendere nitatur; etsi usus loquendi haud impediat, quo minus cum Koppio aliisque vertatur: qui sese efferet *contra* etc. *Matth. 10, 21. Marc. 3, 24.* Consulto scripsit Paulus *ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν*, eum, qui verissime dicitur Deus, Numen supremum, pariter intelligens atque eos, qui inter paganos perperam Dii habentur, *I. Corr. 8, 5.* Cfrr. Koppe, Flatt, Heydenreich p. 29. Quod Benson, Michaelis, Baumgarten, aliique coniecerunt, *λεγόμ. θεὸν* et *σέβασμα* h. l. magistratus innuere, reges, imperatores, quum אֱלֹהִים subinde de hominibus obveniat, qui Dei vices in hac terra gerunt *(Exod. 22, 7. sq. Ps. 82, 1. 6.)* et Caesares Romani appellati fuerint *σεβαστοὶ (Actt. 25, 21. 25.)*, parum probabitur ei, qui verba seqq. accurate contulerit. Neque cum Noesselto l. l. p. 281. sq. existimaverim, praeter impietatem erga Deum *simul* describi contemtum regum omnium ac principum. Lectio *πᾶν τὸ* (pro *πάντα*), quae apud *Irenaeum* et *patres quosdam latinos*, itemque in vers. *Vulg.* exprimitur (nisi forte latinus interpres et patres lat. vulgatam lect. *πάντα* paulo liberius tantum transtulerint) interpretamento debetur. De voc. *σέβασμα*, pr. quod colitur, sanctum habetur, disceptari potest, utrum h. l. Numen quod colitur significet, *Sapient. 14, 20.* (quod plerique intt. statuunt), an eiusmodi rem, quae, quum Numini colendo inserviat, ipsa habeatur sancta, v. c. templa, aras, statuas, cfr. *Actt. 17, 23.* (nolim quippe h. l. idola intelligere ipsa, quum verba Pauli seqq. *εὗρον καὶ βωμὸν* etc. multo potius suadeant, ut *sacra* h. l. *σεβάσματα* dici existimemus) *Dionys. Halic.* antiqq. Romm. 5, 1. Posterius praeferrem, si Paulus scripsisset *καὶ ἐπὶ πᾶν σέβασμα*. Quod oratio habet contexta *ἤ σέβασμα* tam arcte coniunctum est prioribus illis *πάντα λεγόμενον*, ut pateat, vbb. *ἤ σέβασμα* nonnisi illustrandis et amplificandis inservire antecedentibus, et recte cum Peltio verti: sese efferens supra omne, quod divino nomine vocatur, divinisque honoribus colitur. Quam proterve et impudice homo ille *τῆς ἁμαρτίας* palam sit ostensurus, se

nihil habere sanctum, nihil pie colendum, vbb. docent postrema ὥστε αὐτὸν etc. Pro αὐτὸν, quod editt. habent, Grotius, Koppe, Pelt scribi maluerunt αὑτὸν (i. q. ἑαυτὸν) ita ut καθίσαι h. l. transitive dicatur (collocare, imponere, *I. Corr. 6, 4. Ephh. 1, 20.*). Etsi pronomen αὐτὸν minime dixerim otiosum, immo emphatice positum: ita ut hic *ipse* (qui quaevis sancta et divina contemnit) *adeo* in templo Dei considat; negari tamen non potest, arrogantiam summam illius hominis ἄμαρτ. quaevis pro lubitu agentis maiori sermonis gravitate enuntiari, si scriptum fuerit αὑτὸν: ita ut se ipse in templo Dei collocet (de form. καθίζειν ἑαυτὸν cfr. *Aelian. natura anim. 2, 39.* Wolf *curae* ad h. l.). Quemadmodum vb. καθῆσθαι *Marc. 13, 3.* et καθίζεσθαι *Thucyd. 1, 24.* cum praepos. εἰς sq. accusativo loci, in s. super quo aliquis considat, coniungitur, ita h. l. dic. καθίσαι εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ (minime pro ἐν τῷ ναῷ). Superbiam atrocissimam eo dic. ostensurus, quod sedem capiat, veluti thronum sibi vindicet *super ipsa aede Deo sacra.* Verba sic intellecta egregie conveniunt participio antec. ὑπεραιρόμενος. Post vbb. τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ textus vulg. addit ὡς θεὸν. In marginem quidem haec ablegavit Griesbach. auctoritate plurium codd. (in quibus nonnulli sunt insigniores) qui haec omittunt, itemque versionis Sahid. Aethiop. Armen. Vulg. patrum scriptis pluribus consentientibus. Equidem cum Matthaeio, Koppio, Knappio, haec vbb. auctoritate externa minime destituta in textu servanda putavi. Oculi quippe librariorum in hac similitudine membrorum εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ et ὡς θεὸν (καθίσαι) facile potuerunt ab illo priori transilire ad vb. καθίσαι, omittendis his ὡς θεόν. Errant (quod probe viderunt Wolf. in curis ad h. l. et Heydenreich p. 35.) qui meram inesse existimant tautologiam propter vbb. sqq. ἀποδεικνύντα etc. Illud quippe ὡς θεὸν hoc tantum enuntiat, fore, ut ille se *gerat Deum*, Dei auctoritatem et dignitatem sibi vindicet [articulum non semper adiici, ubi θεὸς de uno Deo vero dicatur, docuisse sufficiat ex *Jo. ev. 1, 6. 12. 13. 18.*], his ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν etc. nuntiatur, eum adeo *operam esse daturum, ut hanc auctoritatem suam opinatam docu-*

mentis (miraculis fraudulentis) *comprobet*, et multos decepturum. Neminem fugit haec potestas vb. *ἀποδεικνύναι*: ostendere, declarare, *praesertim argumentis comprobare, Actt. 2, 22. 25, 7. Xenoph. memorr. 1, 1, 11. Plat. Gorgias s. 26. p. 99. s. 82. p. 259.* ed. Findeisen. Quo minus ad h. l. transferamus usum haud incognitum formulae *ἀποδεικνύναι τινά τι*: aliquem palam exhibere, constituere, vel munere quodam s. dignitate ornatum ornandumve, vel conditioni cuidam destinatum (cfr. Wettsten. ad h. l. et intt. ad *I. Corr. 4, 9.*) constructio verbi cum voc. *ὅτι* impedit. Ceterum recte observv. Chrysost. Theophyl. Oecumen. vbb. *ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι* etc. (per attractionem enuntiata pro *ἀποδεικν. ὅτι αὐτὸς ἔστιν θεὸς*, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 432. sqq.*), si sensum spectaveris, hoc sibi velle *πειρώμενον ἀποδεικνύναι δι' ἔργων καὶ σημείων καὶ θαυμάτων* (cfr. v. 9.). Quale vero *templum Dei*, in quo superbus ille consessurus sit, intelligit Paulus? Si quis de templo, quod olim *Hierosolymis* fuit et saepissime *κατ' ἐξοχήν* dicitur *ναὸς s. ναὸς τοῦ θεοῦ* (*Matth. 26, 61. al.*) cogitare voluerit, primum quidem, quum Christus ipse praedixisset (*Matth. 24, 2.* locisque parall.) hanc aedem sacram mox eversum iri nec unquam restitutum (cfr. *Jo. 4, 21.*), largiatur necesse est, vel *παρουσίαν κυρίου* hoc capite v. 1. 8. 9. praedicatam ex mente Apostoli ad eversionem referri Hierosolymarum nec reditum Servatoris intelligi ad iudicium extremum (quae sententia qua de causa probari non possit ad v. 1. vidimus), vel Paulum *una cum hac eversione*, haud procul remota, *coniunctam* cogitasse *apparitionem Chr. ad iudicium extr.* (cuius rei vestigia certa in scriptis Pauli desideramus). Deinde vero, etsi posterius fuerit concessum, in ipsius tamen Christi orationibus, ubi de pseudo-prophetis, pseudo-Christis, rebus horrendis ante eversionem Hierosolymarum futuris sermo est, nunquam hoc nuntiatur, eiusmodi contemtorem religionis *illo tempore* proditurum esse, qui Deum verum se gerat, considens in templo Hierosolymitano. [Verba quippe Christi *Matth. 24, 15.* diversimode intellecta: *τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ*, quam parum apte ad eam,

quam Paulus h. l. exhibuit, descriptionem transferantur, facile quisque videt.] Arbitraria fuit Gregorii Nazianz. *or. 47.* Cyrilli *catech. 15.* et aliorum coniectura, hominem illum *ἁμαρτίας* ex mente Pauli aliquando templum Hierosol. eversum eo consilio instauraturum esse, ut ipse pro Messia habeatur, et cultu adoretur divino. Itaque, nisi forte intelligi voluerit sedem quandam sacram Christianam, illo tempore nondum exstructam, vel Hierosolymis vel alio loco futuram (quem *προφητεία* obscurior prorsus non indicaverit), statuamus necesse est, *a) vel ναὸν τοῦ θεοῦ* h. l. sermone figurato *de tota dici ecclesia Christiana*, s. de *coetibus omnibus Christi singulis*, *II. Corr. 6, 16. Ephes. 2, 21.*, h. s. fore, ut fastuosus ille inter ipsos homines Deo vero per Christum consecratos auctoritatem sibi vindicet divinam, sive dominium in Christianos adfectet (cfrr. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. itemque Benson, Bolten, Pelt, Heydenreich l. l. p. 34.); *b) vel templum Hierosolymitanum* h. l. ratione nulla habita futurae eius sortis (excidii instantis) *nonnisi exemplo rei venerandae inservire*, totamque locutionem *ὥστε αὐτὸν — ὅτι ἔστιν θεὸς non prorsus secundum litteram* intelligendam esse, immo acquiescendum in notione primaria *prodituri aliquando adversarii et contemtoris religionis verae, quaecunque sancta habeantur prorsus despicientis, qui se ipse velit tanquam Deum adorari.* Posterius praeplacet, siquidem formula *ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ*, quae parum perspicue (*simpliciter* quidem posita, nec verbis coniuncta, quae significationem quandam innuerent tropicam) de ecclesia dicebatur Christiana, interpretem *hoc loco* ubi vbb. *θεὸς*, *σέβασμα*, *ὑπεραιρόμενος* praecesserant, multo potius iubet *de aede sacra proprie dicta* cogitare. Quanquam vero, quod hunc attinet *modum*, quo fastus nefandus hominis *ἁμαρτίας* depingitur (fore, ut ipse veluti sedem figat super aede sanctissima), aliquid tribuendum censeam sermonis generi symbolico, id ipsum tamen, *quod ille cultum et auctoritatem divinam adfectaturus dicitur*, *sensu*, opinor, *proprio* enuntiatur, nec mere symbolicam continet aut hyperbolicam vel impietatis summae, vel auctoritatis, quam doctores vani perperam sibi vindicaturi es-

sent, descriptionem. Commate enim 9. adventus illius hominis ὰμαρτ. *simillimus* fore dicitur efficacitati pessimae *Satanae.* Constat in libris N. F. Satanam tanquam adversarium Numinis Summi describi, qui ipse velit adorari, *Matth. 4, 9. Apocal. 13, 4.* Cum loco, quem explicuimus, integro comparare iuvat, quae in visione prophetica obveniunt *Daniel. 11, 36. sq.: pro lubitu aget princeps* (Antiochus intell. Epiphanes, Syriae princeps, nefandus ille religionis verae adversarius), *extollet sese et efferet supra Deos omnes, et adversus Deum Deorum* (summum), *prorsus insolita loquuturus est, atque successum* (hac in re) *prosperum habiturus, usque ad tempus consumtionis et poenae, veniet quippe internecio. (v. 37.) Nec animum attendet ad Deos maiorum suorum, neque ad id, quod uxores desiderant* (forsitan simulacrum aliquod, s. numen intellig.), *neque ad ullum Deum, immo super omnes sese efferet.* De eodem haec legg. *Daniel. 7, 25.: orationem contumeliosam contra Deum celsissimum proferet, eique consecratos pessime tractabit, 8, 11. 25.: usque ad principem exercitus coelestis sese extollet, cui subtrahentur sacrificia quotidiana, eiusque aedes sacra diruetur — Posthac vero confringetur ille* (princeps), *manibus non humanis* i. e. potentia divina. [Quae apud eundem 9, 27. occurrunt: *in pinna templi stabit vastatio abominabilis*, s. *vastator abominandus, donec veluti fluctus perniciei obruerint vastatorem*, ex sententia certe plerorumque interprr. non de Antiocho dicc. Epiphane, sed de vexillis exercitus Romani Hierosolymas oppugnaturi, sive de idolo quodam Romano.] In promptu est, quae locis prius laudd. obveniant, non prorsus quidem eadem esse verba, quae Paulus h. l. usurpaverit, attamen tantam apparere similitudinem, ut Danielis effata Apostolo descriptionem illam hominis τῆς ἁμαρτ. exhibenti praesto fuisse recte existimentur, nisi cum Koppio ad h. l. aliisque coniicere malueris, Apostolum non tam ipsius Danielis effata ante oculos habuisse, quam aliud gentis Judaicae oraculum ex Daniele oriundum per traditionem propagatum. De Daniele quidem, quod sensum locorum laudd. historicum attinet, doceri non potest, vatem antiquum eandem omnino *personam*, eandemve *rem gestam* s.

gerendam singularem in mente habuisse, quam Paulus h. l. adumbrare voluerit. Sed una eademque apparet *sententia universa*, in qua Propheta et Apostolus conveniant: priusquam Messias prodibit, auctor salutis omnia emendaturus, angustiae temporum orientur, peccatum ingravescet, impietas summa erga Deum vim suam perniciosissimam exseret. Liceatne haec omnia apud nostrum ad notionem, quam dicunt, abstractam referre, posthac videbimus. Praeter effata Danielis cum vaticinatione Paulina conferri solent loca *Apocalypseos*, praesertim visio c. 13. exhibita. Monstrum potestate Satanae instructum (*II. Thess. 2, 9.*) ex fluctibus surgit marinis, homines multos perversos in admirationem sui abripit, Deum et incolas coeli convitiis proscindit, probosque Dei cultores persequitur (id quod, ex mente scriptoris, symbolo Imperatorum Romanorum, Neronis potissimum, inservire interpretes docent). Huic monstro deinde alia opitulatur bellua, quae ex terra prodiit, cornubus quidem agno mactato (symbolo Christi), sed voce draconi (Satanae, *Apocal. c. 12.*) similis, prodigiisque edendis permultos homines decipit, iisque persuadet, ut monstro illi simulacrum erigant (intelligg. pseudoprophetae). Cfr. *Apocal. 17, 3 — 8.* ubi monstrum illud, mulierem egregie ornatam sed contumeliosis in Deum nominibus plenam et scortatione inquinatam portans tandem in perniciem dicitur abiturum. 19, 11 — 21. Quo minus Paulum ad eiusmodi effata Apocalypseos respexisse putemus, utique impedit, quod hic liber prophetico-poëticus eo tempore, quo Paulus litteras dedit ad Thessalonicenses, nondum litteris consignatus fuit (cfr. *Isagoge mea historico-critica in libros N. F. sacros, p. 486. sqq.*). Uterque horum scriptorum, et, quisquis tandem fuerit, auctor Apocalypseos, et Paulus Apostolus (cuius vaticinatio ab iis, quae in libro Apocal. obveniunt, multum quidem differt brevitate et orationis simplicitate, etsi in illa, quam supra indicavimus, sententia conveniunt primaria) *universe* eandem tenuit de rebus ante παρουσίαν Domini eventuris persuasionem, ex iisdem fontibus orundam.

Adfirmat porro Apostolus, huic vaticinationi minime eiusmodi inesse doctrinam, quae Thessalonicensibus nova et inau-

dita possit videri, nec mirandum esse, quod hominem illum τῆς ἁμαρτίας nondum videant vim suam perniciosissimam exserentem, quum probe sciant, aliquid esse, quod illum adhuc cohibeat.

V. 5—7. *Οὐ μνημονεύετε, ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν;* (v. 6.) *Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ.* (v. 7.) *Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται.*

V. 5. *Nonne*, inquit, *recordamini*, me, *quum apud vos essem* (πρὸς ὑμᾶς *I. Thess. 3, 4.*) *haec vobis dixisse?* Audierant quidem Thessalonicenses, quum doctrinam divinam ex ore Pauli acciperent (*Actt. c. 17.*), haud dubie Apostolum de eiusmodi signis quae παρουσίαν Domini antecessura essent disserentem, siquidem ipse iam cavendum putaverat, ne forte rumores vani de Christo *proxime* (hoc anno, mense, die) *venturo* inter Christianos excitarentur. Attamen non omnes consilium, quo Paulus haec monuerat, tum temporis recte videntur intellexisse. Immo, quum idem Apost. innuisset, παρουσίαν Domini haud ita procul videri remotam, utrumque cum altero confuderunt (praesertim, postquam Paulus Thessalonice discesserat), ita ut, quaecunque ille de παρουσίᾳ Domini dixisset, de adventu *proxime iam futuro* interpretarentur, parum memores, adhuc nondum palam prodiisse (etsi veluti in occulto serpant), quae palam apparere suamque vim longe lateque proferre debeant, priusquam Dominus sit venturus. Proinde, quo sensu et consilio tum temporis illa dixerit (h. l. v. 3. 4. paucis distincte comprehensa) probe eos perpendere iubet Apostolus, additque v. 6. Καὶ νῦν etc. Κατέχειν significatu *retinendi* s. *cohibendi* et sacris dicitur scriptoribus, *Luc. 4, 42. Romm. 1, 18. LXX. Genes. 24, 56.* et profanis, *Plato republ. l. 3. c. 21. p. 151. ex.* ed. *Ast. Xenoph. memorr. II, 6, 9. sympos. 2, 10.* Obiectum verbi esse τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας facile patet ex verbis seqq. εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι etc.: *nostis, quid istum hominem* ἁμαρτ (adhuc) *coërceat* (quo minus hoc ipso tempore in medium prodire possit, impediat, κωλύει, ut Chrysost. et Oecumen

recte explic.), *ut* s. *ita ut suo tempore* (non prius, quam tempore ipsi divinitus constituto) *patefiat*. De vb. ἀποκαλύπτ. vd. v. 3. Καιρὸς ἑαυτοῦ dic. eodem sensu, quo καιροὶ αὐτῶν *Matth. 21, 41. Luc. 1, 20. al.* בְּעִתּוֹ *Ps. 1, 3. al.* Totius vaticinationis Paulinae indoles docet, Apostolum etiam hac in re omnia referre ad decretum divinum et gubernationem temporum divinam. Proinde, quamvis loquendi usus permittat, ut εἰς τὸ de *termino temporis* intelligatur (*Actt. 4, 3. II. Tim. 1, 12.*): usque dum suo tempore palam proditurus sit; malim tamen praepositionem εἰς h. l. cum Flattio vel de *effectu necessario* (*Romm. 10, 10. I. Corr. 11, 17.*) vel de *consilio* (*Romm. 9, 21. al.*) interpretari. Parum accurate verbis graecis respondet explicatio Koppii: ἀλλ' ὅμως ἀποκαλυφθήσεται. De re ipsa sive persona, quam prophetia Apostoli appellaverit τὸ κατέχον, posthac videbimus, ubi sententiae diversissimae de ἀνθρώπῳ ἁμαρτ. examinabuntur. Quo sensu Apost. dixerit: νῦν τὸ κατέχον etc. magnopere dissentiunt. Qui haec posita esse volunt pro τὸ νῦν κατέχον (cfr. Noesselt l. l. p. 291. Heydenreich p. 40.): quid nunc illum cohibeat, bene nostis, non habent, quo *necessitatem* huius inversionis comprobent. Particulam esse simpliciter transeundi (atqui) nonnulli cum Koppio contendunt. Forsitan eiusmodi effata in mente habuerunt, quale est *Actt. 3, 17.* Verum, si locum laud. accuratius indagaveris, facile videbis, illud καὶ νῦν (οἶδα) non simpliciter transitum indicare, sed eam habere vim, ut sententia verbis antecedd. declarata (v. 14.) concessione quodammodo mitigetur, ratione quidem alius sententiae habita quam scriptor posthac (v. 18.) enuntiaturus sit, ut illa concessio eiusque nexus cum antecedd. recte intelligatur et aestimetur: iam novi quidem, s. nunc hoc quidem scio, proprie: quod ad hoc praesens, de quo sermo est, attinet, s. ut nunc se res habet, novi etc. [Significationem quippe temporis voc. νῦν nunquam amittit.] Aliter se habet cum loco nostro. Nexus, qui verba καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε et antecedentibus et seqq. coniungit, haud facile permittit, ut vertatur: atqui s. iam quidem bene nostis etc. Animum attendamus cum Bengelio et Storrio (comment. laud. p. 38.) ad

revelata *Matth. 13, 11. Ephess. 1, 9. al.* De quavis re silenda dic. *Sirac. 22, 20. 27, 16. 17. 21. II. Maccabb. 13, 21.* Hoc usu loquendi praeeunte τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας recte, opinor, ita interpretamur, ut genitivus τῆς ἀν. vim habeat explicandi et definiendi illud μυστήριον (*Romm. 8, 23. II. Corr. 5, 5.*): *res illa, cuius vera indoles et efficacitas Christianis adhuc est abscondita, improbitatem dico* (sive *illa, quam tecte innui*, ἀποστασία). Egregie respondet opposito ἀποκαλύπτεσθαι v. 6. 8. Maluerunt alii (cfr. Flatt et Pelt ad h. l.) τὸ μυστήριον sensu magis subiectivo accipere, ita ut substant. μυστ. h. l. vim teneat *praedicati* propter gravitatem casu nominativo subst. enuntiati: *improbitas, quae adhuc efficientiam suam occultat* sive *occultare debet*, eo quod speciem prae se ferat honestatis et artibus clandestinis utatur. Neo desunt, qui genitivum ἀνομίας id potius indicare existiment, ad quod pertineat illud μυστήριον, quo tendat, quid efficere velit, v. c. Theodoretus, haereticos intelligens, qui homines veluti occultis irretiant laqueis improbitatis, s. Turretinus in commentario: occultae artes, quibus illi defectioni magnae via parabatur. Cogitavit haud dubie Apostolus de fraudibus nefandis, quae impietatem veram callide occultare studeant. Sed quaeritur, an huic potissimum notioni significandae vocem μυστήριον h. l. inservire voluerit? Quantum equidem video, usus huius substantivi, qualem in libris N. F. deprehendimus (cfr. supra obs.) magis commendat eam, quam primam exhibuimus, totius form. interpretationem. Haud negaverim vero, adhaerere insuper significationem improbitatis *prorsus inauditae*, quo sensu κακίας μυστήριον apud *Joseph. de bello Jud. 1, 1, 24.* De forma ἐνεργεῖσθαι ad *I. Thess. 2, 13.* vidimus, in scriptis Pauli hanc esse passivi non medii sensu activo positi formam. Quapropter etiam h. l. minus accurate apud Koppium, Flattium, aliosque vertitur: operatur, s. efficacem se gerere incipit, quam (cfr. Grotius ad h. l. Storr p. 36. Noesselt p. 292.): *efficax redditur* (permittente Deo, per homines ad ἀνομίαν proclives) *improbitas illa adhuc vobis abscondita.* Similem certe dixerim locum *I. Jo. 2, 18.* ubi multi iam prod-

adhuc retardaretur, etsi hoc impedimentum mox cessaturum esset. His ambagibus et coniecturis artificiosius structis supersedemus, nexum verbb. simpliciter hoc modo explicantes: *etiam nunc* (haud negligenda quidem consequutio: igitur) *compertum habetis*, non illo tantum tempore, quo vos de his omnibus coram edocui, cognovistis, *quid adhuc illum cohibeat* etc. Neque hanc otiosam dixerim copiam verborum. Docet Paulus, etsi ab iis inde diebus, quibus Christianos Thessall. coram instituere posset, ad hanc usque institutionem epistola factam aliquod temporis spatium, haud ita longum quidem, elapsum fuerit, minime tamen illos habere, quod παρουσίαν Domini proxime putent instare, aliter hac de re iudicantes, quam illo tempore, praesente Apostolo, iudicare didicissent, rumoribusque vanis aurem praebentes, quum etiamnum eandem habeant (si modo olim dicta recte perpendere velint) cognitionem τοῦ κατέχοντος. Amplius explicandis iis, quae Paulus modo dixerat, εἰς τὸ etc. inserviunt vbb. v. 7. τὸ γὰρ μυστήριον etc. Ἀνομία constat pariter de factis usurpari singulis, quae legem vel humanam vel divinam violant, *Romm. 4, 7. Hebrr. 8, 12. 10, 17. I. Jo. 3, 4.* (ubi per ἁμαρτία explic.) atque de universa sentiendi agendique ratione legi contraria, prava, improba, *Matth. 7, 23. Romm. 6, 19. Xenoph. memorr. 1, 2, 44.* Hoc loco dubitari non potest synonymum esse vocab. ἀποστασία, quod v. 3. defectionem insignem a religione futuram, impietatem atrocissimam, innuere vidimus. Sic *I. Macc. 2, 44.* ἄνομοι appellantur, quorum ἀποστασία v. 15. narrata fuerat. Cfr. ib. 3, 5. 6. *LXX. Jes. 1, 5. Thucyd. 2, 53.* Μυστήριον (a μυεῖσθαι: sacris initiari) sollenne est apud profanos de sacris arcanis, quibus interesse non licebat nisi hominibus initiatis, qui sancte obstringebantur silendis apud exteros iis, quae in eiusmodi coetu et docebantur et agebantur, *Aelian. V. H. 13, 24. Lucr. or. περὶ τοῦ ζεύγους* p. 605. ed. Lang. Unde in libris N. F. ad sensum transfertur vel effati cuiusdam vel visionis sublimiorem, nec omnibus perspicuum, *Ephess. 5, 32. Apocal. 1, 20. al.*, ad doctrinam hucusque absconditam, nunc demum patefaciendam, *I. Corr. 15, 51. al.*, universe ad decreta divina de salute hominum olim abscondita, nunc per Christum

ceat etc.). Eiusmodi vero sententiam Apost. haud dubie ex more loquendi hac ratione enuntiaturus fuisset: ἔστιν δὲ s. ἔστιν γὰρ ὁ κατέχων etc. Verissime intellexit Kypke *obss. sacrr.* ad h. l., cui adsentiri video Rosenmüllerum, Noesseltum p. 291. Heydenreichium p. 43., voculam μόνον referendam esse ad: μυστήριον ἐνεργεῖται. Nolim hoc cum Koppio durissimum appellare. Teneamus modo, et substantivum τὸ μυστήριον non temere ab initio commatis positum esse, quo magis defigerentur animi legentium in notionem rei plerisque adhuc reconditae, et passivum illud: *efficax redditur*, ἐνεργεῖται, etsi non habeat per se positum (quod nonnulli existimarunt) significationem inchoandi, *minus tamen involvere*, quam si diceretur: *usurpat efficacitatem suam*, immo, quod *sensum* attinet, utique initium tantum innuere et veluti praeparationem. Sententia: *res* adhuc *abscondita iam redditur efficax, illam dico improbitatem*, sive: *tanquam res* adhuc *abscondita iam redditur efficax improbitas illa, tantummodo* (i. q. non diutius abscondita mansura, cuius efficacitas tantum instruatur, quam) *donec, qui eam nunc cohibet, fuerit remotus.* Inversio verbb. ὁ κατέχων ἕως pro ἕως ὁ κατέχων vim habet oratoriam, quae mentem intendat in notionem τοῦ κατέχοντος. Quod v. 6. τὸ κατέχον dicebatur, ex consuetudine scriptorum graecorum eiusmodi quoque locis, ubi de persona sermo est, in oratione minus definita neutrum usurpandi (*Matth. 1, 20.* τὸ γεννηθέν, quod v. 21. accuratius dic. υἱὸς, *I. Corr. 1, 27. sq. Gal. 3, 22. al.* cfr. Haab *hebraeisch-griech. Gramm. p. 197.* Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 151.*), idem h. l. definitius genere masculino enuntiatur ὁ κατέχων, quo pateat, personam intelligi, quae vim habeat illam ἀνομίαν s. ἀποστασίαν etiamnum cohibendi. [Prorsus falluntur, qui κατέχων, subintell. τὴν ἀρχήν, h. l. interprett. *qui imperium tenet*, quam Lamberti Bosii sententiam *exercitt. p. 214.* recte improbavit Wolf in *curis* ad h. l. Nec verba v. 6. satis accurate perpenderunt, qui cum Vatablo sub τῷ κατέχοντι v. 7. eum intelligi voluerunt, qui efficiat, ut ipsa Domini παρουσία retardetur]. Utrum vero Apostolus unum in mente habuerit individuum, an homines certi cuiusdam gene-

ris, in eo consentientes, quod ἀνομίαν cohibeant, in utramque partem disceptatur. Effata, quorum ope B. Flatt docere voluit, posterius admitti omnino posse, *Romm. 12, 8. II. Corr. 11, 4. Gal. 5, 10. 12.*, propterea huc non pertinent, quod locis laudd. notio exprimitur universa: quicunque tandem fuerit (cui conveniat, quod ibi praedicetur). Quo minus ὁ κατέχων indefinite accipiatur: *quisquis* hanc ἀνομίαν adhuc cohibet etc. constantia impedit, qua utroque commate 6 et 7. numerus ponitur singularis. Haud dubie Apost. vel unum individuum intellexisse, vel, si de pluribus multisve cogitavit, hoc genus s. hanc speciem hominum *unius* tamen *personae forma indutisse* existimandus est. Hoc interim teneamus, sententiam Pauli accuratius investigaturi, ubi de indole totius vaticinii recte aestumanda disputabitur. De voc. ἄρτι prorsus adsentimur Flattio et Peltio, recte negantibus, eam non posse nisi ad tempus Pauli referri. Nihil certe obstare videtur, quo minus eam universe *tempus* complecti dicamus *efficientiae* τοῦ κατέχοντος *opportunum*, quod porro elapsurum sit ad initium usque temporis illi oppositi, i. e. donec, remoto τῷ κατέχοντι, palam sit proditura ἡ ἀποστασία. Cfr. *I. Corr. 13, 12. I. Petri 1, 6.* Form. ἐκ μέσου γίνεσθαι s. αἴρεσθαι non tantum de hominibus valet, qui mortem subeunt, *Marcus Anton. 8, 12.*, praesertim violentam *LXX. Jes. 57, 2.*, sed etiam de personis rebusve, quae removentur ex medio, ita ut non amplius palam appareant suamque vim exserere possint, *I. Corr. 5, 2. Coloss. 2, 14. Plutarch. Timol. p. 238.* Vix est, quod moneam, quam parum probari possit ea verbb. interpretatio (ab Heydenreichio p. 44. recte refutata), cuius mentionem iniecit Augustinus *de civ. Dei l. 20. c. 19.*: nodo, qui persuasionem rectam Christ. tenet (κατέχων), teneat eam porro (κατεχέτω), donec illa improbitas adhuc occulta ex medio (ipsius ecclesiae Christ.) prodierit.

Ipsam vero efficacitatem perniciosam, quam homo ille ἁμαρτίας suo tempore manifestam sit redditurus, culpa quidem hominum, qui noluerint veritati divinae obsequium gerere, describit Apostolus vss. seqq., adiecta statim consolatione, quam

exspectatio certa exhibet, fore ut Dominus Jesus Chr. adventu suo illustri hominem *ἁμαρτίας* prorsus conficiat.

V. 8. 9. 10. *Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος [ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ]* (v. 9.) *οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασιν ψεύδους,* (v. 10.) *καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ (τῆς) ἀδικίας τοῖς ἀπολλυμένοις· ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς.*

V. 8. *Tum,* inquit, remoto illo, qui etiamnum cohibet *τὴν ἀποστασίαν* (v. 7.), *patefiet,* vim suam aperte proferet, *improbus ille* (*ἄνθρωπος τῆς ἁμ.* v. 3. cfr. de voc. *ἄνομος Marc. 15, 28. I. Tim. 1, 9.* et, quae de *ἀνομίᾳ* ad v. 7. dix.). Sermone sublimiori, qui parallelismum habet, qualem carmina Hebraeorum usurpant, ita ut haec facile possint ex oraculo desumta videri tum temporis circumferri solito, pernicies nuntiatur, quam isti *ἀνόμῳ* adventus Domini allaturus sit: *ὃν ὁ κύριος* etc. *Ἰησοῦς* post *κύριος*, in textu vulgari omissum, Griesbachius quidem Knapp. Lachm. receperunt ex codd. pluribus, quorum nonnulli sunt insigniores, versss. *Syrr. Sahid. Aethiop. Armen. Vulg. Slav.* scriptisque Chrysost. Theophyl. Theodor. Ambros. aliorumque doctorum ecclesiae veterum. Quum vero plerique codd. (in quibus est *Vatic.*) omittant, nec inter patres et interpretes antiquos defuerint, qui h. l. simpliciter legerent *κύριος* (cfr. Matthaei nota crit. ad h. l. itemque Gersdorf *Beiträge zur Sprachcharakteristik der Schriftst. des N. T. Vol. I. p. 294.* adde Oecumenium ad h. l.), nos quidem cum Matthaeio et Peltio *Ἰησοῦς* suspectum habemus, ex glossemate oriundum, quo cavebatur, ne quis h. l. vocem *κύριος* de Deo patre interpretaretur. Similiter Christus Paulo simpliciter *κύριος* dic. *Romm. 14, 8. 16, 8. I. Corr. 4, 5. al.* Quod porro textus vulg. exhibet *ἀναλώσει*, proprie: *consumet* (apud profanos saepissime de iis, qui cibum consumunt, s. opes rei cuidam impendunt, *Plat. Gorgias s. 36. p. 131. s. 45. p. 160.* ed.

Findeisen.) hoc loco i. q. *conficiet, penitus perdet* (כָּלָה), ut *Luc. 9, 54. Gal. 5, 15. LXX. Proverbb. 23, 28. Genes. 41, 30. Xenoph. paeday. c. 1.* Altera lectio in codd. *Alex. Vatic. Claremont. Augiensi* itemque apud Athanasium et Origenem obvia ἀνελεῖ: *interficiet, Matth. 2, 16. Actt. 9, 23. al.* (pro ἀναιρήσει, ex forma futuri optimis Graeciae scriptoribus haud usurpata, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 75.*) haud dubie ex interpretatione seu correctione profecta est, cui adscribendae praesertim inserviit locus similis *LXX. Jes. 11, 4.* apud Judaeos seriores de Anti-Christo per Christum interficiendo explicari solitus. Verbum quippe ἀναιρεῖν in N. F. praesertim in Actis App. multo frequentius occurrit, ἀναλίσκειν apud profanos hoc significatu perdendi, interficiendi, rarius dicitur. Πνεῦμα τοῦ στόματος αὐτοῦ, etsi praeeuntibus Theodoreto Theoph. Pelag. omnino ita liceat interpretari, ut periphrasin *verbi* sive *mandati potentissimi* contineat (doctrina quidem evangelii, quam nonnulli intelligunt, nunquam sic dicitur), cfr. *Jes. 11, 4. Ps. 33, 6. LXX.* ubi τῷ λόγῳ τοῦ κυρίου vbb. πνεῦμα τοῦ στόματος αὐτοῦ manifesto respondent; maiori tamen sermonis gravitate, cui membrum sequens καὶ καταργήσει etc. egregie conveniat, notionem *potentiae Domini summae, cui sufficiat halitus oris quo ἄνομος ille perdatur,* enuntiari putaverim, si cum Peltio, Heydenreichio p. 45. aliisque verbotenus explicetur: *oris sui halitu,* qui cum vento validissimo comparatur, *Job. 4, 9. Sapient. 5, 23. 11, 20.* cfr. quae Wettsten. ex scriptoribus rabbinicis attulit. Lectionem receptam αὐτοῦ in utroque huius commatis membro servavimus, quum nihil sit, quod eam mutari iubeat, quamvis scriptura αὐτοῦ, quam inter vett. Chrysost. et Oecum. (priori quidem loco etiam Theophyl.) habent, inter recentiores Matthaei expressit, rationibus linguae praesertim N. F. minime adversetur, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 123.* Membrum posterius accurate respondet priori. Etenim καταργήσει, irritum reddet, efficacitate sua prorsus privabit, *I. Corr. 15, 24. 26. II. Corr. 3, 7. Jamblich. protrept. c. 6.* sensu parum differt ab ἀναλώσει. Quemadmodum antea halitus oris Domini, ita h. l. (quam

singularem formulae vim bene intellexerunt Chrysost. et Theophyl.) *sola eius apparitio* perditura dicitur hominem *ἀμαρτίας*. Quae quidem Dom. apparitio formula enuntiatur ampliori, *ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας*, quae gravitatem habet. *Ἐπιφάνεια*, apud profanos quidem de apparitione, adventu potissimum inexspectato vel Numinis divini vel hominis auxilium ferentis (Wesseling. ad *Diod. Sic. 1, 25.*) tum de specie rei hominisve externa *Aristot. περὶ κόσμου* c. 2. §. 7. itemque de dignitate, quatenus extrinsecus apparet, maiestate, splendore usurpatum, *Diod. Sic. 19, 1. Dionys. Halic. antt. Romm. 2, 68.*, in libris N. F. partim de adventu Christi in his terris dic. *II. Tim. 1, 10.*, partim de reditu eius olim futuro *II. Tim. 4, 1. 8.*, praesertim quatenus hic reditus spectabilis est futurus et maiestatem habiturus externam, *I. Tim. 6, 14. sq. ἐπιφάνεια τοῦ κυρίου — ἣν δείξει ὁ μακάριος δυνάστης*, *ad Titum 2, 13. ἐπιφ. τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, apparitio maiestatis Dei etc. De illa Domini efficacitate, quae patefacta est excidio Hierosolymarum, nunquam legitur *ἐπιφ.* Neque est, quod cum Flattio, loca *Apocal. 17, 14. 19, 11. sqq.* comparante, de alia quadam manifestatione potentiae Christi insigni cogitemus, quae futura sit ante reditum Domini. Immo, quae v. 1. huius cap. et C. I, v. 7. dicebatur *παρουσία* et *ἀποκάλυψις* Domini, eadem h. l. appellatur *ἐπιφ. παρουσίας*, apparitio adventus Christi, i. e. *adventus Chr. spectabilis* s. *illustris*, *maiestatis plenus* (cfrr. Krause, Pelt, alii), nec alia evadit sententia, si cum Koppio vertere malueris: vi sua illum *ἄνομον* privabit *per maiestatem* s. *splendorem (II. Maccabb. 14, 15. 15, 27.) sui adventus.* Longius petita videtur eorum intt. sententia, qui splendorem, lucem (*ἐπιφ.*), h. l. opponi existimant tenebris errorum per illum *ἄνομον* excitandis. His igitur *ὃν ὁ κύριος — παρουσίας αὐτοῦ* interpositis pergit Apostolus in describenda istius *ἀνόμου* efficientia, suo quidem tempore, ut modo docuerat, cessatura v. 9. *οὗ* (*τοῦ ἀνόμου*, v. 8. in.) *ἐστιν ἡ παρουσία* etc. Quod modo de adventu Christi usurpatum fuerat, *παρουσία*, idem h. l. transfertur ad manifestationem ad-

versarii Christi, quae *esse* sive *futura esse* dicitur (praesens quippe ἐστιν aptissime h. l. ponitur de re *certo* futura, ex ipsius scriptoris persuasione haud ita procul remota, *in occulto iam serpente*, *v. 7.*), *secundum efficientiam* (ἐνεργείαν, *Philipp. 3, 21. Ephess. 1, 19. sq. Aristot. rhetor. l. 1. c. 5.*) *Satanae*, *in miraculis varii generis* etc. Arctius cohaerent vbb. ἐστὶν ἐν πάσῃ δυνάμει etc. Praesentia s. manifestatio hominis τῆς ἁμαρτ. ita fore dicitur, ut *instructa sit* miraculis etc., quo sensu ἐν *Luc. 14, 31. Hebrr. 9, 25. Xenoph. Cyrop. II, 3, 14.* Quae interponuntur κατ' ἐνεργείαν τοῦ Σατ. duplicem admittunt interpretationem, alteram: *ad exemplum Satanae* (vd. Michaelis ad h. l.), quo sensu κατὰ sq. accus. *Gal. 4, 28. I. Petri 1, 15.*, alteram, quae Bensono Koppio Flattio Peltio Heydenreichio p. 47. sqq. praeplacuit: *prouti convenit efficientiae Satanae*, illum ἄνομον adiuvantis s. per eum operantis, ita ut cogitatio adhaereat causae efficientis, cfr. κατὰ τὴν ἐνεργείαν *Philipp. 3, 21. Coloss. 1, 29.* Posterior interpretatio prorsus est iis accommodata, quae in N. F. de Satana dicuntur auctore et adiutore cuiusvis mendacii et perversitatis, v. c. *Matth. 13, 39. Luc. 8, 12. Jo. 14, 30. Ephess. 2, 2.* Cfr. insuper *Apoc. 12, 9. 17. 13, 1. sqq. 11. 13. 14, 16. 19, 20.* Δύναμις s. δυνάμεις, σημεῖα, τέρατα in N. F. haud raro tanquam synonyma apparent, de factis Christi eiusque legatorum insignibus, quippe quae *potenter facta* sunt, voluntati divinae et auctoritati doctorum divinorum *signo externo declarandae* vere inserviunt, in admirationem homines coniiciunt. Uberius de his vocc. disserui in libro: *Briefe über Religion und christlichen Offenbarungsglauben, Jena, 1826. p. 158. sqq.* Eadem vero substantt. de eiusmodi factis adhibentur portentosis, admirationem excitantibus, quae homines edant, qui perperam sibi auctoritatem vindicant doctorum divinorum, *Matth. 7, 22. 24, 24.* Ab insignibus factis legatorum div. ea, quae ἄνομος ille patraturus sit, distinguuntur add. ψεύδους (ad haec tria: δυνάμει σημ. τέρ. simul referendo), *sive* hac voce, praeeuntibus Theodoreto Turretino aliisque, more genitivi praedicatum exprimentis, miracula describi putaveris, *quae*

minime sint, qualia esse dicantur, per singularem Dei efficientiam peracta, *sed mendacia mera, praestigiae, LXX. Jerem. 23, 32., sive* (quod Chrysostomo Theoph. Oecum. fluctuantibus tamen inter utramque interpretationem, inter recentt. Peltio probatur) *fraudulentiam, consilium homines decipiendi*, siquidem de fraude, quae consulto fiat in damnum aliorum, haud raro ψεῦδος et ψεύστης dicitur *Sirac. 7, 13. 14. Jo. 8, 44.* neminemque fugit, genitivo substantivi interdum etiam indicari, quo spectet aliquid, v. c. ἀνάστασις τῆς ζωῆς *Jo. 5, 29.* Exemplum praestigiatoris aevo Apostolico causae Christi detrimentum parantis exstat *Actt. 13, 8. sqq.* patetque ex libris Judaeorum seriorum, quam propensi fuerint ad artes magicas exercendas. Vd. Eisenmenger *entdecktes Judenthum I. p. 150. sqq.* Schoettgen *horae hebrr. et talm.* ad h. l. *Utrumque* licet alteri coniungere. Videtur tamen Apostolus praesertim in mente habuisse posterius. Sequuntur enim verba v. 10. καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας etc. Intelliguntur *cuiusque generis* (praeter σημεῖα et τέρατα ψεύδους) *fraudes*, sive in verbis sive in factis ipsiusque exempli pravitate versentur, *quae ad improbitatem spectant*, propterea fiunt, ut improbitas adiuvetur magisque increscat, s. simpliciter (cfrr. Koppe, Krause, Pelt) *fraudes impiae.* Utroque modo ἀπάτη τῆς ἀδικίας melius respondet antecedentibus: δυν. σημ. τέρ. ψεύδους, quam si cum Flattio verteris: quae oriundae sunt ex improbitate. Similiter illi, quem *Daniel 8, 25.* depingit, religionis verae adversario tribuitur fraudulentia, quae aliquamdiu bene succedat. De articulo τῆς ante ἀδικίας in nonnullis praestantiorum codd. omisso, nec magis h. l. necessario, quam in vbb. antecc. τέρασι ψεύδους, parum liquet, utrum errore scribendi exciderit textu, an additus fuerit, quod utrumque propter syllabam postremam vocabuli anteced. accidere facile potuit. Ἀδικία pr. quaevis agendi ratio, quae repugnat iustitiae, *Xenoph. memorr. II, 2, 3. IV, 2, 12.*, ex eo, qui apud scriptores sacros obtinuit, usu vocabb. δίκαιος et ἄδικος (cfr. Dav. Schulz *über die Parabel vom Verwalter Luc. 16, 1. sqq.* Breslau, 1821. p. 60. sqq.), in N. F. non tam sensu civili, quam mo-

rali adhibetur de *improbitate*, quae absque pudore et leges divinas et iura humana violat, Ruchlosigkeit, Gottlosigkeit, *Actt. 1, 18. 8, 23. Romm. 1, 18. 2, 8. al.* In vers. *LXX.* hac voce exprimuntur hebrr. עָוֹן, רָאָה, רֶשַׁע, חָמָס, *Zachar. 3, 9. I. Sam. 3, 14. Ps. 11, 5. 140, 2.* Opponitur infra v. 12. ut saepius *(Romm. l. l. I. Corr. 13, 6.)* τῇ ἀληθείᾳ, et *commate nostro 10.* τῇ ἀγάπῃ τῆς ἀληθείας, quum eiusmodi sentiendi et agendi ratio veritati, i. e. naturae humanae, qualem esse oporteat, et voluntati divinae homini patefactae, prorsus adversetur, atque erroribus, mendaciis, fraudibus indulgeat. Qua de causa minus probanda Theophylacti et Oecumenii interpretatio, qui sub ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας studium intelligi volunt fraudulentum, iniuriam s. damnum inferendi hominibus, *II. Corr. 12, 13.*, etsi, quod rem ipsam attinet, nemo negaverit, hominem illum ἁμαρτίας ex mente Apostoli talem fore, qui verae hominum saluti eo ipso adversetur, quod religionem veram destruere moliatur. Attamen, ne quis existimet, illam τοῦ ἀνόμου efficacitatem eiusmodi vim habituram esse, ut homines per eam *inviti* ad improbitatem abripiantur, addit Apost. (secundum lect. *vulg.*) ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. Ἀπολλύμενοι, qui miseri sunt, sua quidem culpa, veritate divina spernenda (cfr. sqq. ἀνθ' ὧν etc.) et olim certo miserrimi erunt, qui in suam ipsi ruunt perniciem, *I. Corr. 1, 18. II. Corr. 2, 15.*, opponuntur τοῖς σωζομένοις, qui participes redduntur salutis regni divini, quemadmodum ἀπόλλυσθαι *Jo. 3, 16. al.* oppon. τῷ ζωὴν αἰώνιον ἔχειν. Respicit, opinor, Apostolus ad formulam v. 3. de homine τῆς ἁμαρτ. adhibitam ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Scite observarunt Chrysost. Theodor. Theophyl. eiusmodi homines describi, qui, etsi omnino non prodiret ἄνομος iste, iacturam tamen facturi essent salutis futurae sua perversitate. Quod verba recte struenda attinet, in promtu est, hoc ἐν τοῖς ἀπολλ. *vel* (quod Koppe aliique probarunt) una cum membris antecedd. ἐν πάσῃ δυνάμει etc. ex verbis pendere v. 9. οὗ ἐστιν ἡ παρουσία, hoc s. *cuius hominis* ἁμαρτ. *adventus, prouti convenit efficacitati Satanae, varii generis potenter factis, prodigiis, portentis fallacibus, omnibusque fraudibus impiis in-*

structus erit inter homines, qui in suam ruunt perniciem, vel arctius cohaerere vocibus proxime antecedd. *τῆς ἀδικίας* h. s. *fraudibus impiis, quae patrantur inter homines miseros* (vd. Krause, Rosenmüller, Heydenreich p. 48.), nisi malueris, quod mihi quidem totius effati nexum et consilium probe consideranti praeplacet, cum Bensono interpretari: *fraudibus, quae inserviunt improbitati*, adiuvant improbitatem (cfr. supra observv. de *ἀπάτῃ ἀδικ.*), *quae obtinet inter homines miseros.* Quanquam vero scriptura vulg. per se spectata nihil habet offensionis, expungendam tamen cum Lachmanno censuimus voculam *ἐν* ante *τοῖς ἀπολλ.* auctoritate *codd.* quorundam, praesertim Alexandr. Claremont. Augiensis Boerner. itemque *verss.* Vulg. Aethiop. Sahid. Origenis, Iren. Tertull. Ambros. et aliorum. Adiectam quippe existimamus, quo expeditior fieret totius loci constructio, ex verbis antecc. Bene se habet *τοῖς ἀπολλ.* dativus, quem vocant, incommodi ex verbis *οὗ ἐστιν ἡ παρουσία ἐν πάσῃ δυνάμει — τῆς ἀδικίας* coniunctis pendens: *cuius adventus instructus erit varii generis potenter factis — omnibusque fraudibus improbitatem adiuvantibus, in usum eorum,* s., *quod attinet ad eos, qui in suam ipsi ruunt perniciem.* Cfr. de hoc usu dativi Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 171. sq.* Explicatio seqditur uberior: *ἀνθ' ὧν* etc. *propterea quod (Luc. 1, 20. 19, 44. Actt. 12, 23.* Lamb. Bos *ellipses gr. ed.* Schaefer. p. 410.) *amorem veritatis haud amplexi sunt (ἐδέξαντο* vd. *I. Thess. 1, 6.) quo salvi praestarentur* (de *σώζεσθαι I. Thess. 2, 16.*). Si sensum spectaveris primarium, negari non potest, illud *οὐκ ἐδέξ. τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας* idem signif. q. *οὐκ ἠγάπησαν τὴν ἀλήθειαν*, s. noluerunt fidem habere veritati (v. 12.), per Christum potissimum patefactae et illustratae (sic *ἀλήθεια Romm. 2, 8. Gal. 5, 7. al.*). Sed usus huius formulae *amplioris οὐκ ἐδέξαντο* etc., nisi omnia me fallunt, hanc *involvit* sententiam, *illum veritatis divinae amorem magnopere iis fuisse commendatum*, quo saluti eorum consuleretur, sermonibus Christi eiusque legatorum. Cui voci divinae quum obsequi prorsus noluerint (*ἀλήθειαν* repudiantes), eveniet iis,

Deo volente (ut v. 11. docetur, ubi πέμπει illis οὐκ ἐδέξ. accurate respondet), ut loco huius amoris τῆς ἀληθ. frustra commendati mendacii fraudisque amor mentes eorum totas impleat. Quo minus cum nonnullis ἀγάπην τῆς ἀληθ. vertamus: amorem sincerum, v. 12. impedit, ubi ἀλήθεια haud dubie de doctrina veritatis adhibetur. Servatorem vero ipsum, ex usu librorum sacrorum, dici potuisse τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθ. Chrysostomus et Theophyl. nemini probaverunt.

Subsistit Paulus in ea sententia, quam membrum posterius v. 10. innuerat, illam hominis τῆς ἁμαρτίας efficientiam fraudulentam poenam fore divinam eorum hominum, qui veritatem amplecti noluerint.

V. 11. 12. (*Καὶ*) *διὰ τοῦτο πέμπει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει·* (v. 12.) *ἵνα κριθῶσιν πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ.*

V. 11. Vix est, quod moneamus, διὰ τοῦτο ad illa respicere (v. 10.) ἀνθ' ὧν τὴν ἀγ. τῆς ἀλ. οὐκ ἐδέξαντο. Quod ante διὰ in omnibus codd. (exceptis *Claremont.* et 67. apud Griesb.) legitur, sed in pluribus verss. vett. (Vulg. Arab. polygl. Syr. Aeth. Copt.) itemque apud Chrysost. Cyrill. Oecumen. Pelag. desideratur, καὶ, suspectum habemus, ex antecedentibus facile illatum, ubi haec vocula saepius iteratur v. 8. 9. 10. *Διὰ τοῦτο* scriptori nostro sollenne est ab initio periodi, non item καὶ διὰ τοῦτο, *Romm. 1, 26. 5, 12. 13, 6. I. Corr. 4, 17. 11, 10. 30. II. Corr. 4, 1. 7, 13. 13, 10. Ephh. 1, 15. 5, 17. 6, 13. Coloss. 1, 9. I. Thess. 2, 13. 3, 5. 7.* Pro vulgari πέμψει, quod vel correctionem vel interpretationem redolet librariorum ex futuris v. 8. oriundam, non dubitavimus cum Lachm. edere πέμπει (probatum Millio prolegg. in N. T. §. 693.), auctoritate paucorum quidem sed praestantiorum codd. familiae alex. et occid. cui Origenis aliorumque patrum vett. effata (vd. Griesb.) consentiunt. Cfr. quae de eodem usu praesentis ἐστὶν ad v. 9. monuimus. Complectitur Apostolus, quae v. 9. 10. δύναμιν πάσην, σημεῖα καὶ τέρ. ψεύδους, ἀπάτην τῆς ἀδ. appellaverat, hac formula breviori ἐνέργειαν πλάνης. Subst. πλάνη, de cuius significatione

duplici ad *I. Thess. 2, 3.* vidimus, h. l. utramque admittit. Quodsi cum Seb. Schmidtio aliisque de *errore* acceperis, *quo quis se ipse decipiat*, aut *se decipi patiatur*, in promtu est, ad homines pertinere, illi *ἀνθρώπῳ τῆς ἁμ.* aures obsequiosas praebituros (*τοὺς ἀπολλουμένους* v. 10.): *propterea Deus immittet iis efficacitatem* (*τοῦ ἀνόμου*), *quae errores pessimos* (in mentibus *τῶν ἀπολλ.*) *gignat et promoveat.* Id ipsum vero enuntiatur vbb. seqq. *εἰς τὸ* etc., ita ut *πλάνη*, sic intellectum, fere otiosum appareat. Sin de *fraude* intellexeris, quam quis consulto alteri facit, ad ipsum pertinet hominem *τῆς ἁμαρτίας*, sive vertamus: *fraudes efficacissimas, speciosissimas* (cfr. Oecumenius: *πλάνην ἐνεργον καὶ πλανῆσαι ἰσχύουσαν*, Koppe, Pelt, alii), sive, quod malim, quo accuratius formulis *τέρασι ψεύδους* et *ἀπάτῃ τῆς ἀδικ.* v. 9. 10. explicatis respondeat: *efficacitatem* (*ἀνόμου*) *fraudulentiam*, s. *quae spectet ad alios decipiendos.* Sic Theophyl. *τὰ ἔργα, ἃ ποιεῖ εἰς τὸ πλανῆσαι.* Ne quis in eo offendat, quod Apostolus h. l. de Deo dixerit: *immittet iis* (quod vb. simil. de poena divinitus irroganda *Apocal. 14, 15. 18.*) efficacitatem *τοῦ ἀνόμου*, quae improbitatem adiuvet, perpendamus necesse est, *a)* sermonem esse de eiusmodi hominibus, qui doctrinam salutarem divinitus oblatam pertinaciter repudiaverint v. 10. et ipsi perversitate sua illum hominem *τῆς ἁμαρτ.* veluti provocaverint, ut palam prodiret (v. 7. *τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται*), *b)* in sermone librorum V. T., qui ad elocutionem Apostolorum conformandam haud parum valuerit, haud raro, quae Deum sapienter *permittere* dicamus, eiusmodi formulis enuntiari, quae Deum hanc perversitatem summam immittentem s. *efficientem* (animos hominum, qui cohortationi div. obsequium denegaverint, veluti prorsus occaecantem et obfirmantem) describant. *Exod. 4, 21. Jes. 6, 9. 10. 29, 10. Romm. 1, 24. I. Petri 2, 8.* Cfr. Benson ad h. l. et Storr *observv. ad analogiam et syntaxin hebr. p. 25. sqq.* Similiter in oratione fatidica Simeonis *Luc. 2, 34. sq.* de Messia dicitur, eum, auctore Deo, veluti lapidem fore, quo alii quidem Israelitarum resurgant (emendentur et salutis participes fiant) alii vero *cadant*, i. e. ex quo multi occasionem sumant, veritate div. per-

tinaciter spernenda miseriam sibi contrahendi, *quo mentis multorum cogitata patefiant*, quo apertius dignoscantur probi ab improbis, et palam fiat, quam nefandus sit, quam miserum hominem reddat veritatis div. contemtus, opportunitate externa hunc animi sensum perversum factis turpissimis declarandi suppeditata. Inter veteres hoc bene senserunt Theophyl. Theodor. Cyrillus Hieros. explicantes *παραχωρήσει αὐτὸν ἐλθεῖν* s. *συγχωρήσει φανῆναι τὴν πλάνην*. Quanquam Apostolus haud dubie data opera, homines illos, veritati inimicos, poena gravissima dignos declaraturus, formulam duriorem maluit usurpare, quam mitiorem, eademque de causa addidit *εἰς τὸ πιστεῦσαι* etc. ubi *εἰς τὸ*, quum illi *πέμπει* propius cohaereat, non meram sequelam, sed *consilium* indicat, quo Deus hominem ἁμαρτ. haud impedire constituerit, quo minus suo tempore palam prodeat: *quo fidem habeant* (quum veritatem diligere noluerint) *mendaciis*, doctrinae vanae illius *ἀνόμου*. De verbis v. 12. *ἵνα κριθῶσι* etc. ambigi potest, utrum ex initio v. 11. an ex vbb. postremis *εἰς τὸ πιστεῦσαι* etc. pendeant. Priori quidem ratione probata, *ἵνα* parum commode de consilio intelligitur, quum profecto, etsi concessis, quae ad v. 11. de vbb. *εἰς τὸ* monuimus, hoc tamen: immittet iis Deus efficacitatem fraudulentam *eo consilio*, *ut condemnentur*, miseri fiant etc., persuasioni Christianae de summo Dei sancti amore (laudasse sufficiat *I. Timoth 2, 4.*) prorsus adversetur. Immo ἐκβατικῶς ponitur: *quo fiet*, *ut*, cfr. quae de *ἵνα* ad *I. Thess. 5, 4.* observv. Facilius licebat accipere τελικῶς, si haec ad membrum posterius v. 11. retuleris, ut illi dicantur *τῷ ψεύδει πιστεύειν*, veluti id maxime agentes, ut miseri fiant. *Κρίνειν* h. l. vim habet compositi *κατακρίνειν*, sententiam ferre condemnatoriam, et, quod adiunctum est, poenam irrogare, *Jo. ev. 3, 17. sq. Actt. 13, 27 I. Corr. 11, 31. sq.* Infertur potius orationi contextae, quam interpretando facile eruitur, quod Theophyl. (ad h. l. et v. 10.) verbo *κριθῶσι* inesse existimat: propterea, *ut poena dignissimi*, *iuste condemnandi appareant*, quippe qui huic *ἀνόμῳ*, fraudulento, Christi adversario Deum se gerenti fidem habuerint, Christum vero, legatum et filium Dei, mira-

cula vera edentem, hoc praetextu usi, quod ille Deum se gereret, repudiaverint. Immo simpliciter hoc doceri: quo fiet, ut condemnentur, poenam incurrant die iudicii, patet insuper ex opposito v. 13. εἵλετο ὑμᾶς ὁ θεὸς εἰς σωτηρίαν. Quae condemnatio quam iusta sit futura, haec declarant μὴ πιστεύσαντες etc. De antithesi τῆς ἀληθείας et ἀδικίας ad v. 10. vidd. Vb. εὐδοκεῖν, de cuius potestate cfr. ad *I. Thess. 2*, 8. obs., cum ἐν τινι eodem sensu: in aliquo acquiescere, eo delectari, coniungitur *I. Corr. 10, 5. II. Corr. 12, 10.* Quanquam profani Graeciae scriptores etiam dixerunt εὐδοκεῖν τινὶ (alicui consentire, rem hominemve probare), exempla tamen huius formulae in N. F. desideramus, neque negari potest, scriptoribus sacris propter ipsum usum hebr. חָפֵץ et רָצָה seq. בְּ illam struendi rationem εὐδοκεῖν ἐν τινι magis fuisse in promtu positam. Proinde scripturam vulg. postponere nolui lectioni breviori aliquot codicum, praestantiorum quidem, versionumque Vulg. antiquae It. Sahid., quam insuper patres quidam aliquoties exhibent, εὐδοκήσαντες τῇ ἀδικίᾳ.

Absoluta commatum singulorum huius totius sectionis v. 1—12. explicatione sequitur, ut quaestioni varie multumque agitatae, quae tempora et eventa haec Apostoli prophetia adumbraverit, quantum fieri possit, satisfaciamus. Insignem vero sententiarum diversitatem quo brevius et rectius examinemus, ante omnia paucis leges constituendae sunt, quae veram totius vaticinii interpretationem definiant. *1) Quae Cap. II. dicitur παρουσία sive ἡμέρα τοῦ κυρίου, cuius propinquitatis summae documento certo inservitura sit apparitio hominis* τῆς ἁμαρτίας, *parum recte de tempore eversionis Hierosolymarum intelligitur.* Docuimus supra ad v. 1. sermonem esse de eadem Domini παρουσίᾳ ad iudicium extremum, quam oratio Pauli C. I. v. 7—12. nuntiaverat. *2) Quaecunque de homine* τῆς ἁμαρτίας *dicuntur, personam nepingunt,* nec argumenta apparent idonea, quibus evincatur, Apostolum vel multitudinem quandam hominum, vel ideam tantum (v. c. impietatem ipsam, atheismum) personae forma indutam in mente habuisse. Concedimus quidem articulum ὁ

haud raro numero singulari nominis appellativi ita praefigi, ut cogitatio ab individuo ad totum genus transferatur s. ita ut *obiectum* nomine appellativo indicatum *simpliciter* (sive individuum intellexeris, sive complexum individuorum eiusdem generis) *tanquam obiectum existens* cogitetur, v. c. *Matth. 12, 35.* ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος, ὁ πονηρὸς ἄνθρ. *Matth. 15, 11.* τὸν ἄνθρ. *Luc. 10, 7.* ὁ ἐργάτης etc. Attamen haec multum differunt ab ea, quae h. l. exhibetur, hominis τῆς ἁμαρτίας descriptione. Effata quippe modo laudata, et, quaecunque eiusdem sunt indolis, ita se habent, ut facile quisque videat ex tota et sententiae et orationis conformatione, non unum certum, sed quodvis intelligi individuum, quod hoc genere s. hac specie *satis cognita* comprehendatur. Verum, quae apud nostrum obveniunt: (v. 3.) ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, (v. 4.) ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος etc. (v. 8.) ὁ ἄνομος (ubi maxime observandus est usus *constans* et numeri singularis et articuli) non possunt de multitudine quadam hominum explicari (ita ut vertatur: *quivis* homo vitiositati addictus et perditus, *quicunque* se efferre voluerit supra omne, quod Deus vocatur, et in templo Dei sedere etc.), nisi sumas, Apostolum admodum obscure et ambigue esse loquutum, eumque, quum de pluribus multisve cogitaret, formulas usurpavisse, quae unum potius individuum perspicue adumbrarent. *Genus* quippe hominum, lectoribus epistolae cognitum, cui eiusmodi atrox religionis contemtus, qualem verba v. 4. describunt, recte vindicari posset, tum temporis nondum prodierat. Ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας et υἱὸς τῆς ἀπωλείας (non simpliciter ὁ ἄνθρ. πονηρὸς) nuntiatur proditurus, quo pateat, talem intelligi, qui *prae ceteris* sit peccator, perditissimus. Cfr. ad v. 3. observv. Accedit, quod hic ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτ. a cogitatione *abstracta* τῆς ἀποστασίας v. 3. distinguitur, itemque v. 7. a μυστηρίῳ τῆς ἀνομίας, ab impietate et defectione, quae illo tempore veluti in occulto iam gliscebat, donec palam esset proditura et ad summum fastigium perventura *in illo* ἀνόμῳ. Praeterea, ut vaticinationem Apostoli ad personam (individuum) pertinuisse existimemus, comparatio suadet locorum, quae su-

pra ad v. 4. attulimus, *Daniel. 11, 36. sqq. 7, 25. 8, 11. 25.* ubi de Antiocho Epiphane sermo est. Qui contrarium defendunt, in auxilium quidem vocare solent consuetudinem sermonis prophetici, multitudinem quandam (v. c. regnum, gentemve) s. notionem universam sub imagine *vel rei vel personae singularis* exhibendi, *Daniel. c. 7. Zachar. 5, 7. 8. Apocal. 12, 1. sqq. 13, 11. sqq. 17, 1. sqq.* Perpendamus vero, locis laudd. *visiones* enarrari, earumque indolem hoc secum ferre (quod verissime monuit Heydenreich: *neues theol. Journal von Winer und Engelhardt 8. B. p. 287.*), ut obiectum mente cogitatum tanquam res individua appareat. Effata *Jes. 14, 15. sqq. Ezech. 32, 2. sqq. 21. sqq.* propterea huc non pertinent, quod, etsi concesseris, reges Babyloniae atque Aegypti locis laudd. simul inserviisse symbolis totius civitatis, tamen in promtu est, de ipsis potissimum regibus enuntiari, quae eventura dicantur. Apostolus neque visionem exhibet, neque τῷ ἀνθρώπῳ τῆς ἁμαρτίας eiusmodi *praedicata* tribuit, quibus vestigium sermonis tropici aut allegorici inhaereat, quanquam oratio universe spectata parallelismum quendam habet poëticum, et versu potissimum 8. ad sublimitatem assurgit. Provocarunt item (cfr. Pelt in comment. p. 185.) ad illum, quem Joannes epist. I. c. 2, v. 18. 22. 4, 3. II. ep. v. 7. brevi proditurum dicit ἀντίχριστον, existimantes quippe, Joannem ipsum, quum locis laudd. etiam ἀντιχρίστους πολλοὺς commemoraret, doctores notaturus vanos hominesque sectarios de persona Christi parum recte iudicantes, vim nominis singularis ἀντίχριστος de *multitudine* quadam interpretatum esse. Concedimus, Anti-Christum Joannem re ipsa non differre ab homine ἁμαρτίας Paulino. Verum, quae maxime urgent, verba *Jo. ep. I. 2, 18.* καθὼς ἠκούσατε, ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν, minime prohibent, quo minus Joannes de *uno* prae ceteris omnibus Jesu Christo efficacitatem suam perniciosam opposituro cogitasse, illosque doctores vanos tanquam adiutores et nuntios huius adversarii Christi acerrimi mox prodituri verbis: καὶ νῦν ἀντίχρ. πολλοὶ γεγ. graviter notavisse existimetur. Cfr. Heydenreich l. l. p. 289. Inter Judaeos, non seriores tantum,

sed etiam, qui tempore Christi vivebant (quippe qui Danielis vaticinia legerant, eorumque usum faciebant multiplicem in Christologia), divulgata fuit opinio, fore, ut paulo ante sollennem Messiae apparitionem adversarius Messiae prodeat, daemon quidam malus corpore humano indutus, se ipsum venditans *Χριστὸν*, ad idololatriam homines seducens et sermonibus vanis et miraculis fraudulentis, per Messiam verum superandus et interficiendus. Cui exspectationi nutriendae opportunitatem praebuisse videtur interpretatio serior et vaticinationis *Danielis* de Antiocho Epiphane, et oraculorum *Ezechielis* c. 38. 39. de clade futura Gogi, qui l. l. tanquam princeps gentium barbararum depingitur, Israelitas post tempora exilii adoriturus. Cfr. Schoettgen. *horae hebrr. T. II. p. 509. sqq.* Meuschenii *N. T. ex Talmude illustr. p. 29.* Schmidt *Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. Vol. I. p. 25. sq.* Bertholdt *Christologia Judaeorum Jesu Apostolorumque aetate, Erlang. 1811. p. 69.* De Wette *biblische Dogmatik (Berlin, 1813.) p. 175. sq.* M. Schneckenburger *Beiträge zur Einleitung in d. N. T. u. z. Erklärung seiner schwierigen Stellen, Stuttgart, 1832. p. 226. sqq.* Neque est, quod dubitemus, hanc Anti-Christi imaginem etiam ad Judaeo-Christianos aevo Apostolico viventes, ab his ad Ethnico-Christianos transiisse. Proinde, quae Apostolus, numerum quidem singularem constanter adhibens, de homine *ἁμαρτίας* dicebat, a lectoribus huius epistolae notioni *Judaicae τοῦ ἀνιχρίστου* (individui) adsuefactis non poterant nisi de persona certa intelligi. Quodsi Paulus vel aliquod hominum genus, vel impietatem summam universe intelligi volebat, cavere omnino debebat, ne lectores ipsius verba de individuo proprie dicto interpretarentur, vel aliis formulis usurpandis, vel addendis, quae animos lectorum ab individuo ad genus aperte traducerent. Denique monuerunt (cfr. Pelt p. 189. sq.), quum Paulus in epistolis seriori tempore ad Timotheum datis (*I. Tim. 4, 1. sqq. II. Tim. 3, 1. sqq.*) numero quidem plurali usus nuntiaverit, posthac diebus extremis prodituros esse homines pessime depravatos, voluptatum amantiores quam Dei, vanosque doctores, quibus multi aures sint praebituri, ita ut a persua-

sione vera deficiant, de eodem hominum *genere* interpretandum esse vaticinium in ep. nostra de homine τῆς ἁμαρτίας exhibitum, neque intelligi, quid fuerit, quod Apostolus, si de ἀντιχρίστῳ tanquam individuo cogitasset, in epp. ad Timotheum de uno illo religionis verae adversario insigni ne verbulum quidem adderet. Verum enimvero litterarum Timotheo scriptarum non prorsus idem fuit consilium, quod Paulus, quum Thessalonicenses de homine τῆς ἁμαρτ. edoceret, consequi voluit. Timotheum quippe cohortaturus erat, ut, muneris sui auctoritate recte usurpanda, doctoribus illis vanis et ad Judaismum proclivioribus et omnino placita perversa et quaestiones parum utiles propagaturis fortiter repugnaret. Patetque ex *I. Tim. 4, 3. 8. II. Tim. 3, 5.* (ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας) h. l. minime eandem describi impietatem summam, quae in ep. II. ad *Thess.* homini τῆς ἁμαρτ. tribuatur, supra omne quod Deus vocatur aut religiose colendum sese elaturo, sed eiusmodi perversitatem, quae *speciem capiat* pietatis erga Deum alios decipientem, ita ut haec tota descriptio multo potius conveniat τῷ μυστηρίῳ τῆς ἀνομίας *II. Thess. 2, 7.* quam homini τῆς ἁμαρτίας. Non habebat Apostolus, quod in litteris pastoralibus doctrinae de illo ἀντιχρίστῳ Timotheo satis cognitae mentionem separatim iniiceret. Animos vero Thessalonicensium, ne παρουσίαν Domini proxime iam instare existimarent, eamque singulis fere mensibus immo diebus vel anxie exspectarent vel cupidius expeterent, ad eiusmodi rem eventuram plane insignem, nondum praesentem, quae adventum Domini praecessura esset (apparitionem τοῦ ἀντιχρίστου) convertere voluit. Quanquam Christus in iis quidem sermonibus, quos evangelistae memoriae prodiderunt, nihil unquam de *uno* quodam insigni ipsius adversario olim prodituro enuntiavit, sed universe tantum discipulos cohortatus est, ut sibi probe caverent a ψευδοπροφήταις et ψευδοχρίστοις olim futuris *(Matth. 24, 24. Marc. 13, 22.)*, in mente tamen Apostoli ex illa τῶν ψευδοχρίστων cogitatione eo facilius enasci potuit imago *unius* potissimum hominis τῆς ἁμαρτίας, quo magis inter Judaeos post Danielis tempora plausum nacta fuerat exspectatio Anti-Christi. Quid inde sequatur, si Paulum

personam (individuum) in mente habuisse concessum fuerit, posthac videbimus. *3) Intellexit Apostolus, quum de homine ἁμαρτίας loqueretur, haud dubie aliquid* (sive rem dixeris sive personam) *quod iam existeret quidem, sed posthac demum efficacitatem suam palam esset proditurum*, remoto illo, qui etiamnum vim eius perniciosam cohiberet. Cfr. ad v. 6. 7. observata. *4) Ex sententia Pauli apparitio hominis τῆς ἁμαρτίας proxime antecedet παρουσίαν Domini.* Cfr. v. 3. 8. Unde patet, vaticinium Apostoli parum recte ad eiusmodi adversarium Christi (sive multitudinem quandam cogitaveris sive individuum) referri, cuius apparitio ab ipsa Domini *παρουσία* magno distet temporum intervallo. Quodsi has quatuor interpretandi leges tenuerimus, facilis erit sententiarum diversissimarum de homine ἁμαρτίας et de *κατέχοντι αὐτὸν* diiudicatio.

Duo quippe primaria apparent interpretum huius vaticinii genera, *A) qui hominem ἁμαρτίας iam prodiisse, suasque partes gessisse contendunt brevi ante excidium Hierosolymarum, B) qui apparitionem hominis ἁμαρτ. coniungere malunt cum adventu Christi ultimo ad iudicium extremum futuro.*

Prioris quidem *generis* interpretes differunt, prouti *a)* vel *individuum* intelligunt, vel *b) aliquod hominum genus.* De *individuo* cogitavit Grotius ad h. l. sub homine ἁμαρτ. v. 3. 4. Imperatorem intelligens *Caium Caligulam*, cuius nequitia summa et impietas *ἀποστασία* dicatur, sub *ἀνόμῳ* v. 8. 9. *Simonem Magum* (qui impostor, imperio Claudii Caesaris ineunte, miraculis fraudulentis homines decepisse, Romae Deus habitus esse, et Gnosticorum princeps fuisse narrabatur, vd. *Euseb. hist. eccles. l. 2. c. 13.*), sub *τῷ κατέχοντι Vitellium*, Syriae et Judaeae Procuratorem, Judaeis faventem, post cuius discessum demum ex Judaea ingenium suum Caligula prorsus patefecerit. Quae coniectura iam pridem verissime repudiata est, quum neque rationibus temporum conveniat (diem quippe obiit Caius Caligula anno post C. N. 41., epistolas vero ad Thessall. serius exaratas esse vidimus in prolegg. §. 3. 4.), nec simplicitatis laudem habeat,

pro lubitu divellens, quae v. 8. 9. et v. 3. 4. ita dicuntur, ut ex ipsius Apostoli sententia haud dubie unum eundemque innuant. Simil. Wettstenius ad h. l. Imperatorem *Titum* Apostolo ante oculos obversatum existimat, ad testimonium provocans *Josephi de bello Jud. l. 6. c. 6. §. 1.* perhibentis, Romanos, conflagrante templo Judaico, statuas Deorum in templum introduxisse, victimas ibi obtulisse, Titumque inter acclamationes faustas Imperatorem designasse.• Docet insuper, verba Pauli v. 7. *τὸ γὰρ μυστήριον* etc. eo referri posse, quod Titus, imperante Caio, in spem venerit imperii futuri, testante *Suetonio in vita Titi c. 4.*, et sub *κατέχοντι Neronem* intelligi, illo tempore iam adoptatum, quo mortuo demum de summa rerum potestate ad Titum deferenda cogitari potuerit. Verum, quae teste Josepho l. l. facta sunt, minime docent, Titum fuisse talem, qualem Apost. *ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτ.* describit, qui proterve sperneret, *quodcunque* sanctum haberetur, et se ipse gereret Deum. Parum apte Nero, princeps pessimus, Christianorum persecutor crudelis *(Tacitus Ann. l. 15. c. 44. Sueton. vita Ner. c. 16.)*, tanquam *ὁ κατέχων τὴν ἀνομίαν Tito*, principi virtutibus multis insigni (*ἀνθρώπῳ τῆς ἁμαρτ.* haud dubie denegandis) opponeretur. — De *multitudine* quadam cogitat Hammondus in *N. T. cum paraphrasi et adnotatt.* (ex ed. Clerici p. 371.) *Gnosticos* intelligens eorumque principem Simonem Magum, et *τὸ κατέχον* de pace explicans, quam Christiani aliquamdiu cum Judaeis coluerint, siquidem Gnostici non prius, quam Christiani a Judaeis prorsus secessissent, opportunitatem nacti fuerint, Christo addictos in suas partes trahendi, suamque veram mentem prorsus patefaciendi. Neque Gnostici *universe* dici poterant adversarii Christi (qualis ille homo *ἁμαρτίας* futurus dic.) neque argumentis historicis probavit Hammondus, quaecunque de Simone Mago et Gnosticis tanquam indubitata posuit. Cfr. Clericus ad Hammondi N. T. Clericus ipse *ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτ.* symbolum esse voluit *Judaeorum contra Romanos seditionem moventium*, praesertim Simonem innuens Giorae filium (de quo *Josephus* de b. Jud. l. 2. sub fin.) qui, collectis sensim sensimque latronibus, conculcata procerum

gens Judaeae auctoritate, in ipsa urbe Hierosolymarum divina omnia et humana iura violaverit. Sub *κατέχοντι* intelligit partim reverentiam procerum Judd. qui bellum Romanis inferendum prudenter dissuaderent, partim metum exercitus Romani, Judaeos ad seditionem proclives aliquamdiu coërcentem. Quae sententia quanquam haud dubie coniecturis aliorum multorum interprr., qui locum Paulinum ex historia aevi apostolici illustrare studuerunt, praeferenda est, suis tamen premitur difficultatibus. Judaeos quippe rebelles, etsi Zelotae templum vario modo profanaverint (Josepho testante), ipsius tamen Dei Deorumve sedem et auctoritatem sibi vindicasse nec apud Josephum nec alibi legimus. De verbis Pauli *ἀποστασία* (v. 3.) et *πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα* (v. 4.) supra in comment. vidimus, neque illud in hac orationis serie defectionem Judaeorum innuere, neque haec de regibus et magistratibus intelligi posse. Porro nemo facile dixerit, qua de causa Apostolus animos *Thessalonicensium*, qui extra Palaestinam viverent, maximam partem Ethnico-Christiani, ad illam Judaeorum seditionem futuram eiusque eventum converterit, eamque rem symbolis involvendam putaverit. Cfr. Pelt p. 196. Koppe exc. II. p. 458. Denique initia turbarum, quas Judaei contra Romanos excitarunt, eo tempore quo Paulus has epistolas exaravit proxime iam instabant, dudum praeparata iis quae adhuc acciderant, praesertim studiis Judaeorum Messiam terrestrem, libertatis Judaeorum externae auctorem, cupide exspectantium. Quodsi Apostolus, quum hominem *ἁμαρτίας* prodituram nuntiaret, de Judaeis rebellibus cogitabat, etiamnum *latere* illum dicere vix potuit. Cfr. Storr comment. laud. p. 85. Heydenreich p. 22. sqq. Eandem, quam Clericus, sententiam primariam tenuit Schoettgen. in *horis hebrr.* ad h. l. *Pharisaeos* potissimum intelligens qui Judaeos ad defectionem a Romanis maxime instigaverint (sub *κατέχοντι* vero preces pias Christianorum, quatenus hoc effecerint, ut res aliquamdiu differretur). Inter recentiores eundem tramitem ingressi sunt Doederlein *instit. theol. Chr. Vol. II. p. 269.* Eckermann *theol. Beiträge 2. B. 1. St. p. 194. sqq.* Noesselt *opusce. fascic. II. p. 286. sqq.* (qui *τὸν κατέχοντα*

de *Claudio* Caesare explicat, quo exstincto demum sub Nerone inveteratum Judaeorum erga Romanos odium palam emerserit) Jahn comment. *Erklärung der Weissagungen Jesu etc.* apud *Bengelium:* Archiv für die Theologie etc. 2. B. 2. St. (1817.) p. 376. sqq. Usteri *Entwickelung des Paulin. Lehrbeyriffs ed. III. p. 201. sq. His omnibus vero, quos littera A) complectimur, interpretibus praeter argumenta coniecturis singulorum opposita obstat, quam supra commendavimus, regula (1.) huius vaticinii explicandi, quae vetat, ne Apostolus sub παρουσίᾳ Domini excidium Hierosolymarum intellexisse existimetur.*

B) Qui *genere posteriori* comprehenduntur, in partes diversas ita discedunt, ut *a) alii τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτ. ex historia* illustrent *rerum gestarum,* praesertim *ecclesiasticarum, quae vel medio aevo vel recentius apparuerint, b) alii etiamnum tempore incognito instare* contendant, quod Paulus de hoo adversario Christi enuntiaverit. Utrique in eo consentiunt, quod *παρουσίαν* recte de adventu Domini ad iudicium extremum interpretantur. Quod *prius (a)* attinet, mirum videri non potest, quod, qui vaticinium apostol. de homine *τῆς ἁμαρτ.* ad *Pontificem Romanum* s. *imperium Papale totamque episcoporum Romanorum seriem continuam* sive ad *totam ecclesiam Romano-Catholicam* referrent, haud pauci exstiterint, cum ante emendationem sacrorum (v. c. Jo. Huss in *sermonibus de Antichristo* serm. I. de *II. Thess. 2, 1—12.)* tum maxime inde ab aetate sacrorum emend. Cfr. *articuli Smalcaldd. art. 4. de papatu.* Calixtus, Turretinus, Michaelis in commentt. ad h. l. Benson *Abhandl. über den Menschen der Sünde in der paraphrast. Erklärung und Anmerkk. über einige Bücher des N. T. Vol. I. p. 235. sqq.* Th. Newton *über die merkwürdig erfüllten Weissagungen* T. II. Bengelii *Gnomon p. 985. sqq.* Quemadmodum nemo unquam negaturus est, qui indolem doctrinae evangelicae recte perceperit, haud pauca ex iis dogmatibus et institutis, quae ecclesia Romano-Catholica praeeuntibus Paparum decretis acriter tueatur, evangelio contradicere, veritatem divinam placitis hominum pervertere arbitrariis, superstitionem, quae fere eth-

nica dici possit (si modo de cultu Mariae, Angelorum Sanctorumque, de indulgentiis, de adoratione hostiae cogitaveris) ipsi virtuti perniciosam propagare; ita etiam facile largietur, professionem ac defensionem eiusmodi institutionis atque doctrinae parum evangelicae merito dici ἀποστασίαν, praesertim quum Pontifices Romani, quaecunque Christianis sua (vicariorum quippe Christi) auctoritate credenda praeceperint, nunquam explorari velint secundum normam scripturae sacrae recte intellectae. Prodierunt inter episcopos Romanos, quorum vita, quovis scatens flagitiorum genere, veluti vivum exhiberet ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας. Prodierunt, qui dominandi cupiditatem effrenatam dictis factisque ostenderent, principes constituerent ac deturbarent, populorum iura violarent, ipsius naturae vincula sancta pro lubitu solverent. Et, quanquam non defuerunt Pontifices indolis melioris, qui, si quid facerent aut instituerent reprehensione dignum, non malam voluntatis indolem, sed opinionum et ipsis et saeculo semel probatarum perversitatem sequerentur, omnes tamen recte dicuntur *auctoritatem sibi vindicasse humana maiorem*, quum in dogmatibus ritibusque praescribendis homines sese gererent cuiusque erroris expertes, peccatorum omnium poenas non civiles tantum sed aeternas remitterent, nec dubitarent, ut proposito satisfacerent, votum vel iuramentum Deo praestitum pronuntiare irritum. Quid? quod in ecclesia illa licitum existimatum est, ut Papa Romanus *Deus* Dominus appellaretur? Abstinemus exemplis eorum, quae breviter innuimus, luculentissimis apud Bensonium l. l. et Peltium p. 198. sqq. propositis. Neque cuiquam incognitas esse putamus fraudes innumeras (Satanicas appellare liceat), quae in ecclesia Romano-Catholica et olim inservierint et etiamnum inserviant auctoritati Pontificis eiusque ministrorum sustentandae et amplificandae, hominibusque Christianis aliarum ecclesiarum, quantum fieri posset, in eandem animi servitutem pertrahendis, mendacia varii generis palam commendata, astutiarum blandimenta, miracula falsa. Attamen, si verba singula totius vaticinii Paulini et nexum sermonis accurate consideraveris, plura invenies, quae huic interpretationi nimis conveniant. De voc. ἀποστασία ad v. 3. vidimus, haud

dubie plus intelligi, quam solam doctrinae vere evangelicae depravationem, qualis in ecclesia Romano-Catholica exstiterit. Deinde, etsi appellatio: Deus, ad Papam translata in ipsis glossis approbatis iuris Pontificii ex ed. Gregorii XIII. et alibi obveniat (cfr. Pelt l. l.), edictis tamen nullis *mandaverunt* Pontifices, ut nomine sanctissimo appellarentur. Quaecunque imperarunt et instituerunt, tanquam *nomine Dei* pronuntiata, sacrosancta esse voluerunt. Paulus vero hominem τῆς ἁμαρτίας (quae formula ipsa, indolem animi vitamque *prorsus perditam* describens, non potest ad totam Pontificum Rom. seriem transferri) minime dicit in occulto hoc esse acturum, ut auctoritatem divinae parem sibi vindicet, sed palam, absque ulla dissimulatione (v. 3. ἀποκαλυφθῇ ὁ ἀνθρ. τῆς ἁμ.), se ostensurum ὅτι ἐστὶ θεὸς (v. 4.) immo, si modo sensum verborum v. 4. ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα etc. proprium tenueris, potestatem ipsa divina maiorem iactaturum. Desideramus contra apud Paulum, quod omittere vix potuisset, si de Pontificatu cogitasset Romano, imperium dico civile quod homo peccati adfectaturus esset in principes ac populos terrae (cfr. quae ad v. 4: de voce. σέβασμα recte intelligendis observ.). Denique his interpretibus singularem difficultatem facessit ὁ κατέχων. *Imperium Romanorum* intellig volunt (consulto hac voce tectius indicatum, ne adversariis Christianorum ethnicis offensa praeberetur), quod potestatem episcoporum aliquamdiu finibus certis cohibuerit, praeeuntibus inter veteres Irenaeo *adv. haer. l. 5. c. 25. 29. 30.* Tertulliano *de resurr. carnis c. 24.* Chrysostomo, Theophyl. Oecum. ad v. 6. 7. (quanquam hi interpretes de homine τῆς ἁμ. aliter statuunt). Quo minus vero Apostolum τὸν κατέχοντα, quo remoto illico palam sit proditurus homo peccati, suamque efficacitatem perniciosam manifestaturus, hoc sensu intellexisse arbitremur, impedit, quod interitus imperii, quod proprie dicitur, Romani (occidentalis) a. 476. post C. N. per Odoacrum Herulorum Rugiorumque ducem accidit. Historia docet, seriori demum tempore episcopis Romanis eam obtigisse auctoritatem et potestatem limitibus nullis circumscriptam, quae et civitatibus et ipsi ecclesiae Christianae detrimentum summum pararet.

Quae imperio acciderunt Romano, cum tyrannide Papali minime eiusmodi nexu cohaerebant, qualem Apost. futurum docet remotionem *τοῦ κατέχοντος* inter et *τὸ ἀποκαλύπτεσθαι τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας*. Quum plures ecclesiae nostrae doctores vaticinium Paulinum de ecclesia catholica et Pontificatu Rom. interpretati fuissent, facile patet, unde factum sit, ut Pontificiorum haud pauci, opprobrio retorquendo, *Lutherum* s. omnino *emendatores sacrorum totamque ecclesiam nostram* hominem haberent peccati. Nec defuerunt, qui vel *Muhammedem* adumbrari coniicerent, parum perpendentes, illum neque auctoritatem adfectasse divinae parem, immo prophetam tantum legatumque Dei haberi voluisse, nec potestatem sibi vindicasse miracula edendi (etsi posthac Muhammedis miracula multa a sectatoribus praedicarentur), vel descriptionem Paulinam *historiae recentiori civitatis Francogallorum* parum facile et perspicue accommodarent, sive de illa cogitarent nefanda et insana sacrorum Christianorum abrogatione, quam fanaticismus civilis in Francogallia aliquamdiu tentavisset, sceleribusque multis tempore illo turbulentissimo perpetratis, sive de dominandi cupidine effrenata Napoleonis. *His omnibus littera B. a. comprehensis, praeterquam, quod coniecturae singulorum difficultatibus haud evitandis impediuntur, universe repugnat ex iis, quae supra scriptae sunt, loci Paulini recte interpretandi legibus secunda, tertia, quarta.* Secundam quidem facile patet iis omnibus adversari, qui cogitare noluerint de individuo (persona), sed de imperio quodam saeculorum multorum, de societate magna Christianorum, de populo. Quod tertiam et quartam attinet, neque Pontificatus Romani, nec Muhammedanismi, nec aliorum eventuum aevi recentioris historiae convenit, quod ille *ἄνθρωπος ἁμαρτίας* apud Paulum tanquam existens aevo apostolico sed adhuc in occulto operans describitur (unde v. c. nemo illorum interpretum probare potuit ulla re gesta in monumentis historiae prodita, episcopos Romanos tum temporis, quum Paulus has litteras scriberet, iam adfectasse summam rerum ecclesiasticarum potestatem), et, quod apud eundem Apost. illa (quae nondum evenit) Domini *παρουσία* manifestationem hominis peccati proxime dicitur sub-

sequutura. Diversos tramites inierunt, *qui ἀποκάλυψιν hominis τῆς ἁμαρτίας tempore incognito eventuram expectant (B. b.)*, aliis *notionem*, quam dicimus, *abstractam* substituentibus, aliis *personam* intelligentibus. Prius a Koppio factum, cui homo peccati universe videtur *impietatem* innuere *post obitum Pauli magnopere invalituram.* Adsentitur inter recentiores (quamvis haec Koppii sententia non prorsus nova fuisse videatur, cfr. Augustinus *de civit. Dei l. 20. c. 19.)* praeter alios Pelt p. 204. *principium* intelligens s. *quamvis vim spiritualem evangelio contrariam*, ex ipso ecclesiae Christ. gremio prodituram, quae adhuc in Pontificum Romanorum operibus ac serie luculentissime se prodiderit. Provocat ad historiam aevi apostolici ex Actis App. et litteris Paulinis cognitam, quippe quae doceat, tempore Apostolorum prima certe exstitisse initia malorum, quibus ecclesia posthac contaminata fuerit, proclivitatem Christianorum multorum ad cerimonias cum vera evangelii indole parum consentientes et traditiones arbitrarias (Judaicas), paganismum quendam in Gnosticis maxime conspicuum, pietatis exercitia inutilia, quae corpore durius (contra naturam) tractando constarent, cultum angelorum. De *κατέχοντι* quidem uterque ab altero dissentit. Ex sententia enim Koppii, probata etiam Beyero in comment. supra laud. et Heydenreichio l. l. p. 39. *se ipsum Paulus* appellavit *τὸν κατέχοντα*, qui adhuc muneris sui apostolici, institutionis, exempli auctoritate et efficacitate vim impietatis inter Christianos iam tum erumpere minantis (hominem peccati in occulto iam operantem) cohiberet. Constat quippe, Apostolum subinde de se ipso, tanquam de alio, esse loquutum, *II. Corr. 12, 2. sqq. II. Timoth. 3, 14.* Et, quanquam summam animi modestiam pietati coniunctissimam ubique professus est, nunquam tamen dubitavit, ubi res postulare videretur, quantum per gratiam Domini praestitisset munere Apostoli fide administrando, palam commemorare *(I. Corr. 15, 10. II. Corr. 11, 5. sqq. Gal. 4, 12. Romn. 15, 15. al.)*, nec dissimulavit persuasionem suam verissimam, rebus ipsis a Paulo gestis comprobatam, haud parum valere et institutionis suae et vitae auctoritatem ad homines Christianos ab errorum vitiorumque con-

tagio defendendos. Cfr. praesertim *Philipp. 1, 23 — 25.* ubi aperte profitetur, vitam ipsius longiorem necessariam videri Philippensium causa, et quae presbyteris dixit Ephesinis *Actt. 20, 28 — 30.* de doctoribus falsis et improbis, quos probe nosset, luporum instar gregi haud parcentium, post ipsius obitum palam esse prodituros, unde memoriam sui perpetuo recolendam commendaret. Ceterum modestiam Pauli in eo facile agnoveris, quod et personam usurparet tertiam, et pro masculino ὁ *κατέχων* (notionem personae v. 7. definitius enuntiante, cfr. commentar. ad h. v.) commate 6. poneret minus definitum τὸ *κατέχον*, non sibi soli, quanquam praecipue efficaci, sed etiam aliis (Apostolis potissimum) hoc studium Deo probatum vindicans, impietatem iam emergentem cohibendi. Peltio vero praeplacuit (p. 204.) sub *κατέχοντι*, quod causam attinet principem, ex qua omnia pendent, cum Theodoreto explicante ὅρος τοῦ θεοῦ *voluntatem Dei* (cui, quantum equidem video, parum conveniant vbb. v. 7. *μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται*), quod causas attinet medias, partim, si aevum spectetur apostolicum, *imperium Romanum*, partim, si de quovis saeculo cogitaveris, *quodcunque multi privati commodi et honoris cupiditate ducti opponere solent malis artibus, quae religionem subvertere studeant*, intelligere. Ambigua inde prodit et multiplex τοῦ κατέχοντος interpretatio, quae sententiam ipsius Apostoli cum accommodatione, qua haec sententia ad nostra tempora transferri possit, conjungere videatur. De causa, quare ad potestatem imperii Romani referri nequeat, etsi formulam ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας vel totam vel ex parte de indole ecclesiae Romano-Catholicae et Pontificatus Romani evangelio contraria explicueris, supra vidimus. Aliam viam iniit V. Lücke: Commentar über die Schriften des Johannes, T. III. Bonn, 1825. p. 143. sqq. cui et Anti-Christus Joanneus, et homo peccati Paulinus *principium* innuere videtur *evangelio inimicum, quod extra ecclesiam Christianam versetur*, paganismum Christianos persequuturum et ad fidem deserendam sollicitaturum. Attamen, quum paganismus idolis colendis addictus minime dici potuerit ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, huic sen-

tentiae pariter atque interpretationi Koppio et Peltio probatae verba ipsius Apostoli adversari putaverim. Descriptio quippe Paulina non tam universe exprimit eam cogitandi agendique rationem, quae cum doctrina et disciplina vere Christiana pugnet, quam eiusmodi impietatem, quam prodat, qui religionem omnino contemtui habeat, sibique auctoritatem vindicet divinae parem. Praeterea, quo minus *ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτ.* de paganismo interpretemur, impedit, quod, hac ratione probata, non facile explicatur, quid fuerit, quod tempore Pauli *cohiberet paganismum*, ne statim erumperet in persequutiones Christianorum violentas. Verissime item observ. Heydenreich l. l. p. 292. exiguum fuisse numerum eorum Christi cultorum, qui ad sacra ethnica perducerentur, neque hoc effecisse *σημεῖα* et *τέρατα ψεύδους* (v. 9.) praestigiatorum ethnicorum, sed comminationes, vincula, caedes, quibus pagani singulos perterrefacerent. Facilius omnino conveniunt verba Apostoli sententiae, quam B. Nitzsch in prolus. de revelatione religionis externa eademque publica (Lips. 1808.) p. 223. sqq. exposuit. Manifestationem hominis peccati, qualem Paulus deineaverit, repraesentare docet *auctoritatem publicam*, *quam ex specie sapientiae* (per abusum culturae ad summum perfectionis gradum enixae) *aliquando nacturus sit atheismus, sive contemtus religionis omnis.* Nec mirum videri, quod Apostolus hac de re cogitaverit, quum animadvertisset, in ordine naturali rerum humanarum, praesertim culturae publicae, hoc positum esse, ut mala bonis, bona malis occasionem praebeant, utraque vero sensim et gradatim incrementa capiant, summumque generis humani bonum (i. e. is status generis humani, in quo summa verae religionis ac pietatis praestantia tam manifesta sit, ut a nemine amplius ignorari aut negari possit, omnibus eius adversariis in pudorem coniectis, *παρουσία* s. *ἡμέρα* Domini) exspectari non possit, nisi praegresso summo malo. Ex sententia quippe Nitzschii haec *idea* rationis, defectio futura hominum publica ab omni religione, in sermone Paulino tanquam *individuum* apparet, diciturque homo peccati v. 4. in templo Dei consessurus, quatenus atheismus, ex ipsa ecclesia proditurus, honorem qui religioni verae debetur fallacis-

sima sapientiae specie sibi vindicabit. Sub *κατέχοντι* vero publicam intelligit eamque civilem auctoritatem, qua tum per totum imperium Romanum valuerit superstitio, sive, si mentem Apostoli accuratius secundum historiam illorum temporum definire volueris, Imperium et Imperatorem Romanum. [Similiter Theodoretus, de homine quidem ἁμ. aliter statuens, *τὸ κατέχον* et decretum divinum et *τὴν θεράπειαν τῶν εἰδώλων* significare docuerat.] Quamvis auctoritas religionum falsarum efficerit, ut Christiani infestarentur, illa tamen superstitione ethnica prohibitum est, quo minus contemtui cuiusque religionis existimatio contingeret publica. Profligato demum altero religionis verae adversario, superstitione, alter increscere potest, atheismus. Quanquam huic interpretationi haud parum patrocinatur nexus harum rerum, quem auctor Venerandus egregie declaravit, moralis et psychologicus, non omni ex parte tamen addicere ei putaverim orationem ipsius Apostoli. Videmus quippe Apostolum de homine, quem dicit, peccati ita iudicantem, ut manifestationem illius, simulac *ὁ κατέχων* fuerit remotus, haud longo certe temporum intervallo, eventuram existimet. Cfr. v. 6. 7. 8. Jam vero, quanquam imperium Romanum ante multa saecula destructum est, quanquam illa religionum ethnicarum superstitio, imperio Romano sustentata, ex omnibus terris ac civitatibus, in quibus religio Christiana sedem ac domicilium fixit, pridem evanuit; nondum tamen accidit ea, quam V. Nitzsch per hominem peccati repraesentari voluit, atheismi existimatio publica. Immo, sacris paganismi destructis, mox novum efloruit genus superstitionis, quod animos Christianorum tenuit ad tempora usque emendationis sacrorum. Deinde, si hanc rationem sequamur, necesse est, *σημεῖα* illa et *τέρατα ψεύδους* (v. 9.), quae proprie dicta nequeant hominibus atheismo addictis tribui, sensu quodam allegorico dicta existimes. Denique, quid omnino impediat, quo minus iis interprr. adsentiamur, qui hominem peccati ex mente Apostoli ad notionem abstractam referri voluerint (etsi lubenter largiamur, ad eiusmodi rem egregie *accommodari* posse, quae Paulus de *ἀνθρώπῳ ἁμαρτίας* nuntiaverit), iam supra fatemur professi. Altera pars eorum interpretum, qui manife-

stationem hominis τῆς ἁμαρτίας aliquando, tempore incognito, eventuram intelligunt, de *individuo* cogitat. Quanquam de usu totius effati diversimode iudicant, quum *alii prophetiam divinam inesse concedant, suo tempore eventu comprobandam, alii descriptionem Paulinam vel totam vel ex parte notionibus placitisque tribui velint tempori apostolico probatis, ex Judaismo oriundis, nec perpetuo valituris.* Doctores ecclesiae veteres, unanimi consensu vaticinationem agnoscentes divinam, ἄνθρωπον ἁμ. de persona Anti-Christi interpretati sunt. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus breviter eum definiunt hominem, πᾶσαν τὴν ἐνεργείαν τοῦ Σατανᾶ ἀμπεχόμενον s. ἐν ἑαυτῷ διχόμενον. Oecumenius hominem fore dicit Hebraeum, cuiusvis magiae et veneficii peritum. Inter recentiores Storr dissert. I. p. 33. sqq. (consentiente Flattio) potestatem quandam intelligi docet Deo omnique religioni adversariam, quae penitus incognita nobis et futuro demum tempore se proditura sit, s. aliquem, qui eminebit scelere ac potestate inter desertores religionis Christianae. Τὸ κατέχον vero et τὸν κατέχοντα uterque ad eiusmodi homines refert, qui illis evangelii adversariis adventum hominis ἁμαρτίας praeparantibus fortitudinem suam et pietatem Christianam strenue opponant, praesertim doctores evangelii insigniores. Eandem de sensu, quo Apostolus hominem peccati proditurum nuntiaverit, persuasionem Heydenreich in commentt. laudd. defendit, quanquam negat, ἄνθρωπον ἁμαρτ. Paulinum cum Anti-Christo Joanneo recte conferri (qua de re cur nobis secus videatur, supra ostendimus), atque de eo disceptari posse in utramque partem ipse profitetur, utrum, quod Paulus *unum* maxime malorum moralium antesignanum exhibuit, ad materiam vaticinii sensu litterali eventu comprobandam pertineat, an rectius ingenio Apostoli et exornationi tribuatur, ita ut hoc tantum teneatur tanquam res ante iudicium extremum certo eventura: sub finem dierum acerrima impietatis defectionisque pugna exardebit, quam παρουσία Domini prorsus componet evertenda quavis potestate Deo et Christo inimica. Negaverunt alii, descriptioni Paulinae omnino aliquid inesse, quod animos nostros ad eventa olim futura convertere debeat,

existimantes quippe, Apostolum vel haec omnia accommodate ad opiniones Judaicas disputasse (cuius accommodationis quae causa fuerit necessaria, praesertim apud Thessalonicenses maximam partem Ethnicos? quaeritur), vel secundum suam ipsius persuasionem, oriundam quidem ex placitis de *Ἀντιχρίστῳ* Judaicis, quum facile fieri posset, ut, quae Judaei de rebus *adventum Messiae primum* praecessuris statuerent, Apostolus, magna hominum Christi beneficia repudiantium perversitate multorumque Christi cultorum perfidia graviter perculsus, ad eventa paulo *ante reditum Messiae* futura transferret. Quod posterius praeter alios Bertholdtio probatur: *Einleitung in die Schriften des A. und N. T. Vol. VI. p. 3478. sqq.* Schmidtio in *clavi N. T.* ad h. l. Reichio *comment. vindiciae authentiae posterioris ad Thess. ep.* (Gott. 1829.) p. 19. sqq.

Nos quidem, in hac tanta sententiarum diversitate, lubenter profitemur, de vaticinio Paulino idem valere, quod de aliis eiusmodi effatis librorum sacrorum, *sermonis prophetici* interpretationem prorsus perspicuam, quae omnibus omni ex parte satisfaciat, locum habere non posse, nisi iam apparuerit *eventum* ipsum, quod vaticinio accurate respondeat. Hoc enim secum ferre solet natura et indoles prophetiae, non omnia, quae ad rem futuram pertinent, veluti oculis depingentis, sed nonnulla (praesertim, quae propter ipsam rei indolem ante eventum perspicuitate summa describi nequeunt, vel singularibus de causis adhuc occultari debent) breviter tantum innuentis. Attamen, ut mentem Apostoli, quantum fieri possit, perspicianus, tenenda sunt quatuor illa, de quibus supra exposuimus, interpretandi principia. His praeeuntibus non dubitamus, animo Pauli obversatam esse imaginem vividam *personae*, quam dicere liceat *idealem, unius* potissimum Anti-Christi, auctoris et adiutoris impietatis atrocissimae quodvis sanctum ac divinum spernentis, instructi viribus audaciae Satanicae artibusque vanis, quae decipiendis inserviant multis, prodituri paulo ante reditum Domini ad iudicium extremum, succubituri tandem potentiae Domini divinae. Ex sententia Apostoli inter homines suae aetatis depravatos, pietatis verae expertes, religionem si-

doctores vanos morumque corruptores, de quibus [illegible] effata, ut supra vidimus, graviter conquerun- [illegible] existebat ille (quanquam, *quis* esset? ignorabat), qui [illegible] quidem in occulto operabatur, posthac vero, simula- [illegible] omni deposita, religioni verae efficacitatem suam perni- [illegible] palam erat oppositurus, et talem sese manifestatu- rus, qualis v. 3. 4. 9. 10. describitur. Qualem vero potesta- tem sub *κατέχοντι τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας* intellexerit, difficilius dictu. Permulta habet, quibus commendetur, senten- tia supra exposita eorum, qui veros religionis doctores, prae ceteris Paulum, intelligunt. Obstare tantum videntur vbb. v. 7. donec *ὁ κατέχων ex medio fuerit sublatus*, quum Apostolus, quo tempore litteras dedit ad Thessalonicenses, lubenter acqui- evisse videatur in exspectatione iucunda, ipsum forsitan in vita terrestri superstitem fore Domino redeunte. Cfr. ad *I. Thess. 4, 15.* observ. Coniecturam tamen interponere liceat, illud *ἕως ἐκ μέσου γένηται* forsitan non esse de internecione huius *κατέχοντος* interpretandum, immo de alia re externa (v. c. *captivitate dura*), potestatem saluberrimam, quam *ὁ κατέχων* aliquamdiu *τῷ μυστηρίῳ τῆς ἀνομίας* (v. 7.) oppositurus sit, suo tempore fractura, ita ut homo peccati palam prodire pos- sit, donec Dominus apparuerit. Usum certe loquendi non re- pugnare, in comment. ad v. 7. docuimus. Ceterum, quanquam ingenue profitemur, Apostolum hoc sensu hominem peccati prod- iturum nuntiasse, contendere tamen nolumus, vaticinationem Paulinam ad nos omnino non amplius pertinere, coniunctam quippe et opinioni Judaicae Anti-Christi, et rationibus variis illorum temporum, quae dudum praeterierint nullo eiusmodi Anti-Christo apparente. Reditum quidem Domini tum tempo- ris haud ita procul remotum cogitasse videtur Apostolus una cum plerisque Christi cultoribus (quanquam non ausus est, sen- tentiam de *tempore* huius eventi pronuntiare *certam*), neque abstinuit formulis Christologiae Judaicae familiaribus, quae huic *παρουσίᾳ* Domini splendorem quendam tribuerent exter- num. Futilemne propterea censebimus ipsam cogitationem eiusmodi mutationis rerum humanarum ingentis ac saluberri- mae aliquando per Christum in toto terrarum orbe futurae,

quae recte dicatur Domini *παρουσία*, quocunque tandem modo nobis incognito apparitura sit? An rationi repugnat, si quis de adversariis evangelii acerrimis, mutationem illam insignem antecessuris, eorumque antesignano quodam cogitaverit? Certe, etsi volueris ad opiniones imaginesque saeculo apostolico familiares referre, quaecunque in vaticinatione Paulina ad *personam* pertinent, hoc tamen concedendum est, quod praeter alios Heydenreich l. l. verissime probavit, his omnibus *ideam* subesse, in qua nemo facile offendat, qui unquam rerum humanarum nexum et vicissitudinem accurate perpenderit, sive haec, *tanquam idea* moralis, animo Pauli per symbola docenti obversata fuisse, sive, quod malim, in mente ipsius Apostoli in formam personae (hominis peccati) transiisse existimetur: priusquam illa, quam exspectamus, patefactio illustris et gloriosa dignitatis Domini eiusque evangelii sanctitatis per totum terrarum orbem accidet (*παρουσία* Domini), s. priusquam regnum Dei futurum incipiet, potestas Deo et Christo inimica, i. e. inscitia, impietas, peccandi libido (in aliqua hominum parte) ultima vice vires suas colliget omnes, veritatem virtutemque Deo probatam certamine atrocissimo adoritura, ita ut aliquamdiu res bene succedere videatur, sed mox deficient vires, cessabit impetus, regnumque lucis de quibusvis religionis verae adversariis triumphum aget perpetuum, eoque splendidiorem, quo importunius illi postremo tempore sapientiam suam opinatam et potestatem vanam iactitaverint. Historia quippe generis humani testante bonum morale eo potissimum tempore per doctores veritatis hominesque virtute et pietate insignes singulari modo exsplenduit, populosque et civitates ad perfectiorem culturae gradum evexit, quo eventa praecesserunt, quae vanitatem et efficacitatem perniciosissimam errorum ac vitiorum singulari modo patefacerent. Sufficiat exempli causa aetatem emendationis sacrorum, similem tempori, quo religio Christiana primum praedicari coepit, cum iis comparasse, abunde cognitis, quae utramque rerum humanarum emendationem proxime antecesserunt. Malum ipsum (quod egregie observavit V. Nitzsch l. l.) opportunitatem praebuit bono illustrando et promovendo, moderante Numine Summo. Proinde, quum haud

dubie quovis saeculo haud defuturi sint, qui, veluti lolia inter triticum *(Matth. 13, 24 — 30. 37 — 41.)*, regno tenebrarum potius faveant, quam luci veritatis virtutisque divinae, etsi nemo negaverit, genus humanum *universe spectatum* successu temporis per ipsam potissimum vim doctrinae Christianae saluberrimam magis magisque perfici; haud temere ex iis, quae adhuc acciderunt, conlicias, aliquando, tempore nobis incognito, appropinquante insigni illa causae Christi victoria per totum terrarum orbem futura, pugnam mali moralis contra bonum atrocissimam eamque ultimam exarsturam.

Redit Apostolus ab illis miseris, quos v. 10. 11. 12. per efficacitatem fraudulentam hominis peccati, sua quidem culpa (quum veritati divinae obsequium semel denegassent), permittente Deo, deceptum iri nuntiaverat, ad Christianos suos Thessalonicenses, suamque profitetur spem laetissimam ac piam, hos certo perventuros esse ad felicitatem regni divini, constantes quippe futuros in persuasione vera et virtute Christiana.

V. 13. 14. *Ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ κυρίου, ὅτι εἵλατο ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας·* (v. 14.) *εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς, διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

V. 13. Quam penitus inhaeserit animo Pauli persuasio pia, *gratia Dei* factum esse, ut Thessalonicenses et converterentur ad Christum, et adhuc homines sese gererent Christo vere addictos, ex eo patet, quod denuo eandem usurpat gratiarum actionem, quam *I. Thess. 1, 2. II. Thess. 1, 3.* legimus: *ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν* etc. Coniungit iterum formulam: *vos, Domino carissimi, ἠγαπημένοι* etc. ut I. ep. 1, 4. cum praedicatione electionis eorum divinae, quam *electionis* notionem h. l. verbo *αἱρεῖσθαι (Philipp. 1, 22.)* expressam in comment. ad ep. I. l. l. explicuimus. Aoristi 2. medii formam alexandrinam *εἵλατο* (vd. Lobeck ad *Phrynichi ecl. p. 183.)* auctoritate praestantiorum codd. (vd. Griesb. ad h. l.) edendam censuimus pro vulgari *εἵλετο*, quod correctionem sapit. Non deesse in N. F. huius generis formas alexandrinas

exempla docent ἔπεσα pro ἔπεσον *Apocal. 1, 17.* ἔπεσαν ib. 6, 13. εὐράμην *Hebrr. 9, 12.* Sub κυρίῳ h. l. cum Koppio Christum intelligimus, quum θεὸς hoc vs. a κυρίῳ distinguatur (cfr. v. 14. 16.). Deus illos dicitur elegisse εἰς σωτηρίαν, perducendos per Dom. Christum ad salutem regni divini (*I. Thess. 5, 8. 9.*). Nolim cum Flattio σωτηρίαν ab ea quae v. 14. dic. περιποίησις δόξης ita distinguere, ut prius ad bona animi praestantissima, quae Christianis in hac vita iam contingunt, posterius ad vitam futuram referatur. Quanquam Christiani verissime dicc. iam hoc tempore σεσωσμένοι (*Ephess. 2, 5. al.*), liberati quippe ab imperio errorum et vitiositatis et metu mortis servili, h. l. tamen σωτηρία, τῷ κρίνεσθαι (v. 12.) *opposita*, haud dubie futuram potissimum innuit felicitatem, nec aliter *I. Thess. 5, 9.* εἰς περιποίησιν σωτηρίας intelligi potest propter verba v. 8. ἐλπίδα σωτηρίας. Quod additur ἀπ' ἀρχῆς plerique recte, opinor, vertunt: *ab aeterno*, quo sensu haec formula ubique ex orationis serie definienda *I. Jo. 1, 1. 2, 13.* legitur, hebr. מִקֶּדֶם s. מִנִּקְדֶם, *Ps. 74, 2. Jos. 24, 2. al.* alibi πρὸ καταβολῆς κόσμου *Ephess. 1, 4.* s. ἀπὸ τῶν αἰώνων *Ephess. 3, 9. 11.* Maluerunt alii (cfr. Krause et Michaelis ad h. l.) de *initio* interpretari *institutionis Christianae* h. s. Thessalonicenses *inter primos* fuisse, quos Deus per Christum felices reddere vellet, quo tempore in illis Macedoniae regionibus doctrina evangelii praedicari coeperat. Sed in ep. ad *Philipp. 4, 15.* hoc sensu dicitur potius ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου, ceterisque locis, quae huic interpretationi favere videantur *I. Jo. 2, 7. 24. Luc. 1, 2.* similiter *ex vocabulis adiunctis* patet, ἀπ' ἀρχῆς de initio praedicationis evangelii verissime explicari. Quae nostro l. obveniunt simpliciter posita: εἵλατο ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν; non possunt nisi ad decretum referri, quod Deus, non eo demum tempore, quo doctrina Christ. in illis regionibus primum innotuit, sed (praeeuntibus Pauli effatis ex ep. ad *Ephh.* laudatis aliisque) ab aeternis inde coeperat, siquidem omniscium nullo tempore latebat, hos evangelio fidem esse habituros, et conditioni salutis satisfacturos. Scripturam quorundam codd. insigniorum ἀπαρχήν (versio

Vulgata: primitias), quae utique illam exprimit sententiam, Thessalonicenses inter primos fuisse, qui per Apostolum ad Christum converterentur (cfr. de ἀπαρχὴ *Romm. 16, 5. I. Corr. 16, 15.*), cum Millio et Peltio cnatam censemus ex scriptura antiqua *continua* ἀπαρχῆς (sic apud Oecumen. leg. et in codice quodam Matthaeii) a librariis minus recte intellecta. Praesidia salutis vere impetrandae divinitus suppeditata vbb. indicantur ἐν ἁγιασμῷ etc. *Meum est*, ait, *gratias Deo vestra causa semper agere, fratres Domino dilecti, quod Deus ab aeterno vos elegit ad salutem*, s. vobis pro gratia libera destinavit felicitatem regni divini, *positam in sanctimonia mentis et fide veritati habita.* Ἁγιασμὸς sive h. l. de emendatione animi, qua quis Deo consecratur, sive de statu animi emendati, sanctimonia (vd. ad *I. Thess. 4, 4.* observv.) acceperis, ad rem primariam nihil interest. Quum animi Christo addicti conditio emendata, Deo probata, in libris N. F. Spiritui divino tribui soleat, haud pauci interprr. (cfr. Koppe, Flatt, Pelt) ἐν ἁγιασμῷ πνεύμ. vert. *per emendationem s. sanctimoniam, cuius auctor est Spiritus Dei. I. Petri 1, 2.* Maluerunt alii πνεύμ. genitivum habere obiecti, cuius sit ὁ ἁγιασμὸς: *per sanctimoniam animi vestri.* Non dixerim, πνεύμ. sic intellectum apparere otiosum; vocabulum quippe ἁγιασμὸς per se positum pariter possit de externa atque de interna intelligi sanctificatione (vd. ad *I. Thess. 4, 4.*). Atque omnino haec interpretatio magis apta esse videtur verbis seqq. πίστει ἀληθείας, ubi in promtu est, ἀλήθεια non causam continere, sed obiectum, ad quod pertineat πίστις: *per fidem doctrinae verae habitam* (sic πίστις εὐαγγελίου *Philipp. 1, 27.*). Hoc enim sensu ἀλήθεια h. l. verissime explicatur praeeuntibus v. 10. 11. Minus recte Bolten et Pelt: πίστεως ἀληθινῆς. De nexu grammatico totius membri: ἐν ἁγιασμῷ etc. cum antecedd. aliter quidem statuunt, qui vel (contortius, opinor) eum pronomine ὑμᾶς propius coniungi volunt (suppl. ὄντας): Deus saluti vos destinavit, quippe qui in sanctimonia mentis versamini et fiducia in veritate div. reposita, vel cum εἵλατο, unde duplex prodire videtur interpretatio, prouti vel cum Peltio voc. ἐν de *condi-*

tione intelligatur (quo sensu plures certe intt. loco *Epheas. 4, 4.* accipiunt): destinavit vos Deus saluti sub lege emendationis etc. vel, quod Grotius et alii praeferunt, de *instrumento, praesidio.* Posterius quidem a priori omnino non differt, si rem ipsam consideraveris. Quemadmodum enim Apostolus, quum v. 11. de hominibus perditis diceret *διὰ τοῦτο πέμπει αὐτοῖς ὁ θεὸς* etc. minime hoc docuisse existimandus est, illos veluti coactos, absque culpa sua, vanitati credere et perversitati indulgere; ita etiam de hominibus regni divini consortio dignis contendere noluit, electos esse praedestinatione *absoluta*, ut, tanquam naturae voluntatis liberae expertes, non possent nisi viam salutis ingredi. Cfr. effatum simile *I. Petri 1, 1. 2.* ubi Christiani dico. *ἐκλεκτοὶ κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος.* Malui in ea verbb. constructione acquiescere, quae maxime in promtu posita esse videtur, ut *εἰς σωτηρίαν* propius cohaereat cum seqq. *ἐν ἁγιασμῷ* etc. (cfr. Flatt ad h. l.): *salutem*, quae tota pendet ex sanctimonia etc. Subsistit oratio Pauli in hac salutis futurae conditione praedicanda v. 14. *εἰς ὃ ἐκάλεσεν* etc. Ad *ἁγιασμὸν πν.* et *πίστιν ἀληθείας* cum Koppio referendum putamus pronomen ὅ, minime ad utrumque, et electionem ipsam (*εἵλατο*), et animi indolem, qua digni electione evadimus. Scopus enim illius, quae h. l. dicitur, invitationis ad sanctificationem et fidem evangelio habendam, felicitas ipsa iis destinata, deinde separatim enuntiatur *εἰς περιποίησιν* etc. Ad sententiam cfr. *I. Thess. 4, 7. I. Petri 1, 15.* Facta dic. haec invitatio divina per doctrinam, quam Apost. iis coram exposuerat, laeta nuntiantem (*διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, I. Thess. 1, 5.*), *εἰς περιποίησιν* etc. ad possidendam (*I. Thess. 5, 9.*) gloriam Domini. De gloria, quae Christo contingat, *δόξαν* interprett. Syrus Vulg. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Ambros. h. s. ad quam sanctimoniam et fidem veritati div. habendam invitavit vos Deus, *ut gloriam Christo acquirat*, ut Christo illustrando inserviatis, compotes facti salutis (*II. Thess. 1, 10.*). Attamen, quum *δόξα* respondeat *τῇ σωτηρίᾳ* v. 13. idemque voc. *περιποίησις* loco simillimo *I. Thess. 5. 9.* ad Christianos perti-

neat, in possessionem salutis venturos, neque ad Christum, cui gloria comparetur, praestat haud dubie, quod plerisque recentiorum intt. probatur, *felicitatem* intelligere *gloriosam (I. Thess. 2, 12.)* Christianis veris destinatam. Quae felicitas, v. 13. *σωτηρία* dicta, h. l. formula describitur magnifica *δόξα τοῦ κυρίου* etc. *consortium felicitatis gloriosae ipsius Christi*, s. felicitas, *qualis* Christo in coelis contigit, huic simillima, prorsus accommodate iis, quae Jesus ipse dixit *Jo. 17, 22. 24.* Cfr. *II. Tim. 2, 10. 11. 12. Romm. 8, 17.* Similiter *ὀνειδισμὸς Χριστοῦ*, si sensum spectaveris, contumelia dic. qualem Christus olim sustinuit, s. consortium huius contumeliae *Hebrr. 13, 13. 11, 26.* itemque *παθήματα Χριστοῦ II. Corr. 1, 5.* Extenuatur sententia Apostoli, si cum Sebast. Schmidtio, Bensono, Peltio felicitatem intelligere malueris, cuius auctor Christus est futurus.

Additur cohortatio ad constantiam obsequii doctrinae apostolicae praestandi, iuncta precibus piis, ut Numen Summum porro vires iis largiatur ad quaevis bona strenue perficienda.

V. 15. 16. 17. *Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, στήκετε καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.* (v. 16.) *Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι,* (v. 17.) *παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας καὶ στηρίξαι ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ ἀγαθῷ.*

V. 15. *Quapropter* (*ἄρα οὖν*), quum Deus sub conditione *ἁγιασμοῦ πν.* et *πίστεως ἀληθ.* felicitatem Christi gloriosam vobis destinaverit, *fratres, perstate, στήκετε*, metaphora a milite desumta, qui locum suum fortiter tuetur, *Ephess. 6, 13. 14. Polyb. 1, 14. 15.* Constantiam obsequii commendari, quod doctrinae acceptae praestetur, sermo proprius declarat *καὶ κρατεῖτε* etc. *Παράδοσις*, institutio s. enarratio sermone facta *(Polyb. 12, 6, 1.)* quanquam in N. F. plerumque de praeceptis dicitur *ore* traditis, a maioribus ad posteros propagatis, qualia fuerunt inter Judaeos, praesertim se-

ctae Pharisaicae addictos, *Matth. 15, 2. 3. Marci 7, 3. 5. sqq. Gal. 1, 14. Col. 2, 8.*, interdum tamen latius patet de praeceptis placitisque alicui *sive sermone seu scripto* traditis, ratione nulla originis habita a maioribus repetendae, ut h. l. (εἴτε διὰ λόγου etc.) et *II. Thess. 3, 6. I. Corr. 11, 2.* Idem valere de vb. παραδιδόναι in progr. nostro de prooemio ev. Lucae eiusque usu in quaestione de fontibus evangeliorum tractanda, Jenae, 1828. p. 7. sq. docuimus. Hoc quidem loco, praeeunte v. 14. διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν, cum Theodoreto, Calvino, Peltio non sola intelligimus vitae praecepta, sed universe *institutionem doctrinae evangelicae (I. Corr. 15, 3.)*, qua Paulus illos imbutos fuisse adfirmat sive sermone sive epistola, εἴτε διὰ etc., ubi in promtu est, vocula εἴτε hanc vim habere, ut de rebus per se diversis idem valere contendat s. coniungat potius quam disiungat, *I. Corr. 13, 8. 15, 11.* In mente habuit Paulus (quod praeter alios verissime adseruit Reiche in comment. laud. *vindiciae authentiae poster. ad Thess. ep. p. 7. sq.)* epistolam I. huic coetui scriptam, quippe quae partim plura doctrinae Christianae capita uberius olim sermone exposita breviter iis in mentem revocaret (v. c. c. 4. v. 1. sq. v. 9. sq. c. 5. v. 1. sq.), partim institutionem ore traditam perficeret, c. 4. v. 13. sqq. c. 5. v. 12. sqq., quamvis haud negaverim, *simul* ipsam hanc posteriorem epist. intelligi posse, praesertim c. 2. v. 1—12. Nihil est quod nos iubeat ex h. l. colligere, *plures* epp. ad Thessall. datas hanc nostram antecessisse, etsi nec sententia contraria demonstrari possit ex numero singulari ἐπιστολῆς. Hanc, ait, institutionem *firmiter tenete* animis, κρατεῖτε, et profitendo et factis exprimendo, cfr. *Marci 7, 3. 4. 8.* Nec deerit vobis hac in re auxilium, quo homines indigent, divinum. Cum fiducia quippe laeta enuntiatur precatio fausta v. 16. 17. Αὐτὸς δὲ etc. Cfr. *I. Thess. 3, 11. sqq. 5, 23.* Scite monuit Flatt ad h. l. de Deo patre ea praedicari, quae simul doceant, quo iure homo Christianus sperare possit ac debeat, Deum solamen illud, de quo v. 17. sermo est, virtutisque adiumentum haud esse denegaturum. Observanda item (cfr. Pelt ad h. l.) gradatio illa naturae rei prorsus accommodata, qua

sermo Pauli, commemorato v. 15. ipsius Apostoli studio et labore in praedicatione evangelii posito, ad Christum evangelii auctorem, a Christo ad Deum principium bonorum omnium adscendit: *ipse autem Dominus noster Jesus Christus, atque Deus, idemque* (*καὶ I. Thess. 3, 11. Ephh. 1, 3. al.*) *pater noster* etc. Scriptura nonnullorum codd. *καὶ θεὸς ὁ πατὴρ* tanquam lectio apparet facilior s. correctio. Quo sensu Christiani potissimum Deum habeant patrem, verba docent: *qui nos amat et quovis tempore amavit* (ex usu aoristi consueto *ἀγαπήσας*) *deditque nobis solamina aeterna* etc. Paraphrasis Koppii et Boltenii, ad sententiam quidem primariam non diversa: *qui pro suo erga nos amore dedit nobis* etc. ideo minus probatur, quod illud: *pro amore suo* verbis exprimitur ultimis *ἐν χάριτι*. *Παράκλησις* de institutione usurpatum vid. *I. Thessall. 2, 3.* In lingua vero hellenistica etiam *consolationem* significasse certum est, *LXX. Jerem. 16, 7. Hoseae 13, 14. Romm. 15, 4. 5. II. Corr. 1, 3. Hebrr. 6, 18.* Quum intelligentia vera rerum divinarum in N. F. saepenumero ad Deum Spiritumve div. referatur auctorem (v. c. *Ephess. 1, 17. sq.*), possit quidem *παράκλησις* h. l. aeque intelligi de institutione ac de consolatione, qualem institutio illa secum ferat. Attamen haec ipsa verborum coniunctio *παράκλ. αἰων. καὶ ἐλπίδα ἀγ.* omnino suadet, ut notionem *solatii* h. l. pariter atque locis laudd. *Romm.* et *Hebrr.* certe *praevalere* existimemus. Neque est, quod cum Michaeli, Krausio, Boltenio, Koppio, Peltio propter praedicatum *αἰωνίαν* metonymice interpretemur de bonis ipsis aeternis, quae solatium adferant et laetitiam, s. de felicitate futura, *ζωῇ αἰωνίῳ Luc. 6, 24.* Complectitur, opinor, *quaecunque doctrina et vita Jesu Chr. continet ad consolandos et confirmandos animos.* Haec sunt solamina, quae valeant in perpetuum (*αἰώνια*). Ex quibus Apost. unum prae ceteris commemorat: *καὶ ἐλπίδα* etc. *spem praestantissimam felicitatis regni div.* Cfr. *I. Thess. 4, 13. Romm. 5, 2. 8, 24. Col. 1, 5.* ad *Titum 2, 13.* ubi *ἐλπὶς* dic. *μακαρία*. Verba postrema *ἐν χάριτι* sive cum *ἐλπίδα* propius cohaerere putaveris (spem praestantiss. in gratia Dei positam), sive, quod malim, cum partic. *δοὺς*:

qui pro gratia sua (ex usu praepos. ἐν de statu s. conditione animi *Luc. 1, 44. Col. 3, 16. al.*) *contingere nobis iussit* etc. utroque modo adfirmatur, haec beneficia nobis contigisse nullo merito nostro i. q. κατὰ τὴν χάριν *II. Thess. 1, 12.* Maluit Bolten: qui nobis dedit solamina aeterna etc. in doctrina ex gratia eius profecta (in der Gnadenlehre). Quanquam non desunt effata, in quibus χάρις, praecunte reliqua totius orationis serie, verissime ad doctrinam referatur evangelicam (donum gratiae divinae), *Col. 1, 6. I. Corr. 1, 4. al.*, vix putaverim tamen, ἐν χάριτι simpliciter ut h. l. positum eo sensu quem ille interpres admitti voluit dici potuisse. Et Dominus, ait, Jesus Chr. et Deus pater, cuius gratiam infinitam iam experti estis, compotes facti evangelii consolationis et spei praestantissimae pleni v. 17. παρακαλέσαι etc. *consoletur mentes vestras et confirmet* (quod vulgo additur ὑμᾶς post στηρίξαι omittendum cum Lachmanno censuimus auctoritate optimorum *codd.* versionum *Syriacc. Armen. Vulg.* itemque *Chrysostomi, Oecumenii, Ambros.* quum facile suppleatur ex antecedd. τὰς καρδίας) *in quovis sermone et facto bono.* Non dubitamus, verum vi[illegible]se plerosque huius l. interprr. qui ἔργῳ et λόγῳ (ad quod utrumque praedicatum pertinet ἀγαθῷ) eodem sensu acciperent, quo alibi dicta et facta hominum distinguuntur. *Luc. 24, 19. Actt. 7, 22. Roman. 15, 18. Col. 3, 17.* Et, quanquam plerumque λόγῳ καὶ ἔργῳ dicitur, locus tamen *Lucae* laud. exemplum suppeditat *ordinis inversi*, quem h. l. ex *codd.* praestantioribus et verss. *Copt. Aethiop. Syr. Philox. Vulg. It.* quibuscum *Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. Ambros.* faciunt, pro *vulgari* scriptura λόγῳ καὶ ἔργῳ (quippe quae corrigendi studio originem deberet) in textum recipere haud dubitavimus. Idem Lachm. edidit. De *doctrina vera* λόγῳ interprett. Chrysost. Calvinus, Turretinus, Bolten, Krause, Flatt, alii. Adsentitur quodammodo Peltii explicatio, doctrinam intelligentis, non, quatenus animo insita est, sed impavide prolatam ac defensam. Lubentissime concedimus, generi universo dictorum bonorum ex mente Apostoli hoc potissimum inesse, ut loquantur, quae doctrinae verae conveniant, eamque constanter profiteantur.

Attamen, quo minus λόγῳ significationem doctrinae h. l. vindicemus, impedit, quod de *doctrina ipsa* evangelica, quae *una* est nec multiplex, parum recte dici poterat ἐν παντὶ λόγῳ. Aliter sese habet cum eadem formula *I. Corr. 1, 5.* ubi λόγος *institutionem* potius indicat, cuius omnino modi sunt varii. Contortior est Bengelii et Koppii interpretatio qua vbb. ἐν παντὶ λόγῳ etc. (secundum ordinem textus vulg.) non ad Christianos eorumque officia referuntur, sed ad Dei ipsius efficientiam, quae opponatur doctrinae fraudulentae atque σημείοις et τέρασι hominis peccati (v. 9. 10.), i. q. διὰ παντὸς λόγου etc.: stabiliat vos per doctrinam veram et quicquid vim habeat saluberrimam (ἔργον αγ.) ad animum erigendum atque confirmandum. Parum recte provocatum ad *I. Corr. 15, 58. Romn. 15, 18.* Utroque l. ἔργον minime hoc sensu dic. sed priori quidem l. ἔργον κυρίου causa est evangelii, quae Christianis curae cordique esse debeat, posteriori de efficientia Pauli apostolica agitur. Et ipse usus verbi στηρίζειν sequente praepos. ἐν et obiecto ὑμᾶς (sive hoc litteris exprimatur secundum textum vulg. sive suppleatur cogitando), et oppositio ἔργου ac λόγου (cfr. loca sup[illegible] laudd.) demonstrat, sermonem esse de iis, quae homines Christo addictos et facere et loqui oporteat. Cfr. *I. Thess. 3, 13.*

Caput III.

Cohortationem, qua Paulus C. II. V. 15. universe constantiam obsequii doctrinae ab Apost. traditae praestandi Thessalonicensibus commendaverat, alia excipit, ut pro salute ipsius operisque apostolici successu felici Deum adeant precibus. Cfr. ad *I. Thess. 5, 25.* observ. Unde mox iterum transit oratio Pauli ad professionem spei laetissimae, quam de futura habeat Christianorum illorum constantia, et precationem faustam.

V. 1—5. *Τὸ λοιπὸν προσεύχεσθε, ἀδελφοί, περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ λόγος τοῦ κυρίου τρέχῃ καὶ δοξάζηται, καθὼς καὶ πρὸς ὑμᾶς·* (v. 2.) *καὶ ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ*

τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. Οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. (v. 3.) *Πιστὸς δέ ἐστιν ὁ κύριος, ὃς στηρίξει ὑμᾶς καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.* (v. 4.) *Πεποίθαμεν δὲ ἐν κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς, ὅτι ἃ παραγγέλλομεν [ὑμῖν] καὶ ποιεῖτε καὶ ποιήσετε.* (v. 5.) *Ὁ δὲ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ.*

V. 1. *Celerum* (*τὸ λοιπὸν, I. Thess. 4, 1.*), *fratres, mea causa precamini.* Ecce animum Pauli generosum, non tam de sua ipsius incolumitate et salute terrestri solliciti, quam de propagatione doctrinae evang. per ipsum (si Deus porro incolumem servaverit) adiuvanda: *ut doctrina Domini* curret (*τρέχῃ* i. q. celeriter amplius propagetur, nec retineatur impedimentis externis, cfr. *LXX. Ps. 147, 15.* similiter: *λόγος οὐ δέδεται, II. Timoth. 2, 9.*) *et illustretur.* Vb. *δοξάξειν*, quod apud profanos scriptt. post Xenophontem viventes (vd. Schneider ad *Xenoph. anab. V, 9, 32.*) significatum laudandi, itemque latiorem illustrandi, dignitatem eximiam rei cuiusdam aut personae patefaciendi frequenter obtinet, soletque in N. F. praesertim usurpari, ubi de Deo aut Christo illustrato vel illustrando sermo est, h. l. pariter atque *Actt. 13, 48.* de doctrina adhibetur Christiana, cuius praestantia et efficacitas divina eo manifestatur, quod homines avide eam amplectantur, fidem ei habeant laetabundi, eiusque beneficio prorsus immutentur. Significationis mediae, quam nonnulli praeferunt: ut laudem sibi paret, exempla in N. F. desideramus. Neque usus passivi impedire potuit Apostolum, quo minus verba adderet (quae ex sententia Peltii mediae tantum significationi verbi *δοξ.* recte conveniunt): *καθὼς καὶ πρὸς ὑμᾶς.* Immo, sive *δοξάζηται* sensu medio sive passivo accepisset, ne poterat quidem aliter scribere quam *πρὸς ὑμᾶς*, si illud: *καθὼς καὶ* etc. ad *utrumque verbum praecedens* referebat: quemadmodum *apud eos* (cfr. c. II. v. 5.), in coetu vestro, celeriter propagata et illustrata est. Iterum arripit occasionem laudandi animum promtum et hilarem, quo Thessalonicenses praeconium evangelii exceperant, I. Thess. *1, 6. sqq.* Quo laetius vero causa evangelii ubique

locorum succresceret, magnopere optandum fuit, ut adversarii, doctores falsi, coërcerentur. Proinde haec add. v. 2. *καὶ ἵνα* etc. *Ἄτοπον* pr. quod non est sive non agitur suo loco, ubi ad homines transfertur, non tantum de iis dic. qui faciunt vel loquuntur quae loco ac tempori parum conveniant (hominibus *ineptis*), v. c. *Plat. Gorgias s. 49. p. 173.* ed. Findeis., sed etiam de iis, qui legem vel humanam vel divinam violant (malis et facinorosis), v. c. *Athen. Deipnos. l. 7. p. 279.* quemadmodum de factis legi contrariis *ἄτοπον Luc. 23, 41. LXX. Job. 4, 8. 11, 11. al.* Qui fuerint isti, in quos oratio Pauli h. l. graviter inveheretur, hostesne doctrinae de Christo, praesertim inter Judaeos, qui et Thessalonicae et Beroeae Apostolum eiusque socios persequuti fuissent, *Actt. 17, 5—13. I. Thess. 2, 16.* (quod inter vett. Chrysost. Theophyl. Oecum. inter recentiores Benson, Pelt, al. defendunt), an eiusmodi homines, qui, etsi Christum ore profiterentur, vera tamen persuasione et pietate evangelica destituti essent, praesertim *doctores vani*, ad Judaismum procliviores, ideoque Paulo libertatis evangelicae defensori strenuo adversantes, eiusque auctoritatem apostolicam impugnantes (cfr. Michaelis et Flatt ad h. l.), in utramque partem disputatur. Quantum equidem video, si *prius* statuatur, in iis quae seqq. *οὐ γὰρ* etc. vocab. *πίστις* non potest nisi simpliciter de fide evangelio Chr. habita explicari. Sed *quorsum* hoc addiderit Paulus, quod satis superque constabat, permultos esse, qui doctrinam Chr. reiciant? sive (quod Turretinus inesse existimat), haud paucos eam habere indolem, easque animi dispositiones, quae adversus evangelium pugnent? Omnia bene se habent, nec quicquam otiosi profertur, si vocem *πίστις* sensu *praegnanti* de *fide, quae evangelio habetur, vera et constante* acceperis, ratione habita illius vocabuli potestatis, qua universe fidem, integritatem, candorem animi innuit, *Matth. 23, 23. Gal. 5, 22. al.* hoc sensu: Deum precamini, *ut liberer* (*ῥυσθῶμεν I. Thess. 1, 10.* ad solum pertinet Paulum, quo minus enim cum Koppio simul ad Thessalonn. referatur obstat v. 1. *προσεύχ.. περὶ ἡμῶν*) *ab ineptis et malis hominibus, ψευδαδέλφοις Gal. 2, 4.*, nec enim *omnium est*

fides, quam evangelio praestent, sincera et constans, in ipso coetu eorum, qui nomine Christum profitentur, immo doctores sese gerunt evangelii, reperiuntur (quod vix putaveris) qui, vel opinionibus praeconceptis indulgentes, vel mala mente, lucri studio ducti, fidem fallant, meumque laborem apostolicum irritum reddere studeant, veram evang. doctrinam et professionem erroribus Judaismo iunctis corrumpendo. Respexisse videtur Apost. ad homines qui tum temporis ipsi inter Corinthios versanti (vd. prolegg. §. 4.) eiusmodi negotia facesserent, sive inter ipsos Judaeo-Christianos Corinthh. prodiissent, sive aliunde venissent Corinthum. Hac ratione probata evanescit, quod iis interprr. qui *πίστις* h. l. universe fidem, animi sinceritatem indicare existimant, (Koppio, Flattio, Krausio al.) a Peltio opponitur, omitti debuisse articulum (ex nostra quippe interpretatione habet omnino articulus vim suam: illa, quae evangelio praestatur, fides vera, die rechte christliche Treue, Glaubenstreue), neque nexus desideratur facilis, quo illud *οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις* sequentibus (v. 3. in.) *πιστὸς δέ* etc. cohaereat. Hominibus perversis opponitur Deus, qui fidus est et constat promissis, ita ut certo exspectare liceat, eum auxilio potentissimo homines Christo addictos, quibus salus futura destinata fuerit (C. II. v. 13. 14.), dummodo ipsi voluntate seria recte utantur praesidiis divinitus suppeditatis (v. 15.), in persuasione vera et virtute Christiana constantes esse servaturum, ne unquam cedant vel doctrinae erroneae vel exemplis malis illorum *ἀτόπων καὶ πονηρῶν*. V. 3. *Πιστὸς δέ* etc. Etsi *κύριος*, quod rem ipsam h. l. enuntiatam attinet, aeque possit de Jesu Christo ac de Deo intelligi (cfr. C. II. v. 16. 17.), malim tamen posterius amplecti, non tantum aliis locis praeeuntibus, ubi haec formula Paulo familiaris *πιστὸς δέ ἐστιν* de *Deo* enuntiatur, cfr. ad I. *Thess.* 5, 24. obs. [unde lectio codd. *Alex. Claremont. Boerner.* et verss. *Vulg.* et *It.* *ὁ θεὸς* profecta esse videtur], sed etiam, quod illud *πιστὸς δέ* etc. ad verba C. II. v. 13. sq. respicit, ubi de Deo dicebatur: *εἵλατο ὑμᾶς* et *ἐκάλεσεν* etc. Nec versum 5. cum Peltio dixerim impedire, quo minus *κύριος* de Deo explicetur. Etenim quum Apostolus v. 5. et

amorem *Dei*, et constantiam *Christi* commemorarct, ad quam Dominus mentes Christianorum dirigat, maluit perspicuitatis causa scribere: *κατευθύναι τὰς καρδίας ὑμῶν εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ*, quam *εἰς τὴν ἀγ. αὐτοῦ*. More consueto dicitur *φυλάσσειν τινα ἀπό τινος* de eo, qui alterum a malo quodam defendit s. tutum praestat, *Xenoph. Cyrop. 1, 4, 7. al.* Interpretationem quidem duplicem admittit *τοῦ πονηροῦ*. Attamen sententia primaria haud mutatur, *sive* genitivus habeatur generis *neutrius τὸ πονηρὸν*, ut quodvis signif. malum ad mentem & voluntatem pertinens, *Romn. 12, 9.* (vd. Pelt ad h. l.), praesertim, quicquid Thessalonicenses ad veram evang. doctrinam vel plane deserendam vel placitis hominum arbitrariis corrumpendam seducere potuerit, *sive* (quod plerique veterum interprr. inter recentiores Benson et Baumgarten probarunt) genitivum existimaveris generis *masculini*, ut *Satanam* describat, errorum et vitiositatis adiutorem *Matth. 13, 19. Ephes. 6, 16.* Quod Koppe et Flatt ad h. l. conlecerunt, forsitan sensu collectivo positum esse pro *τῶν πον. ἀνθρώπων*, vereor, ne Apostolo sermonem obtrudat perspicuitatis idoneae expertem. Eandem fiduciam laetam in auxilio Dei positam ita eloquitur P. ut simul cohortationem enuntiet v. 4. *Πεποίθαμεν δὲ* etc. *Confido autem Domino* (*νος στηρίζοντι* atque *φυλάσσοντι*) *de vobis* etc. *Πεποίθαμεν* pariter cum *ἐν τινι* struitur, *Philipp. 2, 24. 3, 3. 4.* atque cum *ἐπὶ* sq. accusativo *Matth. 27, 43. II. Corr. 2, 3.* Nisi malueris, sententia parum mutata, et h. l. et simillimo *Gal. 5, 10. πεποίθαμεν* nonnisi ad vbb. *ἐφ' ὑμᾶς* cum Koppio referre h. s. *per Dominum, iuvante eo*, sive: *tanquam Domino addictus* (cfr. ad *I. Thess. 1, 1.* obs.) *de vobis confido* [egregie Paulum ita loquentem audimus, ut neque nimium iis tribuat, tanquam si ipsi soli omnia efficere valeant, neque adiuvet ignaviam gratiae divinae omnia committentem, cfr. Chrysost. Theophyl. Oecum. ad h. l.] *vos et nunc facere, et porro facturos, quae vobis praecipiam.* Uncis inclusimus vocab. *ὑμῖν* post *παραγγέλλομεν*, in cod. *Claremont.* et aliis quibusdam minoris momenti vers. *Vulg.* itemque apud *Ambrosiastr.* et *Pelag.* non expressum. Millius additum existi-

mat ab absolvendam sententiam. Priusquam vero praecepta singula proferantur (v. 6. sqq.), pietas Apostoli, quodvis virtutis Christ. firmamentum et incrementum ad gratiam referentis divinam, iterum precationem adiungit faustam v. 5. Ὁ δὲ κύριος etc.: *Dominus autem* (Deus, cfr. v. 3. obs. parum recte Basilius M. *de spir. s. c. 21.* Theophyl. Theodor. πνεῦμα ἅγιον intelligunt, quum non soleat simpliciter κύριος appellari, cfr. Pelt ad h. l.) *mentes vestras dirigat* (κατευθύναι, *I. Thess. 3, 11.*), vos tramitem rectum ingressos pervenire iubeat *ad amorem erga Deum et constantiam in causa Christi praestandam.* Ἀγάπην τοῦ θεοῦ de amore Dei erga homines Christianis imitando interpretari maluerunt Koppe, Krause, Bolten, Flatt alii, similiterque ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ de ipsius Christi patientia, ex summo Dei amore oriunda, in calamitatibus perferendis. Nunquam vero memini scriptores sacros, ubi exemplum Dei imitandum proponerent, *amorem hominum mutuum similem Dei erga homines amori* breviter appellasse ἀγάπην τοῦ θεοῦ. Neo alia loca eorum sententiae favent, qui cum Clerico amorem, qualem Deus animis nostris infundat, intelligi voluerint. Aliter sese habet cum form. ἀγάπη ἐκ τοῦ θεοῦ *I. Jo. 4, 7.* Immo (quod Damasc. Turret. Grot. Bengel. al. recte viderunt) de *amore erga Deum* sermo est, quem adfectum pium, cuiusque virtutis Christianae fontem limpidissimum (*Matth. 22, 37. sqq. Marc. 12, 30. sq. Luc. 10, 27.*), ut ipse Deus in animis Thessalonicensium excitet servetque perennem precatur Apostolus. Huic interpretationi prorsus accommodatum est, ut etiam in iis, quae seqq. τὴν ὑπομονὴν etc., genitivum τοῦ Χριστοῦ genit. habeamus *obiecti*, sive cum Damasc. Bengel. aliisque explicueris: *constantia, quae in causa Christi*, vel *propter* Christum eiusque professionem inter vexationes praestetur, *Col. 1, 24. Hebrr. 11, 26. Philem. v. 1.*, sive cum Peltio: *constantia ex Christo oriunda*, cuius fundamentum habemus in Christo positum, i. e. in exspectatione laetissima salutis futurae, quam Christus in animis nostris excitavit, quemadmodum ἐλπὶς τοῦ Χρ. *I. Thess. 1, 3.* dicitur. Usus loquendi impedit, quo minus vocem ὑπομονὴ cum Ambros. Oecum.

Pelag. Bensono aliisque de *ipsa exspectatione* (reditus Domini) interpretemur. Chrysostomus quidem et Theophyl. inter hanc et illam interpretationem, qua ὑπομονὴ τοῦ Χρ. de patientia explicatur exemplo Christi accommodata, fluctuant. Articulum τὴν ante ὑπομ. recte, opinor, recepit Griesbach. cum aliis, auctoritate codd. praestantiorum, cui Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Euthalius addicunt.

Sequitur admonitio eandem rem uberius pertractans, quam Paulus *I. Thess. 4, 11. sq. 5, 14.* paucis tetigerat, vitam perversam eorum, qui otio diffluentes turbas varias excitent, ecclesiae praesertim recens collectae perniciosas et famae Christianorum male consulentes. De plerisque Christianorum Thessall. persuasum habebat Apost. eos meliora probare. Itaque, priusquam ad ipsos illos dissolutos sermonem convertit (v. 11. 12.), ceteros iubet consuetudinem eiusmodi hominum fugere; partim ut ipsi magis erubescere discant atque de vita emendanda cogitare, partim, ne quis ceterorum deflectat, exemplo malo seductus, a tramite recto quem adhuc fuerint ingressi. Audimus Apostolum (quod Chrysost. ad h. l. verissime observavit) in hac epistola non modo prolixius, sed etiam *maiori sermonis gravitate* (cfr. v. 6. 10. 12.), quam in priore epistola, vitam dissolutam et otiosam vituperantem. Cognoverat haud dubie ex iis, quae ipsi, quo tempore epistolam posteriorem exarabat, de statu rerum Thessalonn. iterum innotuerant, efficacitatem illorum hominum perniciosam admonitione gravissima indigere.

V. 6 — 9. *Παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, στέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφοῦ ἀτάκτως περιπατοῦντος καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν, ἣν παρέλαβον παρ' ἡμῶν.* (v. 7.) *Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε πῶς δεῖ μιμεῖσθαι ἡμᾶς·* (v. 8.) *ὅτι οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν, οὐδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν παρά τινος, ἀλλ' ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ νύκτα καὶ ἡμέραν ἐργαζόμενοι, πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν.* (v. 9.) *Οὐχ ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν, ἀλλ' ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ὑμῖν εἰς τὸ μιμεῖσθαι ἡμᾶς.*

V. 6. *Praecipio autem vobis, fratres* (respicit Apost. ad v. 4. iterumque numero plurali usus, ut centies, de se ipso tantum loquitur, cfr. quae a versu inde 7. seqq.) *auctoritate Domini nostri Jesu Chr.* tanquam mandatum Domini (quod vbb. ἐν ὀνόμ. τοῦ κυρ. inesse verissime docent Chrysost. Theophyl. Oecum. cfr. *I. Corr. 5, 4.*) *ut vos subtrahatis familiaritati cuiusque fratris, qui vitam agat dissolutam* etc. Verbum στέλλειν proprie: collocare, sistere, s. (ex usu medii) se collocare, deinde: aliquem (s. se ipsum) recte componere et instruere ad aliquid peragendum, recht anschicken, rüsten, quum in re nautica de iis usurparetur, qui navem recte componerent velis contrahendis (*Homeri Odyss. 3, 11. Il. 1, 438.*), transiit inde ad universam *contrahendi* sive *minuendi*, cohibendi, sedandi significationem, *Joseph. antiqq. Judd. 5, 6, 8. 9, 10, 2.* ita ut Medium στέλλεσθαι esset i. q. *se contrahere*, quod et metuentes et indignantes rem quandam s. personam aversantes faciunt, ideoque etiam: *se subducere alicui*, quo sensu h. l. dic. στέλλεσθαι ἀπό τινος *Polyb. 8, 22, 4.* et ὑποστέλλειν ἑαυτὸν *Gal. 2, 12.* s. ὑποστέλλεσθαι *Hebrr. 10, 38.* Quanquam eidem verbo significatio maxime cognata metuendi s. verendi recte vindicatur *II. Corr. 8, 20. LXX, Malach. 2, 5.*, neque negari potest, Apostolum h. l. prudentiam commendare Thessalonicensibus, qua sibi probe caveant non ab omni quidem commercio attamen a consuetudine interiori hominum perversorum (v. 14. 15.), metuentes, ne ipsi hac consuetudine corrumpantur aut famam sinistram incurrant; res ipsa tamen docet ac tota dicendi ratio στέλλ. ἀπὸ etc. non tam h. l. metum exprimi, quam studium subtrahendi se illorum consortio familiari. Ἀτάκτως περιπατῶν i. q. ἄτακτος *I. Thess. 5, 14.* Semel tantum hoc adverbium in N. F. recurrit infra v. 11. Cfr. *Symmach. II. Regg. 9, 20. Xenoph. memorabb. 3, 1, 7. Aristot. περὶ κόσμου 7, 4.* Quod exteros attinebat a professione Christi prorsus alienos, eorum vita dissoluta minus valere poterat ad mores Christianorum corrumpendos, quam, si homo Christo addictus (ἀδελφὸς) ἀτάκτως viveret, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν etc. De παράδοσις cfr. ad C. II. v. 15. obs., de

παραλαμβ. *I. Thess. 4, 1.* Pro vulgari παρέλαβε diversimode legitur: *a)* παρέλαβον in multis codd. praesertim *Claremont.* ex correctione et *Sangerman.* (similiter forma rarior παρελάβοσαν in cod. *Alex.* et ἐλάβοσαν in *Claremont.* a manu prima, cfr. ἐδολιοῦσαν *Romm. 3, 13.* Lobeck ad *Phrynichi ecl. Att. p. 349.*) quam 3. personam plur. verss. *Aethiop. Syr.* philoxen. *Slav. Vulg.* patres graeci itemque plures ex latinis agnoverunt, *b)* παρελάβετε, quod codd. pauci, in his vero *Vatic. Augiens. Boernar.* verss. *Copt.* et *Arm.* exhibent. Equidem non dubitavi, quod Bengel. Mill. Wettst. Koppe Matth. Knapp. edd., praeferre παρέλαβον: *quam* (praeceptionem) *a me acceperunt* ceteri omnes ad Christum conversi pariter atque illi nunc ἀτάκτως viventes. Librarii, quum offendissent in 3. persona plur. propter singularem anteced. παντὸς ἀδελφοῦ (parum quidem perpendentes huic παντὸς notionem inesse plur.), alii corrigendum putaverant παρέλαβε, alii παρελάβετε. Forma rarior Griesbachio probata παρελάβοσαν Winero (*Grammatik etc. ed. III. p. 71.*) recte suspecta habetur, oriunda quippe ex emendandi studio grammatico librariorum *alexandrinorum.* Praecepta eiusdem generis de fugienda hominum perversorum familiaritate exstant *Romm. 16, 17. I. Corr. 5, 10. 11.* Cfr. effatum Servatoris *Matth. 18, 17.* Illustrat Apostolus eam, quam h. l. maxime intelligit, praeceptionem suo ipsius exemplo v. 7. Αὐτοὶ γὰρ etc.: *Ipsi enim nostis* (nihil novi edicimus) *quo modo vos oporteat me imitari.* Sermo admodum concisus h. s. quomodo vos vitam oporteat instituere, exemplum meum sequuturos. Res amplius explicatur v. 8. ὅτι οὐκ etc.: *siquidem inter vos non egi vitam dissolutam* (ἀτακτεῖν vb. in N. F. semel tantum obvium i. q. v. 6. ἀτάκτως περιπατεῖν, *Xenoph. Cyrop. 8, 6, 8.*) *neque gratis a quoquam acceptum panem comedi,* minime hoc egi, ut sine labore (cfr. seqq.) acciperem, quae ad vitam sustentandam requirerentur. Ἄρτος constat, ut hebr. לֶחֶם, ad notionem cibi cuiusque transferri in formulis frequenter obviis ἄρτον φαγεῖν s. ἐσθίειν, *Luc. 7, 33. Matth. 15, 2. al.,* immo de victu universe dici i. q. τὰ δέοντα *LXX. Ex. 16, 22.*

Cum tota hac loq. ratione *οὐδὲ δωρεὰν* etc. cfr. hebraica *II. Samuel. 9, 7. 10.* אֲכַל לֶחֶם עַל־שֻׁלְחָנִי תָּמִיד. In promtu est ab eodem vb. *ἐφάγομεν* participium pendere *ἐργαζόμενοι* in seqq. *ἀλλ' ἐν κόπῳ* etc.: *immo victum mihi paravi eo, quod opus facerem, labore arduo, noctu diuque, assiduitate summa, ne cui vestrum oneri essem.* Cfr. de his ad *I. Thess. 2, 9.* observ. Quod pro vulg. *νύκτα καὶ ἡμέραν* nonnulli codd. (in quibus *Vatic.*) habent *νυκτὸς καὶ ἡμέρας*, correctionem sapit librariorum ex *I. Thess. 2, 9. 3, 10.* oriundam. *νύκτα καὶ ἡμέραν* eodem modo dic. *Marci 4, 27. Actt. 26, 7.* Hoc industriae exemplum, operam exercendo manuariam, quanquam satis occupatus esset doctrina evangelii tradenda, ultro se praeivisse Thessalonicensibus adfirmat v. 9. *Οὐχ ὅτι* etc. *Minime* (sic feci), *quod* s. *tanquam si* (sollennis est Paulo formula *οὐχ ὅτι*, ubi sententia quaedam limitibus suis circumscribitur, ne dictum perperam intelligatur, *Philipp. 3, 12. 4, 11. 17. II. Corr. 1, 24.*) *non habuissem potestatem* victum sumendi, misso labore manuum, ab iis quibus doctrinam evang. traderem. Eodem sensu *ἐξουσία* de iure, licentia, auctoritate aliquid faciendi *Matth. 21, 23. I. Corr. 8, 9. Plat. Gorgias s. 80. p. 252. s. 81. p. 255. ed.* Findeisen. Ipsius Christi praeceptis minime repugnabat, si quis ab iis, quorum saluti aeternae docendo consuleret, ad vitam terrestrem necessaria acciperet, *Matth. 10, 10. Luc. 10, 7.* Uberius hoc demonstratur *I. Corr. 9, 6 — 15.* Attamen Paulus hoc iure abstinuit, exemplo insigni et caritatem, quovis modo honesto aliis parcentem, ab omni lucri studio remotissimam, et industriam indefessam Christianis commendaturus: *ἀλλ' ἵνα ἑαυτοὺς* (i. q. *ἐμαυτὸν*) etc. *τύπος* eod. sensu *I. Thess. 1, 7.* Cfr. *Philipp. 3, 17.*

In mentem porro revocat Paulus Thessalonicensibus, quae ipse, quum inter eos versaretur, de hominibus desidiosis victu indignis edixerit, docetque, se omnino habere, nuntio de iis quae Thessalonicae agerentur iterum accepto, quod ignaviam illorum aliis vitiis coniunctam graviter reprehendat.

V. 10. 11. 12. *Καὶ γὰρ ὅτε ἦμεν πρὸς ὑμᾶς, τοῦτο παρηγγέλλομεν ὑμῖν, ὅτι εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζε-*

σθαι, μηδὲ ἐσθιέτω. (v. 11.) *Ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους.* (v. 12.) *Τοῖς δὲ τοιούτοις παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἵνα μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι τὸν ἑαυτῶν ἄρτον ἐσθίωσιν.*

V. 10. Exemplo, ait, quod vobis praeivi, prorsus consona fuit institutio mea. *Nam etiam* (*καὶ γὰρ Matth. 8, 9. Luc. 6, 32.*) *dum vobiscum versabar, hoc vobis praecepi: si quis opus facere* (s. omnino labori utili vacare) *nolit, nec comedat,* non dignus habeatur, cui nutriendo alii consulant. Quantumvis Paulus alibi honestam erga pauperes, adflictos, infirmos beneficentiam commendaverit (*I. Thess. 4, 9. 10. al.*), noluit tamen ignaviam adiuvari stipendiis erogandis. Effata simillima apud doctores Judaicos obvia laudd. Wettsten. ad h. l. Schoettgen *horae hebr. et talm. T. I. p. 850. V. 11. Audivi quippe, nonnullos inter vos dissolutam agere vitam, operi* (utili) *vacantes nulli, sed supervacanea facientes,* sive (ex Peltii vers.) *nil* utile *agentes, sed satagentes.* Sic enim imitari licet lusum verborum graecorum antitheseos *μηδὲν ἐργαζομένους ἀλλὰ περιεργαζομένους. Περιεργάζεσθαι* (in N. F. *ἅπαξ λεγόμενον*) pr. rei cuidam summam et fere nimiam impendere curam, *Aelian. V. H. 2, 44.* de iis praesertim dicitur, *qui res inutiles et supervacaneas tractant,* qui, male seduli et curiosi, negotiis ad ipsos pertinentibus omissis, rebus alienis vel civilibus vel domesticis se immiscent, ita ut garrulitati aliis molestae immo et adulandi erroribusque hominum blandiendi et obtrectandi studio (prouti ex re eorum fuerit) indulgeant, controversias, inimicitias, turbas varii generis et excitantes et adiuvantes. *Platon. Apol. Socr. c. 3. LXX. Sirac. 3, 23.* Tales describuntur *I. Timoth. 5, 13.* Resipiscere eos iubet Apostolus summa Jesu Christi auctoritate interposita, formula solenni v. 12. *Τοῖς δὲ τοιούτοις* etc.: *talibus praecipio, eosque adhortor (suppl. τοιούτους,* quum *παραχαλεῖν* nunquam dativum regat) *per Dominum nostrum Jesum Chr.* (a Domino vocatus et institutus, *I. Thess. 4, 2.*) *ut tranquille opus facientes suum comedant*

panem. Quanquam et quinque codd. insigniores praeter alios quosdam et verss. *Vulg. It. Armen.* itemque *Damasc. Ambrosiast. Pelag.* scripturam exhibent ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ (cfr. ad *I. Thess. 4, 1.* obs.), malui tamen cum Griesbachio aliisque lectionem vulg. διὰ τοῦ κυρίου etc. servare, quum altera speciem habeat vel glossematis antiqui, vel correctionis oriundae ex v. 6. huius cap. sive ex loco laud. *I. Thess.* ubi παραχαλοῦμεν cum ἐν κυρίῳ Ἰη. coniunctum legebatur. Ἡσυχία saepenumero quidem universe vitae laboriosae opponitur, *Plat. Apol. Socr. c. 28. Aeschin. dial. III. §. 17.* In hac vero orationis serie vitam bene compositam innuit, contrariam illi sedulitati malae, per domos et urbes vaganti aliorumque circulos turbanti, *I. Timoth. 2, 11. sq. I. Thess. 4, 11.* Vbb. τὸν ἑαυτῶν ἄρτον recte interpret. Chrysostomus: τὸν ἐξ οἰκείων πόνων, ἀλλὰ μὴ τὸν ἀλλότριον, τὸν ἀπὸ τοῦ προσαιτεῖν ἐκποριζόμενον. Effata similia doctorum Judd. de iis qui panem suo labore paratum comedant, illudque oppositum: aliena vivere quadra *Juven. sat. 5, v. 2.* comparavit Wettsten. ad h. l. Ad sententiam cfr. *I. Thess. 4, 11.*

Ab illis desidiosis reprehensione iusta notatis iterum se convertit oratio Pauli ad ceteros rectius animatos, et admonendo de iis quae porro facere debeant (ratione potissimum habita illius perversi hominum generis) et fausta iis precando.

V. 13 — 16. *Ὑμεῖς δέ, ἀδελφοί, μὴ ἐγκακήσητε καλοποιοῦντες.* (v. 14.) *Εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπιστολῆς, τοῦτον σημειοῦσθε, καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ, ἵνα ἐντραπῇ.* (v. 15.) *Καὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖσθε, ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν.* (v. 16.) *Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος τῆς εἰρήνης δώη ὑμῖν τὴν εἰρήνην διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ· ὁ κύριος μετὰ πάντων ὑμῶν.*

V. 13. Ἐκκακεῖν (s. ἐγκακεῖν) dicc. qui vel in timorem conjecti, vel assiduitatem laboris, praesertim si frustraneum putaverint, aversantes desinunt facere, quae porro strenue peragenda sint, *Luc. 18, 1. Gal. 6, 9. II. Corr. 4, 1. Polyb. 4, 19, 10.* De participio post verba, quae notionem desinendi s. finem faciendi exprimunt, loco verbi finiti positto vd

Matthiae *ausführl. griech. Grammatik ed. II. Vol. II. p. 1081.* Non ausim certius definire, utrum καλοποιεῖν (ἅπαξ λεγόμενον in N. F. nec usitatum antiquioribus Graecis, quippe qui potius καλῶς ποιεῖν s. καλὰ ποιεῖν dicerent) h. l. *angustiorem* teneat potestatem *benefaciendi* i. q. ἀγαθοποιεῖν *Luc. 6, 33.* quod inter vett. Chrysost. Theodor. Oecum. Ambros. recentiorum *plerique* probarunt: *nolite segnes fieri in beneficiis erogandis*, ne vel desidiosi illi, quovis auxilio vestro plane destituti, de salute desperantes nefanda perpetrent, vel animus vester ad vocem eorum obdurescat, qui labori amplius sustinendo impares beneficentia maxime indigeant; an sensu *latiori* dicatur (cfr. Bolten ad h. l.): *nolite recte agendo defatigari*, ne illorum exempla imitemini. Eandem interpretationis diversitatem experitur locus simill. *Gal. 6, 9.* τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐγκακῶμεν. Constat καλὸν pariter adhiberi de eo, quod omnino rectum, probum, honestum sit, *Romn. 7, 21.* coll. v. 18. *Jacobi 4, 17.* atque de liberaliter factis *Matth. 26, 10. I. Timoth. 6, 18.* Quales se gerere debeant erga fratres illos perversos supra notatos ostenditur v. 14. Εἰ δέ τις etc. Etiam huius commatis membrum prius diversimode intellectum. Vb. σημειοῦν (in N. F. ἅπαξ λεγομ.): *signo distinguere*, in Medio i. q. *annotare*, ut apud *Marcell.* in vita Thucyd. ἐσημειοῦτο τὰ λεγόμενα ἅπαντα καὶ τὰ πραττόμενα etc. et *Dionys. Halic.* περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος c. 58. in. p. 1127. T. VI. Reisk. interdum etiam signif. *indicare*, *Polyb. 22, 11, 12.* De nexu, quo vbb. διά τῆς ἐπιστολῆς ceteris cohaereant, disputatur. Haud pauci enim propius haec coniungunt antecedentibus: τῷ λόγῳ ἡμῶν, commate post ἐπιστ. posito (Chrysost. Oecum. Ambros. inter recentiores Erasmus, Michaelis, Benson, Wettstein, Griesbach, Matthaei, Knapp, Flatt, Vater, al.). Quo facto protasis vertenda: *si quis obsequi noluerit sermoni (praecepto) meo hac ipsa epistola (v. 12.) tradito;* supplendum quippe γενομένῳ, et διὰ τῆς ἐπιστ. eodem modo dic. quo *II. Corr. 10, 9.* διὰ τῶν ἐπιστ. et v. 11. τῷ λόγῳ δι' ἐπιστολῶν. Apodosis, hac interpunctione probata, diversam admittit interpretationem, pro usu vario

vb. σημειοῦσθαι supra observato. *Vel: eiusmodi hominem indicate* aliis, ut sibi caveant. Haec ratio facilius feratur, quam quod olim in editione mea N. F. graeco-latina probaveram, quum post σημ. durius supplerem ἐμοὶ: indicate mihi (quanquam minime, quod in commentario Peltii p. 238. affirmatur, ab eorum partibus steti, qui post λόγῳ ἡμῶν commate distinguunt). *Vel: eiusmodi hominem adnotate* vobis, in usum vestrum, ut sedulo fugiatis consortium eius familiare. *Vel: eiusm. hom. distinguite ab aliis* hac nota, hoc signo, ut commercio eius familiari abstineatis. Mihi quidem vel secunda vel tertia ratio praeferenda videtur, quum et usus vb. σημειοῦσθαι utrique faveat, et nexus sermonis (cfr. seqq. καὶ μὴ συναναμίγνυσθε etc.) utramque maxime commendet. Nec usus articuli obstat, quo minus in protasi vbb. τῷ λόγῳ ἡμῶν διὰ τῆς ἐπ. coniungantur, neque est, quod τῆς pro ταύτης positum dicamus. Perpendamus modo, quo vis articuli pateat, admonitionem litteris scriptis comprehensam (διὰ τῆς ἐπ.) respicere ad τὸν λόγον olim *coram* traditum v. 10. Alii quidem (praesertim Theophyl. Theodor. Grotius, Clericus, Bengel, Krause, Koppe, Pelt) vbb. τοῦτον σημ. cum διὰ τῆς ἐπ. connectunt, commate posito post λόγῳ ἡμῶν. Quo facto sententia duplici ratione constituitur. *Vel* (cum Grotio et Koppio): *si quis praecepto meo* (sive coram, sive per litteras enuntiato) *obsequi noluerit, eiusmodi hominem mihi indicate epistola*, ut deinde statuam, quod spiritus divinus me inserit de eo decernere, *I. Corr. 5, 3.* Exspectavit fortasse Apostolus, eamque exspectationem sermone conciso innuere voluit, Thessalonicenses, accepta ipsius epistola, iterum litteras ad eum daturos. Cfr. Winer *Grammatik. ed. III. p. 93. sq.* *Vel* (cum Bengelio): *si quis — noluerit, talem notate censoria nota per hanc epistolam meam*, eius admonendi causa epist. meam adhibete, eique diligenter inculcate, sive cum Peltio: *eum hac epistola freti severius tractate, a consortio vestro secludentes.* Attamen parum explorata est haec verbi σημ. potestas: graviter reprehendere, neque putaverim, vel διὰ τῆς ἐπιστ. hoc sensu satis perspicue dici, vel τῆς ἐπ. pro ταύτης recte poni potuisse. Praeterea in eo offendimus,

quod Apost. (si hanc sequamur interpunctionem) absque causa idonea *inversionem verborum* adhibuisse existimetur pro: τοῦτον σημ. διὰ τῆς ἐπ. Ceterum in nonnullis quidem codd. apud Griesb. notatis et vers. *Aethiop.* pro λόγῳ ἡμῶν exstat λόγῳ ὑμῶν eandemque scripturam Chrysostomum habuisse perhibet Theophylactus (in nostro Chrysost. textu l. ἡμῶν). Verum quod vulgo leg. ἡμῶν et auctoritate defenditur externa et argumentis internis. Etenim, si interpunctionem priorem sequaris (commate post ἐπιστ. posito), lectio ὑμῶν non potest nisi *contortius* explicari: si quis noluerit vobis obsequi dicentibus (huic immorigero) quae per hanc epistolam meam cognovistis. Sin interpunct. posteriorem tenueris, commate distinguens post λόγῳ ὑμῶν, obstat, quod Apost. in iis demum, quae v. 15. sequuntur, de officio *Thessalonicensium* eiusmodi hominem admonendi exposuit. Ante omnia dissuadet Apost. consortium hominis desidiosi et ἀτάκτως viventis familiare, quale verbo συναναμίγνυσθαι exprimitur, *I. Corr. 5, 11. LXX. Hos. 7, 8.* [Omissio copulae καὶ ante μὴ συναναμίγνυσθε, quae in codd. *Alex. Vatic. Claremont.* a manu prima itemque apud Chrysost. et Tertull. desideratur, defendi non potest, nisi cum Lachmanno edatur: μὴ συναναμίγνυσθαι: talem hominem ita distinguite, ut consortium eius familiare evitetis.] Dupliciter compositum συναναμ. adhibere, opinor, maluit quam ἀναμίγν. ut doceret, *omnibus*, qui rectius statuant, *simul* fugiendam esse consuetudinem eiusmodi hominis, quo gravius ille *intus convertatur, erubescat*, ἐντραπῇ, cfr. ad *Titum 2, 8. I. Corr. 4, 14. Plat. Criton. c. 14. p. 206. ed. Fisch. Xenoph. hist. gr. 2, 3, §. 33. ed. Schneider.* Ad rem ipsam cfr. simile Christi praeceptum *Matth. 18, 15—17.* Quousque Apostolus illud μὴ συναναμίγνυσθε extendi voluerit, verba quidem huius l. non accuratius definiunt. Comparare tamen iuvat locum *I. Corr. 5, 11.* ubi Paulus de fugiendo consortio hominum Christianorum, qui scortationi, avaritiae, flagitiis gentilium, convitiis, violentiae, rapacitati indulgeant (tales, praesertim λοίδοροι, utique pertinent ad fratres ἀτάκτως viventes, quorum consuetudinem etiam Thessalonicenses fugere iubentur), sic praecipit, ut mandato universe enuntiato

μὴ συναναμίγνυ. hoc addat: τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν: ne convictu quidem talem dignemini. Quanquam hoc μηδὲ συνεσθίειν non aperte indicat illam excommunicationem ecclesiasticam, quae peccatori, donec resipuerit, ipsis conventibus publicis ritibusque sacris Christt. prorsus interdicat (qualem Apost. *I. Corr. 5, 2.* homini minatur, qui scelus insigne patraverat), patet tamen, eiusmodi hominem, quocum Christiani ne in communionem quidem mensae venire debeant, *fere parem* haberi excommunicatis. Vd. Heydenreich *comment. in I. ad Corr. ep. Vol. I.* (Marburgi, 1825.) p. 334. Haec severitas abesse non potuit a disciplina ecclesiastica coetus recens collecti. Nolebat vero Apost. Christianos animum induere hostilem erga fratres perversos v. 15. Καὶ μὴ etc.: *Nec eum tanquam inimicum ducite*, nolite eum hostiliter tractare (similiter ἡγεῖσθαι κοινὸν: aliquid tractare tanquam profanum *Hebrr. 10, 29.* ἐχθρὸν ἡγ. *Demosth. Philipp. II.* φίλον ἡγ. *Platon. Gorgias s. 28. p. 107.* ed. Findeis. de vocula ὡς eiusmodi verba quae notionem putandi, iudicandi, involvunt excipiente vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammm. T. II. ed. II.* p. 1124.), *immo admonete*, vd. *I. Thess. 5, 14.*, *ut fratrem*, de emendando religionis socio solliciti, inter privatos parietes (quam sententiam bene interprett. Chrysost. et Theophyl. ad h. l.). Cfr. *Levit. 19, 17.* Ex ipso usu voc. ἀδελφὸς colligimus, h. l. sermonem non esse de hominibus societate Christiana prorsus exclusis. Adhortationem excipit votum v. 16. Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος etc. Quum Paulus commatibus modo explicatis et homines desidiosos graviter notaverit, qui, alienis rebus temere se immiscentes, facile turbas et lites in coetu Christ. excitarent, et reliquos rectius sentientes cohortatus fuerit, ut consortio quidem illorum familiari abstinentes minime tamen ducerent inimicos, in promtu omnino positum esse videtur, ut εἰρήνη h. l. praeeuntibus Chrysost. Theophyl. Theodor. inter recentiores Bensono aliisque de *pace, concordia* interpretemur *(I. Thess. 5, 3. Coloss. 3, 15. al.)*. Sed aeque patet, observandis illis Apostoli praeceptis, quae ad concordiam mutuam spectarent, coniunctissimam fuisse *salutem* veram Christianorum, praecertim animi *tranquillitatem*. Eamque

potestatem voci εἰρήνη alii interprr. (Bolten, Flatt, Krause) h. l. vindicarunt, cfr. ad *I. Thess. 1, 1. 5, 23.* obs. Equidem propter vbb. seqq. διὰ παντὸς praesertim postrema ὁ κύριος μετὰ etc. *utramque* significationem Apostolo ante oculos obversatam esse cum Peltio existimaverim: *ipse autem Dominus*, h. l. Jesus Christus (respiciunt quippe haec αὐτὸς δὲ ὁ κύριος δῴη etc. ad v. 12. παραχαλοῦμεν διὰ τοῦ κυρίου *I. Χρ.* nec probari potest scriptura θεὸς pro κύριος in codd. *Augiensi* et *Boerner.* et vers. *Vulg.* itemque apud *Theophyl. Ambros. Pelag.* expressa, oriunda ex *I. Thess. 5, 23.*), *auctor pacis*, concordiae et salutis (*Jo. 14, 27. 16, 33. Ephes. 2, 14.*) *det vobis pacem quovis tempore* s. *perpetuo duraturam, quovis modo.* De form. διὰ παντὸς cfr. *Matth. 18, 10. Actt. 2, 25. Romm. 11, 10. al. Plato republ. l. 4. c. 7. p. 172. sq. ed. Ast.* Plene dic. διὰ παντὸς τοῦ χρόνου apud *Plat. ep. 4.* Ἐν παντὶ τρόπῳ aeque dic. ac παντὶ τρόπῳ *Philipp. 1, 18.* quemadmodum βαπτίζεσθαι ὕδατι et ἐν ὕδ. et alia huius generis, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 177.* Quod in codd. *Alex. Clarem.* (utroque a manu prima) *Aug. Boerner.* verss. *Vulg. It.* itemque apud *Ambros.* et *Pelag.* legitur ἐν παντὶ τόπῳ, correctionem redolet ex locis *I. Corr. 1, 2. II. Corr. 2, 14. I. Tim. 2, 8.* ductam, librariis probatam, qui praepositionem ἐν vocabulo τόπῳ magis quam alteri τρόπῳ accommodatam existimarent. In nostro *Chrysostomi* textu leg. τρόπῳ, quanquam alteram lect. ei praeplacuisse ex commentario facile colligi possit. *Dominus vobis omnibus adsit*, *I. Thess. 5, 28.*

Hucusque Paulus totam epistolam ex more suo (*Romm. 16, 22. I. Corr. 16, 21. Col. 4, 18.* quanquam non ubique servato *Gal. 6, 11. Philem. v. 19.*) scribae dictaverat. Sua ipsius manu clausulam addit, quae salutationem continet Christianis fausta precantem.

V. 17. 18. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστιν σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. Οὕτως γράφω. (v. 18.) Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν.

V. 17. *Salutatio mea ipsius, Pauli, manu* exaratur.

Quod signo inservit in quavis epistola, i. e. quae salutatio, mea ipsius manu scripta, quoties usurpatur, authentiae scripti declarandae inservit, ne forte epist. supposititia habeatur. Post *σημεῖον* ex antecedd. facile suppletur *Παύλου*. Similiter *σημεῖον τοῦ ἀποστόλου II. Corr. 12, 12.* de documentis, quae monstrant, aliquem re vera esse apostolum. Non hoc sibi voluisse Apostolum, quaecunque epistola hoc signo caruerit, eam hac de causa nomine Pauli fictam esse habendam, in prolegg. §. 6. vidimus. Utrum Paulus *priorem* ad Thessall. epist. totam per scribam exarari iusserit, quum illo tempore nondum haberet, quod fraudatorem vel sermones vel epistolas nomine Pauli fictas divulgantem metueret, an salutationem, quae ibi sub finem cap. V. legitur, sua scripserit manu, ignoramus. Etiamsi vero posterius factum esse statuamus, nunc tamen, ne forte, hic aut illic, epistola posterior ab eiusmodi fraudatore, qualem supra C. II. v. 2. innuit, supposita haberetur, necessarium existimare potuit, ut Thessalonicenses pariter atque Christianos coetuum aliorum epistolam lecturos ad illud originis vere Paulinae indicium *magis attentos redderet.* [Quam parum recte hic ipse locus dubitationem de authentia epistolae II. excitaverit, in prolegg. §. 6. docuimus.] Ceterum vbb. *ἐν πάσῃ ἐπ.* minime demonstrant, quod nonnulli coniecerunt, Apostolum, priusquam hanc ep. exararet, non semel sed saepius litteras dedisse ad Thessalonicenses. Ne hoc quidem necessario sequitur, respicere Paulum ad epistolas nobis incognitas aliis coetibus scriptas, in quibus idem authentiae signum in clausula appareret. Cogitare utique potuit (quod Theophyl. et Oecum. bene observv.) de epistolis, occasione data, in posterum exarandis. Explicandis illis *ὅ ἐστιν σημεῖον* etc. inserviunt seqq. *οὕτως γράφω: sic scribere soleo* (ut *Marci 15, 6. ἀπέλυεν* l. q. dimittere solebat). Operosius in hoc l. explicando versantur, qui existimant, Paulum vel monogrammate, ipsi tantum et Thessalonicensibus cognito, nomen suum delineasse, coniunctis quidem litteris maiusculis *π* et *λ*, posteriori paulo altius erecta, ut simul litteram maiusculam *α* referret (cfr. Grotius ad h. l. et erudita Zeltneri *disput. de monogrammate Pauli* Altorf. 1721. 4. quem uberius refutavit Wolf in curis ad h. l.),

vel in scribenda salutatione singularem litterarum nexum et formam, quam nemo facile imitaretur, adhibuisse. Neque enim constat, aevo apostolico in usu fuisse eiusmodi artificia litterarum, nec verba Pauli talem efflagitant coniecturam. Immo, si vbb. *οὕτως γράφω* simpliciter intellecta cum antecedentibus accurate contuleris, sententia prodit, quam inter vett. Chrysost. Theophyl. Ambros. recentiorum plerique agnoverunt: ecce, litterarum mearum, quibus ipse in scribendo adsuevi, ductus! Non ipsam tantum salutandi formulam sollennem *ἡ χάρις τοῦ κυρίου* etc. (quae in epistolis Pauli modo brevius, modo prolixius enuntiatur), sed *scriptam illam manu ipsius Apostoli* documento authentiae voluit inservire. Utrum Paulus nonnisi eam, quae verba *οὕτως γράφω* excipit, precationem faustam v. 18. *Ἡ χάρις τοῦ κυρίου* etc. ipse litteris consignaverit, prioribus quae ad hoc signum authentiae lectores attentos redderent (v. 17.) adhuc scribae dictatis, an *utrumque* versum manu sua exaraverit, dubium potest videri, quanquam posterius putaverim probabilius. Vocula *ἀμήν* (cfr. ad *I. Thess. 5, 28.* observ.) h. l. in cod. tantum Vatic. et aliis quibusdam libris minoris momenti desideratur. De subscriptionibus, quae in pluribus codd. et verss. obveniunt, hanc epistolam (parum recte, cfr. prolegg. §. 3.) vel Athenis, vel Romae, vel Laodicaeae in Pisidia scriptam perhibentibus, unde in editiones vulgo haec transiit subscriptio: *πρὸς θεσσαλονικεῖς δευτέρα ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν*, idem valet, quod sub finem epistolae I. monuimus.

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM AD GALATAS.

PROLEGOMENA
IN
EPISTOLAM AD GALATAS.

---

§. 1.

Tertio ante Christum saeculo tres populi, quorum duo quidem ad nationem Gallorum pertinuerunt, tertius ad Celtas, ex Thracia, ubi aliquamdiu sedem habuerant fixam, in Asiam minorem traiecerunt, a Nicomede Bithyniae rege invitati, cui opem ferrent adversus Ciboetam fratrem dimicaturo. Quum aliquam Bithyniae partem dono accepissent, et numero et auctoritate atque potentia magnopere increverunt, pro fortitudine sua perpetuaque belli gerendi terrarumque expugnandarum cupiditate, fines imperii sui latius latiusque proferentes, donec ab Attalo Pergami rege superati (a. 240. ante C. N.) Bithyniam relinquere cogerentur, et iuxta Halyn fluvium intra fines sese continere angustiores. Tenebant iam eum terrae tractum admodum fertilem, qui Bithyniae, Phrygiae, Cappadociae, Ponto, Paphlagoniae interiacebat. Unde factum, ut regio illa et Galatia, et, propter Graecos multos his recentibus incolis connubiis iunctos, Gallo-Graecia appellaretur. Quamquam gens bellicosa armorumque perita post cladem ab Attalo inflictam nondum omnino desierat populos regesque Asiae finitimos perturbare, iisque timorem incutere, anno tamen Urbis Cond. 566. (i. e. 188. ante C. N.) Galatae prorsus devicti sunt a Romanis, Cn. Manlio Consule, eorumque imperio ab hoc

inde tempore paruerunt, ita quidem, ut porro suos haberent reges (tetrarchas auctoritate Romanorum regnantes), usque dum Galatia a. 26. ante C. N. per Augustum Caesarem in formam provinciae Romanae redigeretur. Tempore Christi Judaeorum permulti, ipsa terrae fertilitate eiusque situ mercaturae opportuno invitati, Galatiam regionemque circumiacentem adierant, praesertim, quum Augustus Caesar Judaeis ibi versantibus tutelam singularem promisisset (*Josephus antiquitt. Judd.* l. 12. c. 3. §. 4. l. 16. c. 6. §. 2.). Et, quo diutius illi Gallorum Celtarumque priscorum posteri commercio aliorum populorum multiplici usi fuerant, eo magis ipsi didicerant adsuescere moribus gentium cultiorum, suamque religionem patriam iis accommodaverant sacris, quae inter Graecos Asiaticos vigebant. Vd. *Themistii orat.* 23. p. 299. *Libanii ep.* 20. in Wolfii anecd. graec. T. III. p. 289.[1]) *Florus* l. 2. c. 11.

§. 2.

Qui in hac provincia versabatur coetus Christia-

1) Ad historiam Galatiae cognoscendam situmque provinciae illustrandum cfr. ex *graecis* scriptoribus: *Polyb. l. 2. c. 13. sq. Dio Cass. l. 53. p. 514. Strabo l. 4. p. 139. l. 12. p. 390. 394.* ed. Casaub. *Diod. Sic. fragmm. 20, 16. Pausanias Attic. c. 3. c. 4. §. 5.* ex *latinis: Caesar de bello gall. 1, 1. Livius hist. rom. l. 37. c. 8. l. 38. c. 12. sqq. 16. 18—27. 37. 40. Justin. historr. l. 24, c. 4. sqq. l. 25, c. 1. 2. l. 26, c. 2. Plinius hist. nat. l. 5. c. 32. 42.* Inter *recentiores* haec omnia uberius persequuntur: G. Hoffmann *dissert. de Galatia antiqua, Lips. 1726. 4.* Eiusdem *introductio theologico-critica in lectionem epistolarum Pauli ad Gal. et Coloss. Lips. 1750.* Ge. Wernsdorf *de republica Galatarum, Norimb. 1743. 4.* Schulze *de Galatis, Francof. 1756. 1757. 4.* Mannert *Geographie der Griechen und Römer, 6. B. 3. Abtheil. p. 87. sqq.* Hermes *rerum Galaticarum specimen, Vratislav. 1822.* Hug *Einleitung in die Schriften des N. T. 2. Th. Stuttg. u. Tübingen, 1821. ed. II. p. 314. sqq.* P. Mynster *kleine theologische Schriften, Kopenhagen, 1825. 8. p. 51. sqq.*

nus, praeeunte loco *ep. ad Gal.* 4, 13. 19. ex ipsius Pauli institutione oriundus (quod quo tempore factum sit, posthac videbimus, ubi de tempore quo epistola scripta fuerit disputabitur), Christianos utriusque generis, ex Judaeis et Ethnicis, complectebatur. Proinde, quod pluribus ecclesiis mixtis aevo apostolico accidit, ut lites et contentiones orirentur, idem expertus est coetus Galatarum. Prodierant quippe inter Galatas doctores Judaismi studiosiores, placita Judaica ritumque lege ceremoniali praescriptorum observationem exactam Christianis omnibus, sive ex Judaismo sive ex Paganismo ad sacra nova transiissent, strenue iniungentes. Iidemne fuerint, qui coetum Antiochenum (*Actt.* 15, 1. sqq.) perturbarent, aut, qui posthac Corinthi Paulo repugnarent, incertum est. Hellenistas fuisse, non Hebraeos, ex eo recte colligimus, quod, quamvis placita legis cerimonialis iniungerent aliis Christianis, ipsi tamen huic legi parum exacte morem gesserunt testante Paulo ad *Gal.* 6, 13. Cfr. Neander *Geschichte der Pflanzung und Leitung der christl. Kirche durch die Apostel*, Vol. I. (Hamb. 1832.) p. 284. Eiusmodi homines Paulus, cognitione vera sensuque acerrimo libertatis verae Christianae imbutus, ita solebat impugnare, ut eos quidem, qui pro sua cognitione imperfecta et persuasionis imbecillitate religioni sibi ducerent quicquam vel agere vel omittere, quod legibus statutisque Judaeorum ritualibus vel interdictum vel praescriptum esset, mitius tractaret, iisque parcendum esse palam profiteretur (*ep. ad Romm.* 14, 1. sqq. 15, 1. sqq. *I. Corinthh.* 8, 9. sqq. 9, 20. sqq. coll. *Actt.* 16, 3.), in alios vero omnes acerrime inveheretur, qui hoc Judaismo suo temere superbirent, pietatem iactitarent, ceterosque Christianos liberius sentientes vel contemnerent vel odio persequerentur, v. c. ad *Philipp.* 3, 2. II. ad *Corr.* c. 10. c. 11, 13. sqq. *Coloss.* 2, 18. sqq. in ep. ad Gal. pluribus locis. Quanquam Galatae ab ipso Paulo verissi-

mam evangelii institutionem acceperant, effecerunt tamen huius generis doctores ad Judaismum procliviores, artibus variis usi, absente Paulo, ut sermones suos libertati Christianorum repugnantes in animos multorum insinuarent, iisque persuaderent (verba et facta Pauli maligne interpretando, falsasque de eius vita et fatis narrationes spargendo), Paulum non verum esse Jesu legatum, eiusque effatis fidem haud praebendam. Inde factum, ut coetus ille Christianus dissidiis multis distraheretur, haud paucis quippe Judaismo cedentibus, aliis (inter Ethnico-Christianos quidem) libertatem a lege Mosaica acrius defendentibus. Qui rerum Galaticarum status quum Apostolo innotuisset, has litteras ad Galatas dedit, et auctoritatem suam apostolicam et institutionem contra adversarios illos defensurus, pacemque mutuam restituturus. Ac primum quidem C. I. II. summa, qua per Galatas multos a vera evangelii doctrina deflectentes adfectus fuerit, animi aegritudine paucis declarata, de auctoritate sua apostolica loquitur, docetque, se, quanquam olim fervore inconsiderato ad ecclesiam Christi vexandam abreptus fuisset, verum tamen esse Jesu legatum, ab ipso Christo conversum et vocatum, neque per homines sed revelatione de doctrina Christi recte edoctum, ita ut ab omnibus ceteris Jesu legatis Apostolus hac provincia dignus agnosceretur, adeoque Petrum, quum aliquando Judaeo-Christianis severioribus nimis indulgendo parum sibi constitisset, summa orationis libertate coram multis notaret, nemine ei contradicente. Deinde C. III. IV. V, v. 1 — 13. uberius demonstrat, quod prima epistolae parte paucis tetigerat, verissimam esse doctrinam, qua ipse Galatas imbuisset, de lege Mosaica per Christum sublata. Id probaturus *A)* Galatas perpendere iubet, summa, quae iam possideant, beneficia Spiritus divini non lege Mosaica observanda, sed fide Christo praebenda iis contigisse. C. III, 1—5. *B)* ad exemplum Abraami provocat, qui

propter fidem Deo habitam promissa divina de salute posterorum acceperit. C. III, 5—IV, 21. Quod argumentum ita persequitur, ut ex pluribus scripturae sacrae V. T. locis ostendat, hominem omnino non posse lege observanda (ἐξ ἔργων νόμου) sed πίστει Deo reddi probatum, doceatque, illam quae Abraamo divinitus contigisset promissionem lege Mosaica pluribus saeculis post scripta non irritam factam esse, quippe quae legislatio eo tantum consilio accesserit, ut paedagogi instar severioris vitiositatem coërceret, usque dum Christus adpariturus esset, per doctrinam, quae fidem (πίστιν) exigit, laeta nuntiantem, promissa antiquiora eventu plenissimo comprobantem, iis omnibus, qui hucusque legi tanquam servitio fuissent addicti, et puerorum instar paedagogo obtemperassent, libertatem filiorum Dei (perfectissimum Dei amorem, fiduciam, virtutemque laetam inde oriundam, cum servitio illo non amplius commutandam) vindicans. C) Interpretationem narrationis V. T. de Sara et Hagare in auxilium vocat, legis quidem Mosaicae cultores cum Hagare serva eiusque posteris, Christo addictos cum Sara uxore ingenua eiusque posteris comparans, C. IV, 21—31. Denique, his pertractatis, repetita admonitione, qua Galatae libertatem quam impetraverint filiorum Dei fortiter tenere sibique a doctoribus vanis circumcisionem Christianis iniungentibus cavere iubentur (C. V, 1—12.), sedulo adhortatur Galatas, ut libertatem veram Christianam ab illo vitae genere dissoluto, quod legem omnem ac disciplinam spernat, probe distinguant (fuerunt quippe inter Ethnico-Christianos variorum coetuum, qui perperam utrumque cum altero permutarent, offensam haud exiguam praebentes Judaeo-Christianis), ut amorem mutuum sectentur, quo amore omnia contineantur virtutis verae praecepta, ut adfectus malos frangant, dissidia et contentiones fugiant, clementiam et liberalitatem exerceant, et quovis pacto homines sese gerant nulla circumcisione et

disciplina Judaica amplius indigentes. C. V, 13—VI, 1—18. Quanquam nonnulla obveniunt ad intelligentiam potissimum hominum Judaeo-Christianorum accommodate dicta, tanta tamen perspicuitate et gravitate de praestantia summa evangelii, de usu et necessitate temporaria legis Mosaicae, de vera libertate Christiana probe aestumanda disseritur, ut haec epistola recte in documentis habeatur primariis persuasionis vere Christianae.

§. 3.

De *tempore* autem et *loco*, quo scripta fuerit, disputatio est ardua ac difficilis, haud exigua sententiarum diversitate implicata. Conquirenda sunt indicia huius rei in ipsa ad Galatas epistola huc illuc dispersa, pluribusque locis *Actorum App.* ad itinera et fata Pauli spectantibus comparanda (quanquam propter dissensum, qui haud exiguus est, interpretum de nonnullis horum locorum recte explicandis vix sperandum, fore, ut eadem sententia omnibus persuadeatur). In ipso quidem coetu Galatarum fuisse Apostolum, priusquam hae litterae scriberentur, iisque sermonibus suis doctrinam de Christo laeta nuntiantem tradidisse, omnes recte cognoverunt ex loco C. IV, v. 13. sqq. Itemque certum est, in *Actis App.* 16, 6. 18, 23. duplex commemorari iter Apostoli, quo Galatas adierit. Dissentiunt vero, utrum Paulus, antequam litteras ad Galatas daret, *semel* an *saepius* inter ipsos versatus fuerit. Haud pauci quippe, praeeunte Marcione Gnostico Saec. II. (*Epiphan. adv. haerr.* 42, 9.) *paulo post conversionem Galatarum* ad sacra Christiana, quum Apostolus prima vice eos adiisset, hanc epistolam litteris consignatam esse argumentis pluribus evincere studuerunt. Sed iidem in partes diversas abeunt, de tempore conversionis Galatarum disputantes. Nam vulgo quidem Paulus eo itinere, cuius mentio *Actt.* 16, 6. facta est, Galatiam *primum* adiisse ibique do-

cuisse existimatur. Cfr. Michaelis *Einleit. in die göttlichen Schriften des N. B.* Vol. II. p. 1193. sqq. Chr. Schmidt *historisch-krit. Einl. in das N. T.* Vol. I. §. 104. Aliter visum est B. Keilio (*Analekten für das Studium der exeget. und systemat. Theol., herausgeg. von Keil und Txschirner*, 3 *B.* 2. *St. Leipz.* 1816.) haud exiguo ingenii acumine sententiam defendenti, Apostolum eodem itinere prius facto, de quo Lucas *Actt.* 14, 6. breviter exposuerit, regionem quoque Galatarum perlustrasse, eosque prima evangelii cognitione imbuisse, etsi hoc Lucas l. l. silentio transierit. Adsentientes habet Koppium in prolegg. ep. ad Gal. (*N. T. graece perpetua adnotat. illustr. a Koppe Vol. VI. ed. III. cur. Tychsen, Gotting.* 1823. p. 8.) A. Borgerum *interpr. epistolae P. ad Gal. Lugd. Batav.* 1807. *prolegg.* p. 16. Fischerum *comment. exeg. de tempore, quo ep. Pauli ad Gal. scripta fuerit, Longosalissae*, 1808. 4. Guil. Niemeyerum *de tempore, quo ep. ad Gal. conscripta sit, accuratius definiendo, Gotting.* 1827. 4. P. Mynsterum *kleine theol. Schriften, Kopenhagen*, 1825. p. 65. Van Heystium *dissert. theol. de Judaeo-Christianismo eiusque vi et efficacitate, quam exseruit in rem Christianam saeculo primo, Lugd. Batav.* 1828. p. 86. His probatis, epistola paulo post iter illud *Actt.* 14, 6. commemoratum (anno post C. N. 46. aut 47.) scripta esse pluribus interprr. videtur. Dissentiunt item, *qui Paulum in coetu Galatarum bis fuisse* statuunt, priusquam epistola consignaretur. Siquidem, qui coniiciunt, Apostolum quum urbes Lycaoniae et regiones circumiacentes adiret (*Actt.* 14, 6.) Galatiam quoque lustrasse, locum *Actt.* 16, 6. de *secundo* Pauli[2]) itinere quo *Galatas* adierit interpre-

2) Vd. Koppe in l. supra laud. p. 8. Haenlein *Handbuch der Einleit. in das N. T. Vol. III. p. 407. ed II.* Mayer *der Brief Pauli an die Gal. und der 2. Brief an die Thessal. übers. mit Anmerkk. Wien, 1788. 8. p. 11. sqq.*

tantur; ii vero, qui negant, Apostolum *prius* visitasse Galatas, quam teste Luca Actt. 16, 6. fieret, *altera vice* Paulum *seriori* demum tempore hunc coetum adiisse contendunt[3]), quum Antiochia digressus in Galatiam et Phrygiam sese conferret, *Actt.* 18, 23. Qui prius statuunt, coniecturam suam loco *Actt.* 14, 6. superstruere recte non possunt. Dicuntur ibi Paulus eiusque comites Iconio, Phrygiae oppido, relicto in urbes Lycaoniae, Lystram et Derben, regionemque circumiacentem fuga se recepisse. Lystra vero et Derbe Iconio proficiscentibus versus meridiem sitae sunt, Galatia versus septentrionem, nec facile mihi persuadere possum, Lucam regionem circa urbes illas positam (*περίχωρον*) ita commemorasse, ut Galatiam *cogitando* complecteretur. Erudite quidem nuper docuit Mynsterus in libro supra laud. p. 58. sqq. nomen: *Galatia*, ex quo tempore Antonius Triumvir Amyntae, regi Pisidiae constituto, Galatiam quoque et partes quasdam Lycaoniae atque Pamphyliae donasset, haud raro latius patuisse, ut praeter Galatiam proprie sic dictam etiam tractus quosdam finitimos (praesertim Lycaoniae, Pisidiae, Isauriae) complecteretur (vd. *Strabo* l. 12. p. 392. ed. Casaub. *Dio Cassius* l. 49. c. 32. *Plinius hist. nat.* l. 5. c. 27. c. 32.). Eidem sententiae calculum addidit V. Paulus in comment. nuperrime edito: *des Apostel Paulus Lehrbriefe an die Galater — und Römer-Christen, wortgetreu übersetzt mit erläuternden Zwischensätzen und Bemerkungen, Heidelberg*, 1831. 8. mai. p. 26. sqq. qui epistolam nostram a. 47. coetibus Christianis *Lycaoniae et regionis circumiacentis*, quae tempore apostolico ad *Galatiam sensu ampliori* dictam referretur (Christianis *Neo-Galaticis*) scriptam existimat, ideoque, quod Apostolus *Gal.* 4, 13.

3) Vd. Hug *Einleit. in das N. T. Vol. II. p. 319. ed. II.* Eichhorn *Einleit. 3. B. 1. Hälfte, p. 85.* Bertholdt *Einl. Vol. 6. p. 2770. sq.* F. Flatt *Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Galater und Eph., herausg. v. Kling, Tüb., 1828. p. 237. sq.*

innuit, se iterata vice, priusquam hanc epist. scriberet, apud Galatas fuisse, ex narratione Lucae *Actt.* 14, 21. interpretatur, ubi Paulus, postquam ex urbe Lystra per Judaeos ex Antiochia et Iconio huc profectos depulsus Derben adiisset (14, 19.), mox Lystram rediisse perhibetur. Quanquam haec ingeniose et erudite disputantur, quaeritur tamen, an tempore Apostolico hic usus loquendi *in sermone vitae communis* revera obtinuerit, ut sub *Galatis simpliciter dictis* illi *Neo-Galatae* intelligerentur? Id quod effatis, quae laudantur, scriptorum profanorum nondum demonstratum videtur. In libris certe N. F. vix putaverim nomen *Galatae* (alia voce nulla rem accuratius definiente addita) de incolis Lycaoniae usurpatum fuisse, siquidem Lucas *Actt.* 16, 1—6. oppida Lyc. Derben et Lystram, deinde *τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν* separatim commemorat. Cfr. 18, 23. Deinde, quum ex sententia V. Pauli (l. l.) ad illos Neo-Galatas, quibus epistolam scriptam existimat, etiam *Derbenses* pertinuerint, omnino non potuit Apostolus, quum *Gal.* 4, 13. innueret, se *bis* fuisse inter Galatas, de illa re gesta *Actt.* 14, 21. cogitare. Immo, si Apostolus *Derben* quoque ad Galatiam sensu ampliori dictam referebat, Derben profectus pariter atque Lystrae apud Neo-Galatas fuisset. Ceterum recte dubitatur, an loca scriptorum vett. laudata revera hoc docuerint, quod illi inesse existimant, nomen: Galatia, translatum esse ad regiones Lystram et Derben circumiacentes, cfr. Rückert *Commentar über den Brief an die Gal. Leipz.* 1833. p. 297. sq. Quod alia argumenta attinet, quibus probatum iverunt, Apostolum illo itinere (*Actt.* 14, 6.) Galatas convertisse, primum quidem, quod Paulus ep. ad *Gal.* 2, 13. Barnabam commemorat, minime ponit, Barnabam Galatis *de facie* innotuisse, nec demonstrat, hunc Pauli socium (qui praeeunte *Actt.* 15, 36—39. non amplius esset in comitibus Pauli, quo tempore iter faceret, de

quo *Actt.* 16, 6. sermo est), in illo itinere, cuius mentio *Actt.* 14, 6. facta, una cum Paulo Galatiam obisse. Etsi Barnabas his Christianis nunquam de facie innotnisset, de eo tamen tanquam Galatis aliunde (sive rumore et fama, sive ex ipsis Pauli sermonibus) cognito narrare Apostolus poterat. Deinde, quanquam omnino, quae Paulus ep. ad *Gal.* 4, 14. 15. de summa animi laetitia et reverentia dicit, qua olim Galatae ipsum illo tempore *tentatum quidem* σαρκὶ (malis externis adflictum) exceperint, ad ea possint referri, quae *Actt.* 13, 48. de incolis Antiochiae, Pisidiae urbis, religionem Christianam summa animi laetitia amplexis, itemque *Actt.* 14, 19. de gravissimo vitae discrimine narrantur, quod Paulus Lystrae inter Judaeos furore coeco agitatos subiit, lapidibus obrutus (si cum Mynstero l. l. ponatur, Apostolum, litteras ad *Galatas* dantem, hoc nomen sensu illo latiori accepisse); minime tamen his locis comparandis efficitur, *verba Pauli non posse nisi* de eo itinere accipi, cuius narrationem Lucas *Actt.* c. 13. 14. exhibuerit. Sive enim sub illa ἀσθενείᾳ τῆς σαρκὸς et πειρασμῷ ἐν τῇ σαρκὶ (*ad Gal.* 4, 13. 14.) morbum intellexeris, quo Apostolus tum temporis fuerit adflictus, sive vexationes et insidias ab adversariis ei structas, nihil impedit, quo minus Paulum in illo itinere per Galatiam facto de quo *Actt.* 16, 4. 5. 6. sermo est, eiusmodi mala perpessum esse existimemus, etsi Lucas (quem interdum brevitati studuisse nec *omnia* Pauli fata et facta exposuisse constat) hanc rem silentio transierit. Ex ipso quidem Actorum volumine (16, 6. 18, 23.) *duplex* tantum Apostoli iter in Galatiam factum innotuit. Quodsi ad locum posteriorem 18, 23., ubi de Paulo hoc dicitur: διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ Φρυγίαν, ἐπιστηρίζων πάντας τοὺς μαθητὰς, animum probe adverterimus, facile intelligimus, Galatas, *priusquam* Paulus *hoc itinere* Galatiam et Phrygiam lustraret, ad sacra Christiana fuisse conver-

sos, quum profecto dici non posset in persuasione sua *confirmasse* eorum hominum animos, qui omnino nondum ad Christum transiissent. Sequitur, conversionem Galatarum (cuius auctorem Apostolus se professus est, *ep. ad Gal.* 4, 13. sqq. 19.) factam esse, quum *prima vice* (*Actt.* 16, 6.) ad Galatas pervenisset. „At enimvero, inquiunt, illo tempore Paulus et socii festinantius has regiones obierunt, per ipsum Spiritum divinum (testante Luca *Actt.* 16, 6. 7.), *quo minus evangelium ibi praedicarent*, impediti.“ Audiamus ipsum scriptorem. *Διελθόντες δὲ*, ait, *τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν, κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἐλθόντες κατὰ τὴν Μυσίαν, ἐπείραζον κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι.* Tota verborum constructio docet, verba: *κωλυθέντες ὑπὸ — ἐν τῇ Ἀσίᾳ* propius cohaerere, ita ut, quod iis Spiritus divinus intus interdixerit *λαλῆσαι τὸν λόγον*, ad Apostolos in *Ἀσίᾳ* versantes pertineat. Et, quanquam nomen *Ἀσία* latius patet, interdum tamen sensu angustiori de *Ionia* dicitur, *Actt.* 2, 9. 6, 9. 19, 10. 22. al., quo sensu ut h. l. intelligatur, cetera nomina postulant, quae singulas Asiae minoris partes indicant (Phrygia, Galatia, Mysia, Bithynia). Verba autem commatis 6. *διελθόντες δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν* respiciunt haud dubie ad versum 5. universe haec observantem: *αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι ἐστερεοῦντο τῇ πίστει, καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ καθ' ἡμέραν*[4]), satisque probabiliter Lucas v. 4. sub illis

4) Recte hoc observavit Mynster l. l. p. 64. nota, locum laudans similem *Actt.* 14, 24., ubi verba *διελθόντες τὴν Πισιδίαν* ad v. 21. respiciunt. Nolim vero ex his colligere, Paulum in hoc itinere *tantummodo confirmasse* coetus Christianos prius conditos (unde porro sequeretur, Apostolum *alio tempore Galatas convertisse*). Verba quippe *Actt.* 16, 5. *καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ καθ' ἡμέραν*, recte etiam possunt de *novis* coetibus in hoc itinere collectis intelligi. Nec diserte dicit Lucas (quod Mynsterus statuit), Paulum brevissimo tempore hoc iter confecisse.

urbibus, quas Paulus et socii, Derbe et Lystra digressi, *docentes* adiisse dicuntur, etiam urbes Phrygiae et Galatiae (posthac v. 6. commemoratas) intellexisse putatur. Tantum igitur abest, ut locus laudatus neget, Paulum tum temporis docuisse apud Galatas, ut ex tota narrationis serie contrarium cognoscatur. *Postquam vero*, ait, *regionem Phrygiam et Galaticam peragraverant*, (interponitur iam causa, quare tum temporis, Phrygia relicta, Ioniam non adierint, sed aliam inierint viam) *quum per Spiritum divinum prohibiti essent, quo minus in Asia* (κατ' ἐξοχὴν dicta) *sermonem divinum traderent, versus Mysiam delati, Bithyniam proficisci constituerunt.* Quae cum ita sint, alterutrum statuas necesse est, epistolam ad Galatas vel paulo post illud primum iter (*Actt.* 16, 6.) in Galatiam factum litteris esse consignatam (anno 52. s. 53.), vel, quum altera vice hunc coetum adiisset (*Actt.* 18, 23.). Posterius praeter alios recte tuentur Eichhorn *Einl. Vol. III.* p. 85. Hug *Einl. Vol. II.* p. 319. *ed. II.* Bertholdt *Einl. Vol. VI.* p. 2769. sq. Winer: *Pauli ad Galatas epistola graece perpetua adnot. illustravit, Lips.* 1828. 8. *ed. II. prolegg.* §. 2. De Wette *Lehrbuch der Einl. in das N. T. Berlin*, 1826. p. 231. Hemsen *der Apostel Paulus, vier Bücher, herausgeg. von F. Lücke, Göttingen*, 1830. p. 239. Praeeunte enim loco ipsius epistolae c. 4. v. 13. οἴδατε δὲ, ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, Apostolus omnino *bis* inter Galatas fuisse et docuisse existimandus est, priusquam hae litterae scriberentur. Quum notio universa temporis praeteriti satis perspicue iam indicata esset voce εὐηγγελισάμην, non erat, quod scriptor adderet τὸ πρότερον, nisi, ut commorationem suam inter Galatas *priorem* et *posteriorem* distingueret. Neque cum B. Keilio existimaverim, voculam πρότερον eo referri posse, quod Apostolus, qui hucusque *semel* adiisset Galatas, iisque *ore* expo-

nisset evangelium, iam *altera vice* eos *hac ipsa* adeat *epistola*. In libris quippe N. T. εὐαγγελίζεσθαι semper dicuntur, qui *ore* tradunt doctrinam laeta nuntiantem. Nec patet, quomodo haec epistola, quae cognitionem totius de Christo doctrinae Galatarum coetui alio tempore suppeditatam ponit, neque nisi hoc agit, ut errores refutentur perfectiori Christianorum cognitioni et libertati verae evangelicae repugnantes, dici potuerit altera vice εὐαγγελίζεσθαι. Non probassent, opinor, interpretes laudati hanc loci explicandi rationem, nisi argumentis, quae sententiam de epistola ad Galatas paulo post *primum* Apostoli iter in Galatiam factum litteris consignata commendare viderentur, nimium tribuissent. Ac primum quidem provocatum est ad verba huius epistolae 1, 6. ubi Paulus se mirari profitetur, quod Galatae ab incorrupta et vera evangelii doctrina, sermonibus doctorum Judaismi studiosiorum decepti, οὕτω ταχέως ad errores deficiant. Existimant quippe, hoc ταχέως ad conversionem respicere Galatarum, nec Paulum, si diutius post conversionem illam, quum altera vice inter Galatas fuisset, hanc epistolam ad coetum illum dedisset, *eiusmodi phrasi* adhibenda defectionem eorum notare potuisse. Verum ut taceam, Christianos, qui ante *decem* vel *duodecim annos* ad Christum conversi posthac errores amplexi fuerint ab indole vera evangelii alienos, haud inepte dici *mox* defecisse (ratione quidem aliorum Christianorum habita, qui diutius in professione doctrinae incorruptae stetissent); ne certum quidem est, Apostolum haec ita enuntiasse, ut ad conversionem Galatarum respiceret. Quanquam ταχέως haud raro adhibetur, ubi de termino temporis cogitatur, quo elapso aliquid acciderit aut futurum sit (*I. Corr.* 4, 19. *ad Philipp.* 2, 19. 24.), non ubique tamen ad eiusmodi terminum refertur, sed etiam de eo usurpatur, qui aliquid facit *sine mora* (*Luc.* 16, 6.) sive *festinanter* (*Jo.* 11, 31.) ita ut subinde adiunctam

habeat cogitationem praecipue spectandam hominis *praepostere* agentis (1. ad *Timoth.* 5, 22.). Mirari omnino Apostolus poterat, quod Christiani illi, quum doctores vani eos adiissent, tam *celeriter* et *praepostere* aures iis praebuerint. Alia eiusdem epistolae effata eos tanquam homines describunt, qui diutius, *antequam doctores vani prodiissent,* veritatis professionem fidam et incorruptam laudabiliter tenuerant, c. 3, v. 3. sqq. c. 5, v. 7. Monuerunt porro, silentii, quo Paulus in hac epistola decretum apostolicum Hierosolymis sancitum de circumcisione aliisque statutis legis Mosaicae non iniungendis hominibus Ethnico-Christianis (*Actt.* c. 15.) omiserit, causam deesse idoneam, nisi epistola *ante* conventum, qui Hierosolymis fuit, apostolicum (peracto illo Pauli itinere in *Actis* App. 14, 6. enarrato, quo tempore plures, ut supra vidimus, coetum Galatarum conditum esse coniecerunt) scripta existimetur. Concedimus, Apostolo per totam fere epistolam in libertate Christianorum a iugo legis Mosaicae defendenda strenue elaboranti id maxime promtum fuisse videri (si epistola *post* conventum apostol. scriberetur), ut ad auctoritatem decreti Hierosolymitani provocaret. Attamen neque consilium epistolae primarium neque argumentationis, qua utitur, series commemorationem huius decreti ea *necessitate* efflagitat, qua iubeamur de itineribus Pauli in Galatiam factis atque de tempore, quo litteris Galatas adierit, sententiam amplecti ex loco *Actt.* 14, 6. minime probandam. Galatis quippe haud dubie probe innotuerat, quod Hierosolymis auctoritate Apostolorum fuerat sancitum, quum Paulus eiusque comites, plures Asiae minoris civitates itineribus peragrantes, diligenter iis tradidissent *φυλάσσειν τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ*, *Actt.* 16, 4. Jam vero experiundo cognoverat Apostolus, eos Galatarum, quos hac epistola maxime notandos et corrigendos putavit, auctoritate illius decreti

minime impeditos esse, quo minus doctoribus falsis circumcisionem Christianis iniungentibus aures praeberent obsequiosas. Quid igitur erat, quod vel edoceret Galatas de re notissima, vel auctoritatem decreti amplius exponeret? Malebat praeter suam ipsius, Apostoli doctorisque Galatarum, auctoritatem alia proferre argumenta, quae animos illorum hominum gravius pungerent; praesertim quum ne acquiesceret quidem in ea sententia probanda, quae decreto Hierosol. fuerat constituta (*non totam* legem Mosaicam iniungendam esse cultoribus Christi ex paganis), sed libertatem Christianorum omnium ab universa lege cerimoniali graviter assereret. Existimarunt item, quaecunque Paulus in hac epistola de Christianis ad Judaismum proclivioribus enuntiaverit, ab illa differre *mitiori* de his rebus sentiendi ratione, quam idem Apostolus *post* conventum Hierosol. aliquamdiu fuerit sequutus. Narratur enim Apostolus, postquam conventui Hierosol. (*Actt.* c. 15.) interfuerat, curasse, ut Timotheus comes suus, patre graeco natus, circumcideretur in gratiam Judaeorum, qui regiones Phrygiae et Pisidiae incolerent (*Actt.* 16, 3.), itemque seriori tempore, propter Judaeos aegre ferentes, quod Paulum audiissent defectionem a lege Mosaica docere Judaeos, ritus sacros observasse illo tempore iis observandos, qui voto sollemni essent obstricti, *Actt.* 21, 20—26. Contra *ad Gal.* 2, 14. sqq. quam graviter Petrum reprehenderit, qui aliquando iugum legis cerimonialis imponere voluisset hominibus Ethnico-Christianis, ipse profitetur, docetque 5, 2. doctrinam de Christo Galatas, si doctoribus vanis circumcisionem commendantibus obsequuti fuerint, nihil esse iuvaturam. At, quo tandem iure ex locis laudatis colligas, Paulum diversis temporibus aliam omnino fovisse de pretio circumcisionis rerumque Judaicarum sententiam, aliamve notionem libertatis Christianae? Audiamus Paulum I. ad *Corinthh.* 9, 20. sqq. libere haec profitentem: *καὶ ἐγενόμην τοῖς*

Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, ἵνα Ἰουδαίους κερδήσω· τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον κερδήσω· τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, ἵνα κερδήσω ἀνόμους. Ἐγενόμην τοῖς ἀσθενέσιν ὡς ἀσθενής, ἵνα τοὺς ἀσθενεῖς κερδήσω etc. Quippe haec fuit prudentia Apostoli perpetua, ab honestate et constantia haud seiuncta, ut, quotiescunque cum Judaeis ageret, veritati non pertinaciter repugnantibus, sed, quo minus statim totam legem cerimonialem missam facerent, imbecillitate quadam impeditis, eosque, ad tempus aliquid concedendo diuturnae eorum consuetudini, veritati Christianae facilius conciliari posse intelligeret, in eiusmodi rebus externis accommodationem sapientem nec sibi nec aliis denegaret, sed, quo maiori pertinacia et arrogantia Judaeo-Christiani suum legis cerimonialis retinendae hominibusque Ethnico-Christianis iniungendae studium prae se ferrent (quales in coetu Galatarum prodierant), eo minus iis cederet, eoque maiori fervore et circumcisionem et alia eiusmodi statuta impugnaret. Ex his igitur effatis nihil colligi potest ad tempus, quo epistola scripta fuerit, definiendum. Idem de loco valet *ep. ad Gal.* 2, 11. sqq., cui plures sententiam de epistola ante conventum Hierosol. scripta propterea superstrui volunt, quod parum probabile sit, Petrum, qui ipse in conventu illo sententiam liberiorem professus ad dicendum surrexisset (*Actt.* 15, 7. sqq.), posthac metu quorundam Judaeo-Christianorum (*ad Gal.* 2, 12.) religioni sibi duxisse, cum Christianis comedere non circumcisis. Etsi enim concessum fuerit, quae Paulum inter et Petrum (loco laud. ep. ad Gal. praeeunte) Antiochiae gesta fuerint, accidisse ante conventum apostolicum; eodem tamen iure quaeri possit, quomodo idem Petrus, qui pridem ante conventum Hierosolymitanum, viso divinitus sibi oblato, perspicue cognovisset, doctrinam evangelicam hominibus non circumcisis pariter atque circumcisis esse tradendam (*Actt.* c. 10. c. 11.), idem, inquam, qui cum Barnaba

et Paulo (*ep. ad Gal.* 2, 9.) de eo consensisset, ut Barnabas quidem et Paulus *Ethnicis*, Petrus Jacobus et Joannes Judaeis ad Christum convertendis operam suam addicerent, posthac, ubi Antiochiae versaretur, se ita subduxerit et segregaverit a Christianis non circumcisis, ut reprehensionem Pauli incurreret? Quum Petrus satis diu omnino dubitasset de hominibus non circumcisis in coetum cultorum Christi recipiendis, facile fieri poterat, ut, quanquam meliora edoctus *pro sua ipsius persuasione* Ethnicos Judaeis pares haberet, Antiochiae tamen (sive huc venisset ante, sive post conventum Hierosolymitanum), ubi Judaeo-Christianos severiores opinioni Petro olim probatae acriter inhaerentes cognovisset, ad eorum studia *aliquamdiu magis se accommodaret*, quam, quod Paulo illo potissimum loco et tempore probaretur. Ceterum Paulus loco laud. de tempore, quo Petrum Antiochiae palam notaverit, nihil definiit, nec video, quid Apostolum seriori aetate post secundum iter Galaticum hanc epistolam exarantem prohibere potuerit, quo minus illius, quae olim ipsum inter Petrumque fuisset, controversiae Antiochenae (etsi iam *ante* conventum Hierosol. accidisse existimetur) in hac orationis serie mentionem iniiceret.

§. 4.

Diversissime autem in utramque partem disputatum est de eo temporis, quo Paulus litteras ad Galatas dederit, indicio, quod c. 2. v. 1. continetur: ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἰεροσόλυμα etc. Ex quo tempore Paulus Christo nomen dederat, *quater* profectus est *Hierosolymas*, *primum* anno post conversionem tertio (*Actt.* 9, 26. *ad Gal.* 1, 18.), *deinde*, quum beneficia, quibus inopiae Christianorum in Judaea versantium annona ingravescente succurreretur, Antiochiae collecta Hierosolymas deferret, comite Barnaba (*Actt.* 11, 29. 30.), *tertia vice*, ut conventui in-

teresset apostolico (*Actt.* c. 15.), *denique* paulo ante captivitatem Romanam (*Actt.* 21, 15.). Quaeritur, utrum, quod Paulus ep. ad Gal. l. l. ab illo itinere primo Hierosolymitano vocula πάλιν distingueret, *secundum* iter intellexerit, an *tertium?* Utrumque erudite defensum est. De *secundo* itinere Hierosolymitano haec verba interpretati sunt, praeter alios, B. Keil (in diario: *Analekten* loco supra laud. cfr. eiusdem *opuscula acadd. coll. et ed. Goldhorn*, *Lips.* 1821. p. 160. sqq. p. 351. sqq.) Eichhorn *Einl. in d. N. T.* 3. *B.* 1. *Hälfte*, p. 31. Süsskind: *neuer Versuch üb. chronologische Standpunkte für die Apostelgeschichte* etc. in promptuario: Bengel *Archiv für die Theologie* 1. *B.* 1. *St. Tübingen*, 1815. p. 157. sqq. Gabler *neues theolog. Journal B. XIII.* 2. *St.* (1799.) p. 209. sqq. Küchler *de anno, quo Paulus Apostolus ad sacra Christiana conversus est, Lips.* 1828. p. 27. sqq. Flatt in l. nota 3. laud. p. 33. sqq. De *tertio* cogitari maluerunt, praeter patres veteres (v. c. Irenaeum *adv. haeres.* 3, 13.) ex recentioribus: I. Pearson *annales Paul. p.* 18. *ed. Hal.* Semler *prolegg. in paraphr. ep. ad Galatas Hal.* 1779. 8. p. 66. sqq. idemque in *dissert. de tempore, quo scripta fuerit Pauli ep. ad Gal. Hal.* 1768. Koppe in comment. supra laud. Vogel *Versuch über chronologische Standpunkte in der Lebensgeschichte Pauli im Journal für auserlesene theol. Litteratur v. Gabler*, 1. *B.* 2. *St.* 1804. Haselaar *de nonnullis Actorum App. et epistolarum Paulinn. locis ad hist. Pauli pertinentibus*, 1806. Chr. Schmidt *Chronologie der Apostelgeschichte*, in *den Analekten f. das Studium der exeget. und systemat. Theolog. von Keil und Txschirner* 3. *B.* 1. *St.* 1816. Borger: *interpretatio epistolae Pauli ad Galatas, Lugduni Batav.* 1807. 8. *prolegomm.* Hug *Einl. in das N. T. Vol. II. p.* 274. sqq. ed. II. Winer exc. II. editionis suae ep. ad Gal. supra laud.

Hemsen in l. l. *der Apostel Paulus etc.* p. 54—69. Auctor commentationis: *über den Aufenthalt des Apostel Petrus in Rom: theolog. Quartalschrift herausg. von Drey, Herbst, Hirscher u. s. w.* Jahrg. 1820. 4. H. p. 579—590. F. Flatt *Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Galater und Ephh. herausg. von Kling*, p. 32—48. Si locus laudatus de *tertio* itinere *Hierosolym.* intelligendus est, sequitur, epistolam *post* conventum apostolicum (*Actt.* c. 15.) litteris consignatam esse (sive post primum iter Pauli *in Galatiam* factum *Actt.* c. 16. sive post secundum *Actt.* 18, 23. commemoratum scripta existimetur), eorumque coniecturam salvam stare non posse, qui, locum *Actorum* 14, 6. de eiusmodi Pauli itinere quod ad Galatiam quoque pertinuerit minus recte (ut vidimus) interpretati, Apostolum, priusquam conventui apostolico interesset, litteras ad Galatas dedisse contenderint. Sin verba Pauli *ad Gal.* 2, 1. non possunt nisi de *secundo* itinere Hierosol. intelligi, omnino desideramus in hac epistola commemorationem itineris tertii; unde, quum parum probabile sit, Apostolum, si post conventum Hierosol. hanc epistolam exararet, huius potissimum itineris (*Actt.* c. 15.) prae ceteris memorandi mentionem nullam iniecisse, haud exiguum pondus accedere videatur coniecturae illi de consignatione epistolae paulo post iter illud *Actt.* 14, 6. enarratum facta. Expendamus paucis argumenta, quae plures moverunt, ut loco land. de itinere *secundo* sermonem esse contenderent. *a)* Quum Paulus *ad Gal.* 1, 18. de itinere Hierosolym. *primo* loquutus fuisset, nihil magis in promtu positum esse videbatur, quam, ut temporum rationes sequutus c. 2. in verbis: ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν etc. ad iter *secundum*, non tertium, pergeret. *b)* Quemadmodum Paulus, quum altera vice Hierosolymas proficisceretur, teste Luca *Actt.* 11, 30. comitem habuit Barnabam, ita ipse ad *Gal.* 2, 1. Barnabam dicit Titumque ipsum Hierosolymas abeuntem

esse comitatos. *c)* Quod Paulus *ad Gal.* 2, 2. Hierosolymas se profectum esse profitetur revelatione admonitum divina (*κατ' ἀποκάλυψιν*), consentit iis, quae *Actt.* 11, 28. sqq. de Agabo propheta narrantur, impetu divino famem magnam mox orituram vaticinato, quae fames quum exstitisset, Paulus et Barnabas beneficia collecta Hierosolymas deportarunt. *d)* Enarrat Apostolus *ad Gal.* 2, 9. se Barnabamque dextris datis cum Petro, Jacobo, Joanne hoc pepigisse, ut ipse quidem et Barnabas gentilibus, illi vero Judaeis potissimum doctrinam de Christo traderent. His plane consentit, quod Lucas in *Actis* postquam c. 11. ex. de secundo Pauli itinere Hierosol. dixerat, c. 12. v. 25. c. 13. in. testatus est, Paulum Barnabamque Hierosolymis digressos esse ad gentiles convertendos. *e)* Quod Paulus *ad Gal.* 2, 10. addit, ipsum Barnabamque a ceteris Apostolis admonitos esse, ut, quamvis gentilibus potissimum convertendis operam suam addicerent, curam tamen gererent pauperum, qui inter Judaeos essent, ex iis optime illustratur, quae Lucas *Actt.* 11, 29. de consilio itineris Pauli Hierosol. secundi exposuit. Haec omnia vero, iterum iterumque explorata, ad rem probandam sufficere non videntur; nec desunt, quae sententiam contrariam magis commendent. *a)* Consilium, quo Paulus ea commemoravit, quae *c.* 1. 2. *ep. ad Gal.* leguntur, minime efflagitabat, ut omnia, quibus hucusque Hierosolymas adiisset, itinera persequeretur. Nolebat quippe h. l. vitae suae fata et vicissitudines enarrare. Immo, quae hac de re attulit, propterea attulisse existimandus est, ut documentis quibusdam praecipue insignibus partim comprobaret, veram cognitionem et persuasionem Christianam neque per ceteros apostolos, neque omnino aliorum hominum ope, sed revelationis divinae beneficio sibi contigisse, partim se ceteris apostolis auctoritate parem ab iisque verum Christi legatum agnitum esse ostenderet. Proinde silentii, quo Apost. iter secundum transierit, cau-

sam adferre licet duplicem; sive Paulus, quum beneficia Antiochiae collecta Hierosolymas deportasset (*Actt.* 11, 28. sqq.), nonnisi huic negotio pecuniae recte distribuendae vacasse, *neque omnino cum apostolis* (quorum unus, qui praecipue ad τοὺς δοκοῦντας *Gal.* 2, 2. pertinuit, Petrus, illo tempore aliorsum abiit *Actt.* 12, 17.) *de sua evangelii praedicatione disseruisse*, sive commemorationem huius itineris secundi propterea omisisse existimetur, quod properaret ad graviora de itinere serius facto dicenda. Id enim haud dubie maxime curae cordique fuit Apostolo, ut exponeret, quomodo *seriori aetate*, provincia apostoli τῶν ἐθνων *diutius* cum successu prosperrimo administrata, laborum suorum rationem reddiderit coram toto Apostolorum coetu Hierosolymis (*Actt.* c. 15.) congregato, eorumque suffragiis comprobatus fuerit legatus Christi ad gentiles potissimum convertendos divinitus vocatus (*Gal.* 2, 7. sqq.). *b)* Quae Paulus ad *Gal.* 2, 1. de *duobus* perhibet itineris sui comitibus, Barnaba et Tito, loco *Actt.* 11, 30. unum Barnabam Pauli comitem commemoranti minus accurate conveniunt quam loco *Actt.* 15, 2. de tertio itinere Hierosol. haec testanti: ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν etc. *c)* Quod Lucas 11, 28. de Agabo famem magnam vaticinante enarravit, multum differt ab eo, quod Paulus *ad Gal.* 2, 2. se κατὰ ἀποκάλυψιν (revelatione, quae *sibi* divinitus contigisset, admonitum cfr. *ad Ephes.* 3, 3.) Hierosolymas abiisse adfirmat, potestque hoc posterius per se spectatum de itinere secundo pariter ac de tertio intelligi. *d)* Ex verbis Apostoli *ad Gal.* 2, 9. colligi non potest, Paulum non prius constituisse Ethnicis potissimum edocendis operam dare, quam hac de re Paulum Barnabamque inter et Petrum Jacobum Joannem veluti foedus sollenne fuisset sancitum. Dicere enim profecto non potuisset, quae ib. v. 7. legimus, *ceteros probe intellexisse*, ipsi (Paulo) concreditam esse provinciam evangelii homini-

bus non circumcisis tradendi, nisi iam antea sese gessisset Ethnicorum Apostolum. Talem utique iampridem se gerere potuerat, priusquam secunda vice (*Actt.* 11, 30.) Hierosolymas proficisceretur, et Antiochiae (*Actt.* 11, 26. sqq.), et in Cilicia, *Actt.* 9, 30. *Gal.* 1, 21 sqq. Proinde, quod Paulus cum sociis *Actt.* c. 13. in varias Ethnicorum terras profectus esse ibique docuisse narratur, minime impedit, quo minus ea, quae *ad Gal.* 2, 9. de foedere sollenni Paulum Barnabamque inter et Petrum Jacobum Joannem sancito leguntur, seriori tempore accidisse putemus, quum Apostolus *tertio* itinere (*Actt.* c. 15.) Hierosolymas adiisset. Immo posterius probabilitate summa statuitur. Illa enim, quae teste *ep. ad Gal.* 2, 7. in animis ceterorum Apostolorum (Petri, Jacobi, Joannis) excitata fuerat persuasio de provincia Ethnicos ad Christum convertendi Paulo potissimum divinitus demandata, *eiusmodi documenta* ponebat, ubique cognita, huius vocationis divinae huiusque facultatis Apostolo concessae, qualia Paulus in iis maxime itineribus, quorum narrationem *Actt.* c. 13. et 14. exhibet, ante tertium iter Hierosolymitanum, palam ediderat. Cfr. potissimum *Actt.* 14, 27. Quo tempore Paulus ab ecclesia Antiochena propter beneficia inter pauperes distribuenda Hierosolymas mittebatur (*Actt.* 11, 30.) *initium tantum* fecerat evangelii praedicandi. *e)* Preces illae seu admonitiones, quibus ceteri Apostoli (*ad Gal.* 2, 10.) Paulum Barnabamque cohortati sunt, ut pauperum inter Judaeos memores essent, ad universam respiciebant, quae ab hoc inde tempore futura esset, eorum muneris administrandi rationem. Argumentum certe desideramus, quo probetur, non posse haec nisi de illa beneficiorum distributione, cuius causa iter Pauli Hieros. secundum (*Actt.* 11, 30.) fieret, intelligi. *f)* Ceterum tota, quae *ad Gal.* 2, 2. sqq. exhibetur, narratio rerum Pauli ceterorumque Jesu legatorum tum temporis Hierosolymis gestarum, prorsus consentit iis, quae

Actt. c. 15. de tertio dicuntur Pauli itinere Hierosolymitano. Exposuisse se Apostolus profitetur ceteris Jesu legatis doctrinam laeta nuntiantem, qualem hucusque inter gentes praedicasset v. 2. ceterosque ipsum gentilium doctorem agnovisse v. 7. sqq. Cfr. *Actt.* 15, 4. *παραγενόμενοι δὲ εἰς Ἰερουσαλὴμ* (Paulus et Barnabas) *ἀπεδέχθησαν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων, ἀνήγγειλάν τε ὅσα ὁ θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν*, coll. v. 12. sqq. Enarrat item Paulus *ad Gal.* 2, 3. illo tempore ne Titum quidem, comitem suum natalibus graecum, circuncidi coactum esse. Cfr. *Actt.* 15, 10. Petrus libere profitetur, magnopere eos errare, Deum veluti sollicitantes, qui iugum legis Mosaicae cervici hominum Ethnico-Christianorum imponendum existiment. Eidem sententiae liberiori Jacobus calculum addit v. 19. sqq. decernuntque Apostoli et Presbyteri Hierosolymis congregati epistolam dare ad coetum Antiochenum, cuius auctoritate palam et rite declararetur, eos, qui ex paganismo ad Christum transiissent, nec circumcisioni, nec plerisque ceterorum legis cerimonialis praeceptorum obstringendos esse, v. 22. sqq. *Ad Gal.* 2, 4. homines commemorantur, qui, speciem tantum Christianorum prae se ferentes, nec vera pietate et sapientia Christiana imbuti (Judaismi quippe studiosiores), dolose intraverant coetum, ut libertati evangelicae insidias struerent. Cfr. *Actt.* 15, 1. *Καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφούς· ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι.* coll. v. 5. Accedit, quod Paulus *ad Gal.* 2, 11. postquam de iis dixerat, quae Hierosolymis gesta fuerant, de controversia agit, quae ipsum inter Petrumque *Antiochiae* fuit. Cfr. *Actt.* 15, 30. Paulus et Barnabas, Hierosolymis dimissi, Antiochiam venisse dicuntur. Denique quum Paulus Hierosolymis negotio fungebatur, inopiam pauperum tempore calamitoso sublevandi pecunia in coetu Antiocheno collecta, etiamnum Barnabam veluti

ducem habebat et antesignanum, quippe qui paulo ante Apostolum recens conversum et Christianis Hierosolymitanis (*Actt.* 9, 26. sq.) ita commendaverat, ut sibi persuaderent, eum re vera toto animo ad sacra transiisse Christiana, et in ecclesiam Antiochenam introduxerat (*Actt.* 11, 25.). Cfr. *Actt.* 11, 30. ubi nomen Barnabae locum obtinet *priorem*, Σαύλου posteriorem. Contra, quae Paulus *ad Gal.* c. 2. de itinere Hierosolym. rebusque illo tempore gestis exposuit, utique docent, iam potiorem fuisse Pauli auctoritatem. Quod scite monuit Hemsen l. l. p. 68. His de causis non dubito ad partes eorum accedere, qui Paulum *ad Gal.* 2, 1. de *tertio potissimum* itinere Hieros. (Actt. c. 15.) cogitavisse, nec ante conventum Hierosol. hanc epistolam consignatam esse contendunt. Ceterum, nisi iis interpretibus, qui maxime in eo offendunt quod Apostolus iter secundum Hierosol. (*Actt.* 11, 30.) in ep. ad Gal. silentio transiisse existimetur, prorsus satisfaciant, quae supra de causa omissionis probabili disputata sunt, alia quoque in promtu est difficultatis expediendae ratio. Nisi omnia me fallunt, verba Pauli *Gal.* 2, 1. ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν etc. de *duobus illis Apostoli itineribus Hierosolymitanis*, quorum prius (*Actt.* 11, 30.) *cum Barnaba* (*Gal.* 2, 1. μετὰ Βαρνάβα), posterius (*Actt.* 15, 2.) *cum eodem aliisque* fecit, in quorum numero tum temporis Titus fuisse satis probabiliter existimatur (*Gal.* 2, 1. συμπαραλαβων καὶ Τίτον), *simul intelligi possunt;* dummodo et διὰ δέκατεσσ. ἐτῶν vertere malueris: intra quatuordecim annos, im Verlaufe von 14 Jahren (cfr. de hoc usu praepos. διὰ *Actt.* 1, 3. 5, 19. 23, 31. *Hebrr.* 2, 15.), et de vocula πάλιν tenueris, eam haud raro ad eiusmodi rem referri, quae *iterum iterumque* gesta sive gerenda cogitetur, *Matth.* 20, 5. *Jo.* 4, 13. 12, 28. Sensus: deinde, elabentibus quatuordecim annis, iterata vice me contuli Hierosolymas, cum Barnaba quidem, (posthac) adsumto etiam Tito. Sermone usus

admodum conciso illius itineris secundi cum Barnaba solo facti mentionem iniecit obiter (sive non amplius memoria teneret annum itineris secundi, sive accuratiorem temporis significationem h. l. parum necessariam iudicaret poneretque, utriusque itineris discrimen aliunde iam innotuisse lectoribus suis), properaturus, ut supra diximus, ad ea quae de itinere tertio essent dicenda. Restat, ut paucis respondeamus quaestioni variis difficultatibus implicitae ac diversimode disputatae de illis *quatuordecim annis Gal.* 2, 1. recte computandis. Utriusque enim generis interpretes, et qui secundum, et qui tertium iter Hierosolym. loco laud. intelligi volunt, initium horum 14 annorum vel ab ipsa conversione Pauli ad sacra Christiana duci volunt, vel ab itinere Apostoli Hierosolymitano post conversionem primo (*Actt.* 9, 26. *Gal.* 1, 18.). Utrum praeferri debeat ita videamus, ut, quae prae ceteris sint perspicua, computationis rectae annorum Pauli vestigia sequamur. Quanquam narratio, quam Acta App. exhibent, conversionis Pauli nullum profert ipsius anni quo accidit indicium, verissime tamen adfirmamus, Apostolum nec eodem anno, quo Jesus Christus terra discessisset (i. e. aerae vulgaris a. 33.), nec primis statim annis post abitum Servatoris ad sacra Christiana transiisse. Adscensionem quippe Servatoris inter et Pauli conversionem permulta alia acciderunt, in *Actis* c. 1. v. 12 — c. 9. enarrata. Quorum eventuum seriem longam quominus unius anni spatio complectamur praeter indolem rerum expositarum etiam hoc impedit, quod eiusmodi observationes scriptoris universe enuntiatae, quales c. 2. v. 42. sqq. c. 4. v. 32. sqq. c. 5, v. 42. c. 6. v. 7. obveniunt, haud obscure longiorem innuunt temporum decursum. Nec probabile dixerim, Paulum, scholae Gamalielis Pharisaei Hierosolymitani traditum (*Actt.* 22, 3.), *brevissimo temporis spatio* tantam acquisivisse theologiae Judaicae cognitionem, quantam in hoc fuisse Apostolo sermones

eius et scripta docuerunt. (Illi vero Gamalielis disciplinae recte existimatur post abitum demum Christi traditus esse, siquidem nec in sermonibus nec in epistolis Pauli vestigium apparet, quod significet Apostolum, quamdiu Christus in his terris viveret, Hierosolymas venisse, ipsumque Servatorem de facie cognovisse.) Cfr. Küchler comment. supra laud. *de anno, quo P. ad sacra Christ. conversus est* p. 8. sqq. Teneamus igitur, aliquot certe annos ab eo inde tempore, quo Christus terra discederet, ad conversionem usque Pauli esse elapsos. Consulamus porro effata *II. Corr.* 12, 1—4. 11, 32. sq. Priori quidem loco testatur Apostolus, *ante hos quatuordecim annos* visionem (ὀπτασίαν, ἀποκάλυψιν) sibi a Domino contigisse, cuius haec esset indoles, ut ad tertium coelum, ad paradisum abreptus sibi videretur, audiretque verba ineffabilia. Quaeritur primum, *quo tempore* Paulo ea contigerit patefactio, cuius memoriam gratam h. l. celebraret. Argumentis utuntur haud contemnendis, qui Apostolum h. l. vel de iis cogitasse existimant, quae ipsius conversionis tempore, quum propius ad Damascum urbem accederet, vidisset et audiisset (*Actt.* 9, 3. sqq.), vel (quod alii rectius statuunt propter verba Apostoli: οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ) de visionibus et patefactionibus *statim post conversionem* (*Actt.* 9, 12.) ipsi oblatis. Cfr. B. Keil *dissert. de Paulo* πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων ἁρπαγέντι *etc. Lips.* 1816. 4. in eius *opusculis acadd. ed. Goldhorn, Lips.* 1821. p. 318. sqq. *Epistola Pauli ad Corr. posterior graece perpetuo comment. illustravit* Emmerling *Lips.* 1823. *prolegg.* p. 16. sqq. Matthaei: *der Religionsglaube der Apostel Jesu*, 1. *B. Göttingen*, 1826, 8. p. 610. sqq. Malim tamen cum Schradero: *der Apostel Paulus T. I. Leipz.* 1830. p. 57. sqq. eam intelligere visionem, qua Paulus testante *Actt.* 22, 17. sqq. quum Hierosolymas adiisset post conversionem anno fere tertio (*Gal.* 1, 18.) in templo Hierosolymitano de munere *Gentilis* potissimum

convertendi sibi prae ceteris demandato ita edoctus est, ut fiduciam inde caperet singularem. Verba quippe *II. Corr.* 12, 2. sic intellecta, temporis ratione habita, commodissime excipiunt locum c. 11. v. 33. ubi Apostolus paucis narraverat, quo pacto ex urbe Damasco (qua relicta statim Hierosolymas adiit) salvus incolumisque evasisset. Poteratque omnino Apost. verissime appellari ἄνθρωπος ἐν Χριστῷ, postquam inter Judaeos Damascenos vexationes evangelii causa perpessus fuerat. Dissentiunt item de tempore, quo Pauli ad Corinthios epistolae (quarum posteriorem, paucis mensibus interiectis, priorem excepisse fere consentiunt) litteris consignatae fuerint, aliis quidem ad annum 55. aut 56. post C. N. aliis ad a. 57. vel 58. vel 59. utramque epistolam referentibus. *Ante* annum 55. aut 56 scriptas fuisse, nemo, quantum meminimus, coniecit. Argumenta satis, opinor, explorata suadent ut de anno 56. cogitemus. Cfr. *Isagoge mea historico-critica in libros N. F. sacros* §. 55. 56. p. 234—238. Quodsi concedimus, visionem illam Paulo in templo Hierosolymitano oblatam (*Actt.* 22, 17. sqq.) accidisse anno quarto decimo *ante* a. 56. quo hanc ep. Corinthiis scriberet, sive hic annus 56. numero illorum 14 annorum comprehendatur, sive 14 annos ante 56. *prorsus* elapsos intelligere malueris; sequitur, Apostolum anno vel 41. vel 42. Damasco discessisse, itemque, quum post conversionem fere tres annos Damasci commoratus esset (*Gal.* 1, 18.), *hanc Pauli conversionem factam esse* anno post C. N. 38. s. 39. Vel, si illud πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων II. Corr. 12, 2. ex sermone vitae communis minus accurate dictum existimetur, possit etiam conversio Pauli ad annum referri 37. Posterius, quod supra laudavimus, effatum 2. *Corinthh.* 11, 32. sq. (cfr. *Actt.* 9, 24. sq.) insidiarum mentionem iniicit, quas Judaei Damasceni vitae Pauli nuperrime conversi struxerint, adiuvante eos praefecto Aretae Damascenorum regis, qui urbem militibus cinxisset,

quo facilius Paulo potiretur; additque v. 33. brevissimam fugae, qua Paulus, discipulis ipsi in hoc discrimine summo opem ferentibus, saluti suae prospexerit, narrationem. Hic Aretas Arabiae rex Damascum, tum temporis Romanorum imperio parentem, haud dubie *non prius* occupavit, quam Tiberius Caesar Herodi Agrippae cum Areta dimicanti auxilium laturus bellum contra Aretam paraverat. Quod paulo ante obitum Tiberii a. 37. post C. N. mortui accidisse historia docet. *Josephus antt. Judd.* l. 18. c. 5. §. 1. 3. ed. Oberthür. *Quamdiu* vero Aretas Damascum tenuerit, nemo scriptorum veterum indicavit[5]). Proinde quamvis hoc indicium anno, quo Paulus ad sacra transiret Christiana, accuratius constituendo parum inserviat, verissime tamen etiam hoc testimonio usi contendimus, non posse conversionem Pauli ad annum vel 33. vel 34. referri. Sic enim Paulus Damasco discessisse existimandus esset, priusquam Aretas hanc urbem caperet. Potiorem utique vim ad quaestionem nostram expediendam habent, quae Lucas *Actt.* 11, 27. sqq. exposuit. Altera vice Paulus cum Barnaba Hierosolymas se contulisse legitur *Actt.* 11, 30., ut beneficiis deportandis opem ferret Christianis in Judaea versantibus annona pressis. Quam annonam famemque inde exortam sub imperio *Claudii* Caes. (*Actt.* 11, 28.) in Palaestinam invasisse, ita ut sub procuratoribus *Cuspio Fado* et *Tiberio Alexandro* a Claudio in Judaeam provinciam missis maxime ingravesceret, *Josephus* testatur *antiquitt. Judd.* l. 20. c. 2, §. 5. c. 5, §. 2. ed. Oberthür. *Euseb. hist. eccles.* 2, 8. 11. 12. Certum est, Cuspium Fadum Procuratorem non ante mortem Herodis Agrippae I. Judaeorum regis (anno 44. Caesareae fatis functi) provinciam suam adiisse. *Joseph. antt. Judd.* l. 19. c. 9,

5) Quae Celeb. Hug: *Einl. in das N. T.* T. II. p. 278. ed. II. demonstrare statuit, sub finem certe anni secundi Caligulae (an. 38.) Aretam per Caligulam Damasci imperio deiectum esse, coniectura tantum nituntur ex loco *Dionis Cassii* l. 59. c. 12. derivata.

§. 2. l. 20. c. 7, §. 1. coll. l. 19. c. 8. §. 2. Cuspio Fado, per aliquot annos munere functo, successit Tiberius Alexander, qui eandem gessit provinciam ad annum usque 48. post C. N. Ex quo patet, et illam annonae calamitatem et legationem, quam diximus, Pauli et Barnabae intra annum 44. (vel 45.) et 48. accidisse. Sed haec accuratius definiuntur conferendo *Actorum capite XII.* Quaecunque enim l. l. de Jacobo Apostolo iussu Herodis Agrippae interfecto, de Petro per eundem in vincula coniecto, per nuntium Domini liberato, *de concione Herodis Agrippae Caesareae habita eiusque morte inopinata et horrenda* enarrantur, minime existimanda sunt (quod plures intt. contendunt) prius accidisse, quam Paulus et Barnabas pecuniam collectam Hierosolymas deferrent, *immo, quo tempore illi Hierosolymis versarentur, negotium sibi iniunctum peragentes.* Comma quippe 25. cap. XII. ubi Paulus et Barnabas Hierosolymis leguntur discessisse, nihil omnino continet, quod interpretem coniicere iubeat, *rediisse* h. l. narrationem scriptoris ad C. XI. v. 29. 30. His indiciis praeeuntibus Herodes Agrippa in vita superstes fuit adventantibus Paulo et Barnaba Hierosolymas. Cuius principis obitus quum a. 44. paulo post festum paschale acciderit (testante *Josepho antiqq. Judd.* l. 19. c. 8. §. 2.), sequitur, Paulum et Barnabam mensibus primis huius anni 44. cum beneficiis collectis Hierosolymas esse profectos. Etsi enim illa, quam Josephus locis supra laudd. perhibuit, *fames gravis* (λιμὸς μέγας) post obitum demum Herodis Agrippae extiterit, fieri tamen utique potuit, ut Palaestinenses iam *ante mortem* Herodis eiusmodi *caritatem frumenti*, quae pauperes valde adfligeret, experirentur (fuerunt quippe, regnante Claudio, assiduae sterilitates, cfr. *Sueton. vita Claudii* c. 18.). Christianos Antiochenos satis probabiliter existimamus, priusquam calamitas ingravesceret, Paulo et Barnaba Hierosolymas mittendis auxilium tulisse fratribus in sollicitudinem coniectis.

Jam vero, *quaecunque de rebus a Paulo post conversionem ad illum usque annum* 44. *gestis in volumine Actorum enarrantur, praeeunte ipsa rerum expositarum natura ac serie, sex fere annos, quinquennium certe, complectuntur.* Conversus quippe ad sacra Christiana, quum triennium Damasci, posthac nonnisi quindecim dies Hierosolymis commoratus fuerat (*Gal.* 1, 18.), in Cilicia docuit *Gal.* 1, 21. sqq. (in qua provincia quum plures coetus Christiani illo tempore per Paulum colligerentur *Actt.* 15, 41. haud dubie unum certe semestre transegit), ex Cilicia vero Antiochiam per Barnabam deductus in coetu Antiocheno per integrum annum evangelium praedicavit, *Actt.* 11, 26. Haec omnia rite perpendentes (memores insuper eorum, quae supra iis opposuimus, qui conversionem Pauli vel eodem anno quo Christus de terra discederet, vel biennio proxime insequuto accidisse existimarunt) verissime, opinor, adfirmamus, *Paulum nec ante a.* 37. *neque post a.* 39. *ad sacra transiisse Christiana.* Alioquin vel iusto longius vel iusto brevius apparet temporis spatium, quo illae res gestae Apostoli comprehendantur, quae intra annum conversionis Ap. et a. 44. acciderint. His ita constitutis, non amplius, opinor, emendatione indigemus scripturae vulgatae *Gal.* 2, 1. *διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν* [6]). Concedamus modo, *a)* Apostolum

6) Plures quippe interpretes, quum de illis quatuordecim annis recte computandis prorsus desperarent (quod ipse feceram in *Isagoge mea histor. critica in libros N. F. p. 225.*) scribendum existimarunt *διὰ τεσσάρων ἐτῶν*, unde vulgata *διὰ δεκατ. ἐτῶν* enasci facile potuerit per ipsam similitudinem vocabb. *διὰ* et *δέκα* atque compendia scripturae in codicibus vetustis usurpata, accedente insuper loco simili *II. Corr. 12, 2.* cuius memores essent librarii. Vestigia huius lect. *διὰ τεσσάρων ἐτῶν* (ambigua quidem) inesse dicunt *Eusebii chronico paschali* ed. du Fresne, Venet. 1729. p. 186. Cfr. Cappellus *histor. apostol.* p. 91. Grotius in adnotatt. ad h. l. Heinrichs *prolegg. editionis Actorum: N. T. graece perpetua adnot. illustr. ed. Kopp. Vol. III. partic. I. Gott. 1809. p. 61. sq.* Bertholdt *Einl. 5. Theil 2. Hälfte* p. *2711. sqq.*

h. l. de *tertio* potissimum cogitasse itinere Hierosolymas facto (*Actt.* c. 15.) *b)* illos quatuordecim annos computari ab ipsa inde conversione Pauli, quam ingentem totius vitae suae et externae et internae mutationem Apostolus, quum C. I. v. 15. 16. animo grato celebrasset, in ea quoque itinerum posthac factorum enarratione, quae C. I. v. 18. sqq. legitur, tanquam terminum (a quo) mente tenuerit. *Tertium* iter Pauli conversi Hierosolymitanum satis commode vel a. 49. vel a. 50. post Chr. accidisse existimatur. Proinde, si Paulum ad sacra Christiana transiisse statuamus ineunte *anno* 37. (cui ceterae quoque rationes hucusque expositae probe addicunt), nullam amplius difficultatem facessunt illi quatuordecim anni *Gal.* 2, 1. Perpendamus modo, *ipsum annum* 50. (sive Paulus mensibus demum huius anni postremis, sive medio anno, sive sub finem a. 49. conventum Hierosolymitanum adiisset) comprehendi utique potuisse numero illo rotundo ἐτῶν δεκατεσσάρων ab anno inde 37. computatorum. Uberius de his omnibus exposui in libro: *Erörterung einiger wichtigen chronologischen Punkte in der Lebensgeschichte des Apostel Paulus, Jena,* 1832. 8. p. 77—109. cfr. p. 13—34.

§. 5.

Cognovimus, his disputandis, epistolam ad Galatas scriptam esse *a) post* annum 50. quo Paulus conventui Apostolorum Hierosolymis interesset, *b)* postquam Apost. *altera vice* (*Gal.* 4, 13.) *regionem Galaticam* itineribus lustrasset, *Actt.* 18, 23. Priusquam altera vice Galatiam visitavit, Corinthum venit *Actt.* 18, 1. *anno vel* 52. *vel* 53. [Narratur quippe Apostolus *Actt.*

Kuinoel *comment. in libros N. T. historicos Vol. IV. prolegg. p. 30. sqq. ed. II. Lips. 1827.* Keil *opuscc. p. 338.* Emmerling in *prolegg.* supra laud. *ep. II. ad Corr. p. 23. sq.* Küchler comment. laud. p. 38. sqq. Matthaei *Religionsglaube der Apostel, T. I. p. 624.*

18, 2. Corinthi deprehendisse Aquilam Judaeo-Christianum, qui nuper in eandem urbem venisset Roma depulsus una cum aliis Judaeis et Judaeo-Christianis edicto Claudii Caesaris. Quod edictum anno 52. promulgatum fuisse satis probabiliter existimatur, praeeuntibus locis *Taciti Ann.* 12, 52. 54. *Joseph. antiqq. Judd.* 20, 5, 4. 7, 1. *de bello Jud.* 2, 12, 2. 8. Cfr. quae contra aliam Orosii sententiam verissime monuerunt Vogel *Versuch über chronolog. Standpunkte in der Lebensgesch. Pauli: Gabler Journal für auserles. theol. Litter.* 1. *B.* 2. *St.* 1804. *p.* 232. *sqq.* itemque F. Koehler *über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften im N. T. Leipz.* 1830. *p.* 55.]. Corinthi per integrum annum et sex menses commoratus (*Actt.* 18, 11.), Syria lustrata, Ephesum sese contulit *Actt.* 18, 19. Unde mox digressus Caesaream et Antiochiam adiit *Actt.* 18, 22. sqq. et, quum aliquamdiu inter Antiochenos versatus fuisset, in *Galatiam* et Phrygiam profectus est. Quibus provinciis lustratis iterum visitavit Ephesios, ita ut in hac urbe biennium transigeret, *Actt.* c. 19. Cfr. *Isagoge* mea p. 234. Certum igitur habemus, has litteras ad coetum Galatarum dari *non* potuisse *ante* annum 54. Utrum statim exceperint posteriorem Pauli inter Galatas commorationem, an serius scriptae fuerint, quaeritur. *Prius* quidem minus recte probatum iverunt ex loco *Gal.* 1, 6. Cfr. quae de voc. ταχέως supra §. 3. observata sunt. *Posterius* non dixerim ea de causa praeferendum, quod illi doctores vani, qui hac epistola graviter impugnantur, parum probabiliter statim post abitum Pauli ex regionibus Galatarum tantam auctoritatem in hoc coetu obtinuisse existimentur. Immo videntur illi, prinsquam Paulus altera vice Galatas visitaret, iam disseminasse suos errores. Unde factum ut Apostolus *Gal.* 4, 13. sqq. etsi oratione adfectum spirante amorem praedicaret insignem, quo Galatae ipsum excepissent τὸ πρότερον, *nihil tamen profiteretur* de observantia si-

mili, quam ipsi exhibuissent *altera vice* in Galatiam profecto. Attamen summa, opinor, probabilitate contendimus, *Apostolum litteras dedisse ad Galatas, quo tempore, itinere per Galatiam et Phrygiam absoluto, diutius Ephesi versaretur* (*Actt.* c. 19.) *ab initio inde aestatis a.* 54. *usque ad festum Pentecostes a.* 56. Siquidem, dum inter Ephesios commorabatur, haud ita procul a Galatia remotus, nuntium certum de turbis in coetu Galatarum exortis accipere totamque rem accuratius investigare facillime poterat. Videtur tamen (quod scite monuit Hemsen in l. l. *der Apostel Paulus p.* 241.) consignationem epistolae, Ephesum profectus, aliquamdiu distulisse, donec ipsi palam innotuerat, efficientiam doctorum vanorum perniciosam, etsi nuper sermonibus suis Galatas meliora docuisset, ita tamen increvisse, ut per epistolam iterum severius essent admonendi atque corrigendi. Sententiam magis definitam de tempore, quo epistola fuerit consignata, non ausim pronuntiare. Ephesi exaratam esse, et olim pluribus est probatum (testante hoc subscriptione in pluribus codd. latinis expressa), et recentius ab Haenleinio Hugio Eichhornio Bertholdtio Winero de Wettio Hemsenio defensum, quanquam *annum* diversimode definiunt. Quod subscriptiones plerorumque codd. habent, epistolam Romae exaratam esse, sola nititur coniectura ex c. 6. v. 17. derivata, quem locum multi de captivitate Pauli Romana interpretati sunt. Cfr. Bertholdt *Einleitung etc.* Vol. 6. p. 2771.

Multo serius scriptam fuisse epistolam ad Galatas, contenderunt nuper duumviri eruditi: F. Köhler *über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften des N. T.* p. 125. sqq. et C. Schrader *der Apostel Paulus* 1. *Th. p.* 216. *sqq.* Ex illius quippe sententia anno demum 69. scripta est (quo Paulum diem supremum obiisse existimat). Huic vero paulo ante martyrium Pauli (quod ex Schraderi computatione ad a. 64 pertinet) exarata videtur. Attamen, quae uterque ipsi epi-

stolae inesse existimat huius temporis serioris vestigia, longe aliam admittunt interpretationem (qua de re in commentario passim videbimus). Neque probari potest, locum *Gal.* 2, 1. recte intelligi vel de eiusmodi itinere Pauli Hierosolymas facto, quod Lucas *Actt.* 18, 22. innuerit (ubi participium ἀναβὰς, *non additis* vbb. εἰς Ἰεροσόλυμα, rectius explicatur: quum Paulus ex portu in urbem ipsam Caesaream adscendisset), vel de alio itinere seriori Hieros. quod Lucas una cum aliis Pauli itineribus *Actt.* 19, 20. 21. silentio prorsus transierit. Quo minus V. Koehlero concedamus, Apostolum eo demum tempore, cuius historia *Actt.* 18, 23. enarratur, *prima* vice inter Galatas docuisse, eumque *seriori* demum aevo, in Actis App. omnino non enarrato, *iterum* adiisse hanc ecclesiam (cuius rei vestigia deprehendi existimat *I. Corr.* 16, 1.) priusquam ep. ad Gal. scriberetur, originemque ecclesiae Galatarum non Paulo sed Barnabae tribuendam esse, plura impediunt, praesertim loca Actorum, ipsiusque ep. ad Galatas, de quibus in §§. antecedentibus passim disputatum. De his omnibus uberius exposui in l. l. *Erörterung einiger wichtigen chronol. Punkte in der Lebensgesch. des Ap. Paulus*, p. 34—47. p. 47—72. cfr. p. 116—156.

§. 6.

Explicandae huic epistolae primum quidem iidem doctores ecclesiae vett. graeci et latini inserviunt, quorum opera exegetica in *prolegomenis* epistolarum ad *Thessall.* §. 7. commemoravimus. *Saeculo emendationis sacrorum et paulo post* hi potissimum singularem operam impenderunt et huic et aliis Pauli epp. illustrandis: M. Luther cuius *commentarius (amplior)* in hanc ep. ex praelectionibus eius collectus separatim prodiit Viteb. 1535. 8. recognitus Viteb. 1538. 4. et 1543. 4. *comment. brevior* Lips. 1519. 4. Viteb. 1523. Jo. Calvin: *comment. in omnes Pauli epistolas*, *ed. recent. Vol. I. Hal. Sax.* 1831. 8. J. Brentius:

Opp. T. VII. J. Bugenhagen *adnotatt. in epp. ad Gal. Ephesios etc. Basil.* 1525. 8. Zwingli, Faber Stapulensis, J. Piscator in libris qui laudd. in *prolegomm.* ad epp. ad Thessall. §. 7. *Aevo seriori atque recentius* inclaruerunt: 1) *qui hanc epistolam una cum aliis interpretarentur, a)* quorum mentio facta in *prolegg.* epp. ad *Thessall.*: C. Vorst, J. Balduin, J. Quistorp, Chemnitius, Sebast. Schmid, G. Calixtus, Critici sacri Anglic. (ed. Francof. T.V.) Poli *synopsis* (Vol. V.), C. Wolf *(curae T. III.)*, D. Michaelis, Baumgarten, Zachariae, E. Bengel, G. Rosenmüller, Bolten, Koppe, Scholz *b)* praeterea: Locke *paraphrast. Erklärung und Anmerkungen über Pauli Briefe an die Gal. Corinth. Römer Ephh. a. d. Engl. übersetzt mit Anmerkk. v. Hoffmann, Frankfurt*, 1768. 69. Vol. II. 4. J. Rambach *Erklärung der Ep. an die Gal. und an den Titus, herausg. v. C. Griesbach, Giessen*, 1739. 4. Greg. Mayer *der Brief Pauli an die Gal. und der 2. Brief an die Thessall. übers. mit Anmerkk. Wien*, 1788. 8. Anonymus: *Erklärung des Briefs Pauli an die Gal. und der beyden Briefe Petri, Görlitz*, 1799. 8. S. F. N. Mori *acroases in epp. Pauli ad Galatas et Ephes. (cur. Eichstädt) Lips.* 1795. 8. F. v. Flatt *Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Galater und Epheser herausgeg. von F. Kling, Tübingen*, 1828. 8. *Paulus Sendschreiben an die Galater und Jo. erster Brief übersetzt mit einer Abhandlung u. s. w. Neustadt an d. O.* 1827. 8. *Paulus Lehrbriefe an die Galater und Römer-Christen, v.* E. G. Paulus, *Heidelberg*, 1831. 8. 2) *qui epistolam ad Galatas separatim illustrarent*: Hieron. Kromayer *comment. in ep. ad Gal. Lips.* 1670. 4. Stroth *umschreibende Uebersetzung und Erklärung einiger schweren Stücke des Briefs Pauli an die Galater*: Eichhorn *Repertor. für biblische und morgenländische Litter. Vol. IV. Leipz.* 1779. 8. S. Sem-

ler *paraphrasis ep. ad Gal. Hal. Sax.* 1779. 8. A. Cramer *Versuch einer verbesserten Uebersetzung des Br. an die Gal. in den Beyträgen zur Beförderung theolog. Kenntnisse*, P. I. A. Schütze *scholia in ep. ad Gal. Gerae*, 1784. 4. W. Krause *der Brief an die Gal. übersetzt mit Anmerkk. Frankfurt am M.* 1788. 8. H. Schilling *Versuch einer Uebers. des Briefs an die Gal. mit erklär. Anmerkk. nach Koppe, Leipz.* 1792. 8. B. Carpzov *neue Uebers. des Briefs an die Gal. Helmst.* 1794. 8. *Der Brief an die Gal. verdeutscht mit Anmerkungen:* Henke *neues Magazin für Religionsphilosophie u. s. w.* 2. *B.* 1. *St. Helmst.* 1798. 8. W. Hensler *Pauli Brief an die Gal. übersetzt mit Anmerkk. Leipz.* 1805. 8. A. Borger *interpretatio ep. P. ad Gal. Lugd. Bat.* 1807. 8. Ben. Winer *Pauli ad Gal. epistola graece perpetua adnotatione illustravit ed. III. Lips.* 1829. 8. L. J. Rückert *Commentar über den Brief Pauli an die Galater Leipz.* 1833. 8. C. Steph. Matthies *Erklärung des Briefes P. an die Gal. Greifswald*, 1833. 8. — Inter illos Saec. XVI. et XVII. interpretes Lutherus Calvinus Brentius Piscator Sebast. Schmid Desid. Erasmus et Grotius (in Criticis Anglic.) inter recentiores Wolf Baumgarten Zachariae Koppe Semler Morus Borger Flatt Winer Rückert Matthies praecipue eminent.

ΠΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ
Η ΠΡΟΣ ΓΑΛΑΤΑΣ
ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Caput I.

Apostolus, statim ab initio toto animo intentus in rem primariam hac epistola peragendam, ipsi salutationi solenni paulo uberius enuntiatae adnectit, quae partim auctoritati eius apostolicae recte aestumandae inserviant, partim, quot et quanta Christiani liberae Dei et Jesu Christi gratiae referant accepta (non legi Mosaicae et circumcisioni), breviter innuant.

V. 1—5. *Παῦλος ἀπόστολος [οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν]*, (v. 2.) *καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοί, ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας·* (v. 3) *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, (v. 4.) *τοῦ δόντος ἑαυτὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ, κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν*, (v. 5.) *ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.*

V. 1. Quod Paulus alibi breviter eloquutus est, se *ἀπόστολον* **esse** *διὰ θελήματος θεοῦ Coloss. 1, 1. Ephes. 1, 1. I. Cor. 1, 1. II. Corr. 1, 1.* **h. l. uberius enuntiandum putavit contra adversarios, qui vel omnino impugnarent auctoritatem Pauli apostolicam, vel perperam contenderent, ab aliis demum apostolis ei demandatum fuisse munus docendi, ideoque haud ferendum dicerent, quod, qui ipse esset aliorum Apostt. discipulus, docendo ab iis deflecteret, praedicanda circumcisionis totiusque legis Mosaicae abrogatione, quam Joannes Petrus**

Jacobus, legati praecipue insignes, haud urgerent. Cfr. Chrysost. ad h. l. Negat, se constitutum esse ἀπόστολον vel ἀπ' ἀνθρώπων, vel δι' ἀνθρώπου. Synonymas h. l. praepositiones ἀπὸ et διὰ plerique habuerunt interpretes (i. q. ὑπὸ), magis solliciti de discrimine pluralis ἀνθρώπων et singularis ἀνθρώπου explicando (v. c. Morus cum Boltenio: neque ab integro aliquo coetu, nec per hominem unum constitutus Apostolus, Keppe: non hominum, ne cuiusquam quidem hominis voluntate atque adeo ministerio constitutus), quanquam haud defuerunt, qui usum utriusque numeri simpliciter gravitati sermonis augendae inservire putarent. Sed probe tenendum cum Winero, praepositiones illas utique sic differre, ut ἀπὸ ad *causam remotiorem* διὰ ad *causam propiorem* pertineat. Cfr. Hermann ad *Sophocl. Electram v. 65.* Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 318. 324. sq.* D. Schulz *Lehre vom christl. Abendmahl, Leipzig 1824. p. 217. sqq.* Adfirmat Paulus *homines non fuisse* (neque ceteros Jesu legatos, nec alios homines), *qui huic vocationi, qua ipse legatus Christi constitueretur, opportunitatem praeberent, nec eum fuisse hominem, cuius voce audita provinciam apostolicam susciperet.* Propius ad hanc interpretationem accedit, quanquam diversitatem vocabb. ἀπὸ et διὰ minus accurate exprimit, quod Calvinus habet Chrysostomum sequutus: „primum illud membrum: non esse vocatum ab hominibus, commune habebat cum omnibus veris Christi ministris; solius enim Dei est, ecclesiam suam regere, ergo vocatio non potest esse legitima, nisi ab ipso; — secundum membrum: non esse vocatum per hominem, peculiariter competebat Apostolis – Apostolos alio modo eligi oportuit, quam Pastores, nempe immediate (ut loquuntur) ab ipso Domino, etc.“ Auctoritati et origini humanae opponit Apost. veros muneris sui apostolici auctores: ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ etc. Quanquam praepos. διὰ cum genit. *proprie non* de causa dicitur principali (vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 325.*), h. l. tamen, quum de Jesu cuius voce Paulus et converteretur et Apostolus fieret (*Actt. a. 9. c. 22. v. 17. sqq.*) usurpata fuisset, simul ad causam rei principalem transiit, Deum, quatenus voluntas Dei effecit, ut Pau-

lus per Christum vocaretur. Neque omnino cum Winero affirmaverim, scriptores graecos (sacros potissimum) constantissime hanc regulam tenuisse, ut διὰ *nunquam* de causa diceretur principali. Contrarium docent effata *Romm. 11, 36. I. Corr. 1, 9.* Cfr. Jo. Schulthess *Engelwelt, Engelgesetz und Engeldienst philologisch und litterarisch erörtert etc. Zürich, 1833. p. 25. p. 47. sq.* Pro more pio Apostolorum, insigne illud summae Jesu Chr. dignitatis atque auxilii, quod Christo adfuit, divini documentum, reditum eius ex mortuis celebrandi (*Actt. 1, 12. 4, 33. Romm. 1, 4. 4, 24. al.*), etiam h. l. de Deo praedicatur τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν (*I. Thessall. 1, 10.*), sive Paulus his vbb. docere voluisse (cum Flattio et Rückerto) existimetur, *quo iure vocationem suam ad ipsum Deum referat auctorem* (siquidem Deus resuscitando Jesu et vita coelesti donando effecerit, ut Paulo Damascum proficiscenti apparere posset eiusque animum totum commutare), sive, quod Calvinus, Morus, Semler, Koppe Borger praeferunt, *auctoritatem muneris apostolici a Seratore in vitam revocato et illustrato ipsi demandati asserere* contra homines in eo offendentes quod Paulus non fuisset ex numero eorum, qui cum Christo in terris versarentur. Remotius videtur, commati potius 4. conveniens, quod Chrysost. statuit, propter defensores legis Mosaicae his vbb. mentionem iniici beneficii summi, quod per mortem et resurrectionem Christi omnibus ita contigerit ut legis Mos. necessitas tolleretur. *Ego*, inquit, *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum patrem, qui illum ex mortuis suscitarit*, (v. 2.) *et, qui mecum sunt fratres omnes*, i. e. *religionis socii*, quicunque mecum (Ephesi, vd. prolegg. §. 5.) versantur, hoc precamur coetibus *Galatiae*. Cfr. salutationes similiter multorum nomine enuntiatae *Romm. 16, 16. I. Corr. 16, 20. Philipp. 4, 22. al.* Maluerunt plures (Koppe Bolten Winer Paulus Rückert al.) voc. ἀδελφοὶ de sociis muneris apostolici itinerumque Pauli comitibus interpretari, *I. Corr. 1, 1. Philipp. 4, 21. I. Thess. 1, 1. al.* Sed illam, quae latius patet, vocab. significationem Baumgartenio Rambachio Borgero, aliis

probatam praeferri h. l. inbet voc. *πάντες*. Si Apost. *muneris socios* ipsum tum temporis Ephesi adiuvantes intellexisset, vel nomina protulisset, vel certe (ut *Philipp. 4, 21.*) scripsisset *οἱ σὺν ἐμοὶ ἀδελφοὶ*. An Paulus hac potissimum mente illos *ἀδελφοὺς* commemoraverit (quod inter vett. Chrysost. Theophyl. Oecum. Hieron. Ambros. contendunt), ut ostenderet, se multos habere socios eiusdem persuasionis, quam haec epistola defendat, de lege Mosaica Christianis haud iniungenda, dubium certe apparet. Etsi facilius hoc probaverim, quam, quod Chrysost. Theophyl. Oecum. coniecerunt, formulam brevem *ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας* destitutam praedicatis *τοῦ θεοῦ* s. *ταῖς ἡγιασμέναις* s. *ἀγαπηταῖς animo Galatis indignanti* declarando inserviisse. Verissime Koppe opponit loca *I. Corr. 1, 2. II. Corr. 1, 1.* ubi Corinthii, similes certe Galatis, *ἅγιοι* appellantur. Neque pluralis *ἐκκλησίαι* cum Theophylacto existimandus est Galatas notavisse ita inter se *dissidentes*, ut veluti multas constituerent ecclesias. Recte Hieronymus: pluralis ponitur propterea, quod Apostolus epistolam scripsit ecclesiis totius provinciae. De verbis v. 3. precationem faustam enuntiantibus vd. ad *I. Thessall. 1, 1.* obs. Suspectum est, quod vulgo additur *ἡμῶν* post *κυρίου*, omissum quippe in nonnullis codd. itemque apud Chrysost. in comment. et Damascenum, in aliis vero codd. (in quibus est *Alexandr.*) nonnullisque verss. veterum, apud Chrysost. quoque in textu et Ambros. *ante καὶ κυρίου* positum ex more scribendi Paulino *Roman. 1, 7. I. Corr. 1, 3. II. Corr. 1, 2. Ephh. 1, 2. Philipp. 1, 2. al.* Amplificatur precatio sollennis iis, quae de Christo praedicantur v. 4. *τοῦ δόντος ἑαυτὸν* etc.: *qui se ipse tradidit (morti,* quo sensu *διδόναι ἑαυτὸν I. Timoth. 2, 6. ad Titum 2, 14. δοῦναι τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ Matth. 20, 28. Eurip. Phoenn.* v. 1012. alibi *παρέδωκεν ἑαυτὸν Ephess. 5, 2.*) *peccatorum nostrorum causa.* Sensus non differt, sive vulgatam sequaris scripturam *ὑπὲρ τῶν ἁμ. ἡμῶν*, sive cum Millio Griesbachio Knappio Matthaeio Lachmanno legas *περὶ τῶν ἁμ. ἡ.* quod plures codd. (in quibus sunt insigniores) itemque Origenes Theophyl. Oecum. exhibent. Cfr.

ad *I. Thess. 3, 2.* obs. Defenditur formula *περὶ ἁμαρτ.* exemplis *I. Petri 3, 18. I. Jo. 4, 10. Hebrr. 10, 26. 13, 11.* eiusque loco facile a librariis vel substitui vel margini interpretationis causa adscribi potuit *ὑπὲρ*, quippe quod Paulo, ubi de Christo pro nobis mortuo loquitur, magis familiare. Consilium mortis Christi ultro toleratae his vbb. describitur *ὅπως ἐξέληται* etc. Substantivum *αἰὼν* (עוֹלָם), quod proprie de *tempore* valet vel infinito (*Aristot. περὶ κόσμου* c. 2. §. 2. ed Kapp. *Matth. 21, 19.*) vel certis limitibus circumscripto *Aelian. V. H. 1, 32.*, transfertur etiam ad homines aliquo tempore in hac vita simul versantes aut versatures, cfr. Irmisch ad *Herodian. l. 1. c. 4. p. 130. Ephess. 2, 7. al.*, itemque, praeeunte usu loquendi Judaeorum seriorum (vd. Buxtorf. *Lexicon chald. talmud. rabbin. Basil. 1640. p. 1620. sq.*) ad notionem *τοῦ κόσμου*, ita ut partim de tota dicatur rerum universitate, quatenus formae temporis adstricta est, *Hebrr. 1, 2. 11, 3.*, partim de hoc mundo praesenti rebusque terrenis, *Marc. 4, 19. Matth. 13, 22.* Frequenter obveniunt in N. F. formulae *ὁ νῦν αἰὼν* sive *αἰὼν οὗτος* ex usu hebr. עוֹלָם הַזֶּה, *a*) sensu quidem latiori: *tempus s. saeculum praesens*, oppositum tempori, quo Messias sollenniter appariturus est, regnumque divinum instituturus, *et* (cfr. supra de usu voc. *αἰὼν* obs.) *hic mundus, rerum ordo praesens, Matth. 12, 32. 13, 39. 40. 49. Luc. 20, 34. ad Titum 2, 12. sq. b.*) sensu angustiori: *homines, quales vulgo hoc saeculo in hoc mundo apparent*, ratione potissimum habita perversitatis, qua erroribus pessimis vitiisque indulgent, nondum per spiritum div. rectius edocti et emendati, *Romm. 12, 2. I. Corr. 2, 6. 3, 18. II. Corr. 4, 4. Ephess. 6, 12.* alibi *ὁ κόσμος οὗτος* s. simplic. *κόσμος I. Corr. 1, 20. 21. 27. sq. 3, 19. Gal. 4, 3. Ephh. 2, 12. al.* Cfr. de his Rhenferdi et Witsii dissertatt. in *Meuschenii N. T. ex Talmude illustr. p. 1116. 1149. 1171.* Koppe *exc. I. epist. ad Ephh.* Quanquam vb. *ἐνίστημι* proprie de iis valet, quae proxime instant (vd. ad *II. Thess. 2, 2.*), tam facile tamen notio rei proxime imminentis in cogitationem transit rei praesentis, ut *αἰὼν ἐνεστώς*, si scripturam receptam sequaris, recte synonymum habeatur *τοῦ αἰὼν*

οὗτος, cfr. *Romm. 8, 38.* (ubi ἐνεστῶτα oppon. τοῖς μέλλουσι) *I. Corr. 3, 22. Sextus Empir. Phys. 2, 193.* Sed mihi videtur Apostolus h. l. brevius scripsisse ἐκ τοῦ αἰῶνος πονηροῦ, cui formulae, praeeuntibus aliis locis, eiusmodi praedicato quod notionem *huius praesentis* saeculi seorsim exprimeret locupletandae mature consuleretur adscribendo ἐνεστῶτος. Desideratur quippe in vers. *Armen.* nec eundem locum ubique tenet in codd. *Alex.* et *Vatic.* itemque aliquoties apud Origenem post αἰῶνος positum. Res ipsa docet, quum Christus morte propter *peccata* nostra subeunda huic saeculo malo nos eripuisse dicatur (quo sensu eripiendi, liberandi aliquem ab angustiis, malis, periculis forma medii ἐξαιρεῖσθαι proprie: eximere, leg. *Actt. 7, 10. 12, 11. Lysias* in *oratt. grr. Vol. I. p. 734. ed. Reisk.*), cogitasse Apostolum de *studiis moribusque perversis saeculi et mundi praesentis malisque inde oriundis.* Vd. effata supra laudd. *Romm. 12, 2. sqq. etc. I. Jo. 5, 19.* Inter vett. bene hoc intellexerunt Chrysost. Theophyl. Oecum. explicantes: τὰς πράξεις τὰς πονηράς, τὴν προαίρεσιν τὴν διεφθαρμένην, Hieronymus: quae in saeculo fiunt. Similiter Theodoretus, quanquam vocem αἰὼν de ipso vitae humanae tempore interpretatur: ἢ κατὰ τὸν παρόντα βίον διαγωγὴ, ἐν ᾗ χώραν ἔχει τὰ τῆς πονηρίας. Angustioribus limitibus Ambros. potestatem huius formulae circumscripsit, errores huius saec. pessimos intelligens. Moriendo Christus (his continetur summa doctrinae apostolicae de morte Jesu salutari) certiores nos reddidit gratiae divinae homini resipiscenti peccata ultro condonantis, animosque nostros et *viribus* novis ad virtutem colendam instruxit (oriundis ex persuasione laetissima de condonatione peccatorum) et *desiderio* sancto imbuit vitae melioris per Christum inchoandae, cui homo Christianus eo sanctius obstrictum se agnoscit, quo certius cognovit infinitum Dei amorem iustitiae coniunctissimum per Christum patefactum, ipsiusque Servatoris pro salute hominum mortui caritatem. Quod Apostolus ipsi salutationi et precationi faustae hanc brevem inseruit praedicationem mortis Jesu Christi eiusque consilii ad miseriam peccati ipsamque vitiositatem tollendam pertinentis, prorsus accommodate factum

argumento epistolae primario. (Cfr. Theodor. et Ambros. ad h. l.) Videbimus quippe Apostolum et graviter cohortantem Galatas, ut serio perpenderent, quod dudum cognovissent, liberationem a miseria peccatorum non lege Mosaica observanda sed fide Christo (propter peccata nostra mortuo) habenda illis contigisse, et diligenter caventem (C. V.) ne quis, quum Christiani a iugo legis Mos. cerimonialis liberati recte dicantur, perperam colligat, Christianis nullam omnino legem scriptam esse, quae peccata coërceat et interdicat. Vbb. κατὰ τὸ θέλημα etc.: secundum *voluntatem Dei, qui idem* (καὶ πατρὸς ἡμ. cfr. *I. Corr. 15, 24. II. Corr. 1, 3. Col. 3, 17. al.*) *est pater noster*, eodem iure a Chrysostomo Theophyl. Oecum. ad illa referuntur: τοῦ δόντος—ἡμῶν, quo alii intt. propius coniungi volunt cum ὅπως ἐξέληται etc. Deo volente factum est, ut Christus peccatorum nostrorum causa ultro poneret vitam *(Jo. 10, 18.)*, Deo volente factum, ut hac ratione liberatio nobis contingeret a miseria peccatorum. Nomini sancto Dei patris doxologia additur Paulo familiaris, modo verbis εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας enuntiata *Romm. 1, 25. II. Corr. 11, 31.* modo, ut h. l. v. 6. ᾧ ἡ δόξα etc. *Romm. 11, 36. Ephh. 3, 21. Philipp. 4, 20. al.*, ubi δόξα cum articulo (quod recte monuit Winer ad h. l.) honorem indicat, qui Deo debetur: *cui honor contingat in perpetuum*, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, hebr. לְעוֹלָם עוֹלָמִים, ad tempora usque, quae unquam cogitari possunt, remotissima, *Philipp. 4, 20. I. Tim. 1, 17. II. Tim. 4, 18. Hebrr. 13, 21.* Vd. Vorstius *de hebraismis N. T.* p. 325. sqq. De more Graecorum similiter substantivum casu quidem genitivo repetendi, ut notio intendatur; cfr. Fischer ad *Welleri grammat. gr. T. II. p. 123.* Vocalem adseverantem ἀμήν ad *I. Thess. 5, 28.* illustravimus. Doxologiis enuntiationem quandam finientibus ex more apostolico additur (cfr. loca supra laudd.), nec eo, de quo Chrysost. et Theophyl. cogitaverunt, consilio h. l. usurpatur, ut pateat, sermonem esse absolutum et hucusque dicta satis perspicuam continere Galatarum accusationem.

Satisfecerat Paulus salutatione praemissa humanitati et amori eiusmodi quoque Christianis, qui ad errores delapsi fue-

οὗτος, cfr. *Romm. 8, 38.* (ubi ἐνεστῶτα oppon. τοῖς μέλλουσι) *I. Corr. 3, 22. Sextus Empir. Phys. 2, 193.* Sed mihi videtur Apostolus h. l. brevius scripsisse ἐκ τοῦ αἰῶνος πονηροῦ, cui formulae, praeeuntibus aliis locis, eiusmodi praedicato quod notionem *huius praesentis* saeculi seorsim exprimeret locupletandae mature consuleretur adscribendo ἐνεστῶτος. Desideratur quippe in vers. *Armen.* nec eundem locum ubique tenet in codd. *Alex.* et *Vatic.* itemque aliquoties apud Origenem post αἰῶνος positum. Res ipsa docet, quum Christus morte propter *peccata* nostra subeunda huic saeculo male nos eripuisse dicatur (quo sensu eripiendi, liberandi aliquem ab angustiis, malis, periculis forma medii ἐξαιρεῖσθαι proprie: eximere, leg. *Actt. 7, 10. 12, 11. Lysias* in *oratt. grr. Vol. I. p. 734. ed. Reisk.*), cogitasse Apostolum de *studiis moribusque perversis saeculi et mundi praesentis malisque inde oriundis.* Vd. effata supra laudd. *Romm. 12, 2.* sqq. etc. *I. Jo. 5, 19.* Inter vett. bene hoc intellexerunt Chrysost. Theophyl. Oecum. explicantes: τὰς πράξεις τὰς πονηράς, τὴν προαίρεσιν τὴν διεφθαρμένην, Hieronymus: quae in saeculo fiunt. Similiter Theodoretus, quanquam vocem αἰὼν de ipso vitae humanae tempore interpretatur: ἡ κατὰ τὸν παρόντα βίον διαγωγὴ, ἐν ᾗ χώραν ἔχει τὰ τῆς πονηρίας. Angustioribus limitibus Ambros. potestatem huius formulae circumscripsit, errores huius saec. pessimos intelligens. Moriendo Christus (his continetur summa doctrinae apostolicae de morte Jesu salutari) certiores nos reddidit gratiae divinae homini resipiscenti peccata ultro condonantis, animosque nostros et *viribus* novis ad virtutem colendam instruxit (oriundis ex persuasione laetissima de condonatione peccatorum) et *desiderio* sancto imbuit vitae melioris per Christum inchoandae, cui homo Christianus eo sanctius obstrictum se agnoscit, quo certius cognovit infinitum Dei amorem iustitiae coniunctissimum per Christum patefactum, ipsiusque Servatoris pro salute hominum mortui caritatem. Quod Apostolus ipsi salutationi et precationi faustae hanc brevem inseruit praedicationem mortis Jesu Christi eiusque consilii ad miseriam peccati ipsamque vitiositatem tollendam pertinentis, prorsus accommodate factum

Paulum *se ipsum* appellavisse τὸν καλέσαντα): *miror, vos tam cito deficere ab eo, qui vos* ad consortium regni divini *incitavit* (de καλεῖν vd. ad *I. Thess. 2, 12.* obs.) *per gratiam Christi*, i. e. per ea, quae Christus gratia libera homines complexus docendo, virtutis exemplum praeeundo, malis exstirpandis perfecit, ut aditum ad regnum div. vobis pararet. Sic ἐν χάριτι *Romm. 5, 15.* i. q. διὰ τῆς χάριτος *Actt. 15, 11.* Quanquam non repugnaverim, si quis maluerit ἐν χάρ. h. l. cum Ambros. Michaeli Borgero Rückerto al. eodem sensu quo εἰς χάριτα accipere per breviloquentiam (ut ἐν ἁγιασμῷ *I. Thess. 4, 7.*): qui vos vocavit *futuros* (ut essetis et permaneretis) *in statu gratiae Christi*, participes eius donorum. Alii vero (int. Syrus Erasmus Grotius Calovius Vitringa) Χριστοῦ propius coniungunt cum τοῦ καλέσαντος: *miror vos tam cito desciscere a Christo, qui* vos (ad regnum div.) *invitavit per gratiam suam*, sive, sensu parum mutato, *pro gratia sua, benigne* (cfr. ad *II. Thess. 2, 16. not.*) Attamen prior illa verborum constructio verissime defenditur et consuetudine apostolica praedicatum τοῦ καλεῖν eo quem diximus sensu Deo potius, quam Christo tribuendi, *Romm. 8, 30. 9, 24. I. Corr. 1, 9. 7, 15. 17. I. Thess. 2, 12. 5, 24. II. Thess. 2, 14. II. Tim. 1, 9. I. Petri 1, 15. 2, 9. 5, 10. II. Petri 1, 3.*, et defectu articuli ante Χριστοῦ, qui deesse vix poterat (ut recte observ. Matthies ad h. l.), si Apost. vbb. καλέσαντος Χριστοῦ coniungi voluerat. De lectionis diversitate, qua genit. Χριστοῦ (cui codd. *Clarem.* et *Sangerm.* cum vers. *Philox.* praefigunt Ἰησοῦ) in codd. *Aug.* et *Boerner.* aliquoties apud Tertull. et Cypr. prorsus omittitur, eiusque loco in paucis libris et apud Theodor. exprimitur θεοῦ, cum Winero iudicamus, scripturam vulg. non esse sollicitandam, quippe quae ceteris lectionibus ansam praebere facile potuerit, quum librarii in voce Χριστοῦ (quam propius coniungerent cum καλέσαντος) offendissent. Ceterum recte, opinor, animadverterunt Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. singularem sermonis vim in eo positam, quod illi circumcisionis defensores non a Christo tantum, sed ab ipso Deo, cui lege cerimoniali observanda probari vellent, hac ra-

rant, haud denegando. Jam vero, veluti incensus (quod Chrysost. scite observat) consideratis beneficiis, quae Deus per Christum nobis contingere iussit (v. 4.), nihil dicit in laudem huius ecclesiae (quod in aliis epistolis facere solet, prinsquam ad reprehensionem progreditur), immo in apertam erumpit reprehensionem Galatarum, qui parum constanter tenuerint veram evangelii doctrinam, qualem a Paulo accepissent, diras imprecatur doctoribus falsis Judaismi studiosis, eorumque fraudibus, quae Galatas multos deceperant, suum ipsius opponit studium constans, non quae hominibus sed quae Deo probentur perficiendi.

V. 6—10. *Θαυμάζω, ὅτι οὕτως ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον* (v. 7.) *ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, εἰ μὴ τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ.* (v. 8.) *Ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω.* (v. 9.) *Ὡς προειρήκαμεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.* (v. 10.) *Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν θεόν; ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; εἰ* (γὰρ) *ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην.*

V. 6. Verbi *μετατιθέναι*: rem hominemve in alium locum transferre (*Actt. 7, 16. al.*) forma media: se aliorsum transferre, transire, non tantum (in rebus civilibus) de iis dic. qui ab aliquo desciscunt, ut alium sequantur, *Diod. Sic. l. 11. c. 4. Polyb. 3, 111.* vd. Raphel. *adnotatt. in N. T. ex Polybio et Arriano* ad h. l. Kypke *obss. ss.*, sed etiam universe de iis valet, *qui sententiam s. consilium mutant*, cfr. *Plato republ. l. 1. c. 17. p. 40.* ed Ast. *Jamblich. protrept. ad philos. c. 17. II. Maccabb. 7, 24.* Diversimode coniunguntur vbb. *ἀπὸ τοῦ — Χριστοῦ*. Genitivum quippe *Χριστοῦ* ex voc. *χάριτι* pendere volunt Chrysost. et Theophyl. recentius Wolf Rambach Koppe Borger Winer Rückert, alii, ita ut *τοῦ καλέσ.* notionem *Dei* circumscribat (prorsus enim abhorret ab ingenio Apostoli, quod nonnulli coniecere,

Paulum *se ipsum* appellavisse τὸν καλέσαντα): *miror, vos tam cito deficere ab eo, qui vos* ad consortium regni divini *invitavit* (de καλεῖν vd. ad *I. Thess. 2, 12.* obs.) *per gratiam Christi*, i. e. per ea, quae Christus gratia libera homines complexus docendo, virtutis exemplum praeeundo, malis exantlandis perfecit, ut aditum ad regnum div. vobis pararet. Sic ἐν χάριτι *Romm. 5, 15.* i. q. διὰ τῆς χάριτος *Actt. 15, 11.* Quanquam non repugnaverim, si quis maluerit ἐν χάρ. h. l. cum Ambros. Michaeli Borgero Rückerto al. eodem sensu quo εἰς χάριτα accipere per breviloquentiam (ut ἐν ἁγιασμῷ *I. Thess. 4, 7.*): qui vos vocavit *futuros* (ut essetis et permaneretis) *in statu gratiae Christi*, participes eius donorum. Alii vero (int. Syrus Erasmus Grotius Calovius Vitringa) Χριστοῦ propius coniungunt cum τοῦ καλέσαντος: *miror vos tam cito desciscere a Christo, qui vos* (ad regnum div.) *invitavit per gratiam suam*, sive, sensu parum mutato, *pro gratia sua, benigne* (cfr. ad *II. Thess. 2, 16. not.*) Attamen prior illa verborum constructio verissime defenditur et consuetudine apostolica praedicatum τοῦ καλεῖν eo quem diximus sensu Deo potius, quam Christo tribuendi, *Romm. 8, 30. 9, 24. I. Corr. 1, 9. 7, 15. 17. I. Thess. 2, 12. 5, 24. II. Thess. 2, 14. II. Tim. 1, 9. I. Petri 1, 15. 2, 9. 5, 10. II. Petri 1, 3.*, et defectu articuli ante Χριστοῦ, qui deesse vix poterat (ut recte observ. Matthies ad h. l.), si Apost. vbb. καλέσαντος Χριστοῦ coniungi voluerat. De lectionis diversitate, qua genit. Χριστοῦ (cui codd. *Clarom.* et *Sangerm.* cum vers. *Philox.* praefigunt Ἰησοῦ) in codd. *Aug.* et *Boerner.* aliquoties apud Tertull. et Cypr. prorsus omittitur, eiusque loco in paucis libris et apud Theodor. exprimitur θεοῦ, cum Winero iudicamus, scripturam vulg. non esse sollicitandam, quippe quae ceteris lectionibus ansam praebere facile potuerit, quum librarii in voce Χριστοῦ (quam propius coniungerent cum καλέσαντος) offendissent. Ceterum recte, opinor, animadverterunt Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. singularem sermonis vim in eo positam, quod illi circumcisionis defensores non a Christo tantum, sed ab ipso Deo, cui lege cerimoniali observanda probari vellent, hac ra-

done deficere dicantur εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, ad aliam doctrinam, quam laeta nuntiantem, salutarem, vere divinam perperam dicant. Observandus etiam (cum Chrysost. et Theophyl.) usus temporis praesentis μετατίθεσθε. Nolebat Apost. tempore uti praeterito, quum Galatae nondum prorsus defecissent ab evangelio Christi, nec omnes doctoribus vanis aures praebuissent. Quo iure autem affirmare potuerit, Galatas οὕτως ταχέως desciscere, etsi haec epistola minime paulo post conversionem Galatarum ad sacra Christiana scripta fuerit, in prolegg. §. 3. docuimus. Quod l. l. observatum est, voculam ταχέως forsitan non tam ad illum temporis terminum respicere (primordia ecclesiae Galatarum), quam ad festinationem, qua multi eorum parum considerate obsequuti fuerint doctoribus vanis, idem probatum videtur Chrysostomo (adsentiente Theophyl.) qui vbb. Apost. hac ratione illustrat: τί τοῦτο, ὅτι οὐδὲ χρόνου δέονται οἱ ἀπατῶντες ὑμᾶς ἀλλ' ἐκ πρώτης προσαγωγῆς ἐρχεῖ πάντας ὑμᾶς καταστρέψασθαι καὶ ἐλεῖν; Quae sequuntur v. 7. in. ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο brevitate sermonis diversitatem peperierunt interpretationis. Haud pauci enim, pronomen ὅ ad εὐαγγέλιον referentes (Oecumen. Theodor. auctor vers. Peschito recentius Wolf Cramer Michaelis Kypke Semler Morus Koppe Borger Flatt), Apostolum, quae modo v. 6. dixerat μεταθ. εἰς ἕτερον εὐαγγ. veluti corrigere putant: *quae quidem doctrina laeta nuntiamus alia est nulla*, perperam prae se ferunt doctrinam de Christo salutarem circumcisioni faventem, ab ea quam vobis tradidi prorsus discrepantem, qualis omnino non potest evangelium praedicari. Cfr. *Actt. 4, 12. I. Corr. 3, 11.* Quanquam haec per se spectata nulla premuntur obscuritate, difficultatem tamen facessunt, si cum seqq. propius coniungantur: εἰ μή τινές etc. Etenim, si cum Baumgartenio explicare volueris: nec vobis alia doctrina de Christo locum habere posse videretur, nisi essent, qui vos perturbarent etc. necesse est, plura suppleas cogitando, quae in oratione contexta desiderentur. Idem obstare videtur interpretationi, quam Matthies exhibuit, Apostolum pro: εἰ μὴ ἄλλο ἐστὶ διὰ τοῦτο, ὅτι τινές εἰσι etc. *breviter* sic loqui maluisse

existimans: *εἰ μὴ τινές* etc. quoad sensum: *quamquam* nonnulli sunt, qui etc. Quod plerique *εἰ μὴ* h. l. particulam habent adversativam: *verum s. attamen sunt quidam vos perturbantes* etc. utique pugnat cum usu loquendi graeco postulato ut *εἰ μὴ* constanter vertatur: *nisi*. Nec aliter sese habet cum eiusmodi locis, ubi *εἰ μὴ* ita usurpatur, ut ex negatione conditionata, quae antecessit, negatio absoluta cogitando suppleatur per breviloquentiam, v. c. *Matth. 12, 4.* (sic intell. quomodo panes comederit, quos neque ipsi, neque comitibus eius, *omnino nemini, nisi* solis sacerdotibus comedere liceret) *Luc. 4, 26.* (ad nullam ex viduis Israelit. legatus est Elias, *ad nullam omnino viduam, nisi* Sareptam etc.) *Apocal. 9, 4. 21, 27.* Proinde ad enuntiationem totam *οὕτως ταχέως μετατίθεσθε* etc. pronomen *ὃ* referri maluerunt Grotius Calvinus Calovius Homberg Winer Rückert, Apostolum, et quo iure miraretur, et quo sensu diceret: *μετατίθεσθε* etc. explicuisse statuentes: *quod quidem* (vestra, quam dixi, defectio) *non est aliud, nisi quod nonnulli sunt* (non aliunde factum, nisi quod nonnulli sunt) *vos perturbantes* etc. s. ex versione nuperrima Naebii: quod nihil aliud sibi vult, nisi etc. Verum enimvero non docuerunt, quomodo Paulus hoc sensu scribere potuerit: *ἄλλο εἰ μὴ τινές* etc. Dicendum potius fuisset: *ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, ἢ ὅτι τινες* etc. Malim vbb. *ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο*, eo sensu quem *prior* illa interpretatio exhibuit intellecta *parenthesi* brevem existimare, ut membrum sequens *εἰ μὴ τινές* etc. pendeat ex *θαυμάζω* etc. et, quod modo indefinite enuntiatum fuerat: miror, quod tam cito deficiatis etc. limitibus circumscribatur proferenda defectionis causa, qua perpendenda illud *θαυμάζειν* vel minuatur vel tollatur: *miror* (si sensum spectaveris, *mirari debeam*) *vos tam cito deficere ad aliam doctrinam salutarem [quamquam haec alia, salutaris, nulla est] nisi nonnulli sint* (tanquam conditionem enuntiat Paulus, quod ei certo erat persuasum) *vos perturbantes* etc. Quamquam Apostolus hos *ταράσσοντας* reprehensione gravi eademque iustissima notandos existimat (cfr. sqq.), usus tamen loquendi N. F. non permittit, ut voculae ipsi *τινές* cum Semlero et Borgero com-

temtum adhaerere dicamus. Ingeniosa est Wineri observatio, ad articulum *οἱ ταραασσ.* provocantis, duas inter se mixtas esse structuras, tanquam si scriptum fuerit: *εἰσί ταράσσοντες ὑμᾶς, καὶ οὗτοί εἰσί τινες*, sunt, qui vos perturbent, *pauci quidem.* Quaesivit contra Rückert ad h. l., an forte seriores Graeci minus accurate loquentes participia cum articulis etiam hoc sensu substantivis addiderint, ut simpliciter praedicatis inservirent subiectum describentibus, nec enuntiationem involverent singularem? Cfr. infra III, 21. *Actt. 4, 12.* Recte idem negavit, *τινὲς* idem valere quod *ὀλίγοι.* Quam vim *articulus* h. l. obtineat, optime, opinor, intellexit Matthies ad h. l. Docetur, nonnullos esse, qui *ita comparati* sint (pro sua cogitandi et sentiendi ratione), ut Galatas perturbent. Animum alicuius *ταράσσειν* de statu recto deturbare dicitur, qui inquietum reddit, in dubitationes coniicit, ad errores abducit, lat. *perturbare* s. *concutere*, infra 5, 10. *Actt. 15, 24. 17, 8. I. Petri 3, 14. Xenoph. memorabb. 2, 6, 17. Lucian. T. I. p. 862.* ed. Reitz. Sermonem institui de eiusmodi hominibus, qui Galatis fraudulenter placita persuaderent ab indole verae Christi doctrinae aliena, verbis docetur add. *καὶ θέλοντες* etc. *Μεταστρέφειν* quippe a significatione convertendi *(Actt. 2, 20. al.)* facile etiam transferri potuit ad notionem pervertendi et corrumpendi, *Sirac. 11, 31. Aristot. rhetor. 1, 15.* Quantopere vero abominandi sint, quicunque a doctrina vere Christ. decendo deflectant, eximia sermonis gravitate et vehementia profitetur Apostolus v. 8. *Ἀλλὰ καὶ ἐάν* etc. *Verum, si vel* (coniungimus *καὶ ἐάν* i. q. alibi *κἄν*, cfr. Rückert ad h. l.) *nos ipsi* (suppl. ex seqq. *εὐαγγελίζωμεθα*) *vel nuntius quidam coelitus veniens* (genius coel.) *doctrinam quam dicamus salutarem vobis tradiderit ei, quam vobis olim tradidimus, contrariam, esto exsecrabilis.* De forma media *εὐαγγελίζεσθαι* ex usu hebr. בָּשַׂר: nuntium tradere laetum *(I. Sam. 31, 9. Jes. 52, 7. 60, 6. al.)* sic absolute posita de iis, qui nuntium laetum de Christo et regno divino adferunt, cfr. *Actt. 14, 7. Romm. 1, 15. I. Corr. 9, 16.* *Παρ' ὃ εὐηγγελ.* cum plerisque vertendum censuimus: *contrariam* ei, quam vobis exposuimus doctrinae, non: *praeter* id,

quod praedicavimus, i. e. o brvantia legis Mosaicae conditionibus salutis in evangelio propositis temere admiscenda (cfr. Rambach ad h. l.). Illa quippe interpretatio et usu solienni praepositionis *παρὰ* cum accusat. commendatur, *Romm. 12, 3. 16, 17. Actt. 18, 13. Plat. republ. l. 4. c. 15. in. p. 191. l. 7. c. 11. in. p. 325.* ed. Ast., et sententiae gravitate. Quicunque, quanquam Christo addicti, tamen observantiam legis Mosaicae urgebant, eo ipso tollebant doctrinam de salute vera *unice* per fidem Christo habitam impetranda. *Pluralis εὐηγγελισάμεθα* ad *Paulum eiusque socios* pertinet ipsum Galatas edocentem et convertentem adiuvantes. De *semet ipso solo* Apost. in *hac* quidem epistola ab initio ad finem usque personam 1. *singul.* adhibuit. Substant. *ἀνάθεμα* apud Graecos seriores (cfr. Lobeck ad *Phrynichi ecl. p. 249.*) locum occupavit formae antiquioris atticae *ἀνάθημα*. Sic dicebantur res ab usu communi et profano remotae, sepositae, numini divino consecratae, donaria potissimum quae in templis suspendebantur, *Polyb. 11, 4, 1. Plato republ. 2, 5. p. 66.* ed. Ast. *Luc. ev. 21, 5.* Eodem sensu forma *ἀνάθεμα* apud *Plutarch. vita Pelop. c. 25. II. Maccabb. 2, 13.* Cfr. *LXX. Levit. 27, 28. Jos. 6, 18. sq. Ezech. 44, 29. Michae 4, 13.* ubi hebr. חֵרֶם exprimitur, res Deo ita devota, ut voto solvi et redimi omnino nequeat. Quum vero eiusmodi quoque res חֵרֶם (Deo sacrata) diceretur, quam Hebraei poenae divinae haberent obnoxiam (v. c. quae idolorum cultui inserviisset), prorsus removendam ex hominum conspectu vel delendam, v. c. *Deuter. 7, 26. Jos. 6, 17. LXX.* factum inde, ut gr. *ἀνάθεμα* ex usu illius hebr. omnino transferretur ad *rem* s. *hominem exsecrabilem* et phrasis *ἀνάθεμα ἔστω* in formulam imprecationis diraе abiret, *Malach. c. 3. ex. Zachar. 14, 11. Actt. 23, 14. Romm. 9, 3. I. Corr. 12, 3. 16, 22.* Cfr. Suiceri *thesaurus eccles. T. I. p. 368. sqq. ed. III.* Koppe et Tholuck ad *Romm. 9, 3.* Quicunque veram Christi doctrinam placitis arbitrariis corrumpere voluerit, eum detestabilem dicit, poenae div. gravissimae obnoxium. Orationis series certe non postulat, ut Paulus h. l. de excommunicatione potissimum ex coetu Christ. cogitasse existimetur, quanquam hebr. חֵרֶם ad eos transfertur,

qui decreto sollenni a rebus Judaeorum sacris prohibebantur. Nec testimoniis constat, excommunicationem ecclesiasticam inter Christianos eo quidem tempore iam usurpatam fuisse, quo haec epistola scriberetur. Ceterum quod Apost. ipsorum meminit angelorum, tanquam si fieri possit, ut genius coelestis doctrinam tradat perversam, minime pertinet ad quaestionem dogmaticam de ipsa geniorum coelestium natura erroribus obnoxia. Adfectui pio inservit, quo animum Apostoli totum persuasio sancta teneat, *neminem* admittendum, qui tradiderit, quae evangelio adversentur. Quod sui ipsius sociorumque mentionem iniicit ἐὰν ἡμεῖς etc. respicere omnino videtur ad criminationem vanam eorum, qui dixerint, Paulum sibi parum constare, modo impugnantem modo concedentem vel commendantem ritus Judaicos. Cfr. 5, 11. Vide, quam sedulo lectores attentos reddat ad gravitatem sententiae modo enuntiatae v. 9. Ὡς προειρήκαμεν etc. Interpr. antiqui, Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. (quibuscum Michaelis Flatt Winer Matthies faciunt) τὸ προειρήκαμεν ad vs. referunt antecedentem, quo breviter repetendo docere Apost. voluerit, quae modo dixisset, minime ex ira esse profecta nec inconsiderate dicta. Attamen ut simpliciter asseveret, se *modo dicta* repetere, minime adhibenda fuit haec formula amplior et languidior ὡς προειρήκαμεν καὶ ἄρτι πάλιν λέγω. Loco simill. *II. Corr. 7, 3.* refertur προείρηκα ad sententiam in eadem quidem epistola sed alio loco enuntiatam. Malim cum interprete Syro (vertente: *quondam*) Koppio Borgero Rückerto ὡς προειρήκαμεν etc. de tempore intelligi, quo Paulus altera vice inter Galatas versaretur, cfr. prolegg. §. 5 *Quemadmodum olim diximus* (ego et socii), *ita hoc tempore* (ἄρτι *II. Thess. 2, 7.*) *iterum dico: εἴ τις* etc. Maluit quidem Rückert utrumque membrum: ὡς προειρήκαμεν, et: καὶ ἄρτι π. λέγω protasin habere compositam, cui, quae accurate respondeat, apodosis desit: quemadmodum et olim dixi, et hoc tempore iterum dico (ita vere est): εἴ τις etc. Praestat, opinor, cum ceteris omnibus posterius καὶ ἄρτι etc. tanquam apodosin vertere, quippe quod animos lectorum magis attentos reddat ad *constantiam* persuasionis et

professionis Apostoli. Hoc autem verissime observatum a Bengelio et Rückerto, haud negligendum esse discrimen modi coniunctivi εὐαγγελίζηται v. 8. et indicativi εὐαγγελίζεται v. 9. Ille enim ad enuntiationem mere hypotheticam pertinet; hic animos lectorum propius adducit ad rem vere gestam inter Galatas. Cum accusativo hominis, cui nuntius laetus s. doctrina traditur (qui exhilaratur nuntio, s. instruitur doctrina salutari) coniungitur medium εὐαγγελίζεσθαι *Luc. 3, 18. 14, 15. Actt. 13, 32. al.* Vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 182.* De vh. παραλαμβάνειν ad *I. Thess. 2, 13. 4, 1.* vid. Suam ipsius in docendo constantiam ab adversariis malevolis temere in dubium vocatam, et animi sinceritatem qua defensores circumcisionis impugnet, v. 10. ita profitetur Apost. ut lectores perpendere iubeat (qua de re iudicare omnino ipsi poterant) quam studiose hoc agat, ut Deo potius probetur quam hominibus. Unde simul patebat, quo iure in illos doctores vanos, qui contrarium facerent, suram captantes popularem tam graviter inveheretur. Ἄρτι γάρ. etc. Vd. πείθειν, ubi simpliciter cum accusative *personae* struitur, plerumque vel i. q. perducere aliquem ad fidem sermoni cuidam, effato, doctrinae habendam, *Actt. 18, 4.*, vel: persuadere alteri, ut aliquid faciat, *Matth. 28, 14. Actt. 14, 19.* Res ipsa, quae alicui probetur vel persuadeatur, ex oratione contexta supplenda. Cfr. *Plat. Gorgias s. 11. p. 52. s. 8. p. 44.* ed. Fiudiana. *Aeschinis dial. II. §. 22. dial. III. §. 22. al.* Sed haec verbi significatio h. l. parum apta commemorationi ipsius Numinis Summi. Quomodo enim homo de eo cogitet, ut *Deum* perducat ad fidem sermoni habendam, vel *Deo* persuadeat rem quam homo fieri velit? Contortius plures intt. (Lutherus Erasmus Vatablus Cramer Michaelis): num res humanas (doctrinam hum.) suadeo, an divinas? alii (Calixtus Piscator): suadeone vobis, ut hominibus credatis, an, ut Deo? sive (Er. Schmid): hominesne audiendos suadeo an Deum? Neutrum hac ratione exprimi recte poterat. Durior item apparet ellipsis praepositionis κατὰ, quam Calvinus ante ἀνθρώπους et θεόν subaudiendam existimat: suadeone secundum homines, an secundum Deum (hominesne respicio

suadendo, an Deum)? Sed alia exstat verbi *πείθειν* significatio illi, quam supra cognovimus, maxime cognata: *placare aliquem, sibi suisque partibus conciliare, gratiam eius colligere* (quod persuadendo fieri solet). Lamberto enim Bosio *de ellips. ed. Schaefer. p. 580.* et Fritzschio ad *Matth. 28, 14.* illam verbi potestatem impugnantibus, ex N. F. opponimus certe (nisi etiam *Actt. 12, 20.* huc referre volueris) formulam *καρδίαν ἑαυτοῦ πείθειν I. Jo. 3, 19.*, cuius interpretatio commoda vix patet nisi haec: animum placare s. tranquillum reddere (cfr. Lücke ad h. l.). Nec desunt, quae huc pertineant, apud profanos: *Homeri Il. α, v. 100. ξ, v. 51. Eurip. Hippol. v. 1060. sqq.* Cfr. Borger ad h. l. Schneider *Handwörterbuch etc. von* Passow Vol. II. sub v. *πείθειν*. Proinde non dubitamus cum Chrysost. Theophyl. Grotio Elsnero Wolfio Moro Koppio Borgero Flattio Winero Rückerto interpretari: *hominesne enim hoc tempore* (i. e. ex quo conversus sum ad Christum, non amplius iis deditus, quae Judaeis potius quam Deo probantur, v. 13. sqq.) *mihi conciliare velo*, institutione mea evangelica, *an Deum?* De *studio* s. *conatu* persuadendi *πείθειν* dic. *Xenoph. memorr. I, 3, 4. Isocr. Areop. p. 300.* ed. Wolf. Quodsi vertere malueris: utrum hoc ago, ut quae trado hominibus probentur, an, ut Deo? (ut Oecumen. *τὸν θεὸν θέλω πληροφορῆσαι*), quomodo tandem haec quaestio, ut rationi Deum inter hominesque intercedenti probe conveniat, intelligi possit, nisi h. s. hominumne, an Dei favorem docendo mihi colligere studeo? Eandem fere quaestionem, omissa quidem antithesi *τοῦ θεοῦ*, seqq. continent magis universe enuntiatam: *ἢ ζητῶ* etc. *hominibusne*, sive docendo fiat, sive agendo, *placere cupio?* In promtu est, de eiusmodi cogitari studio hominibus placendi, quod Deo displiceat (*I. Thess. 2, 4.*), quum Apostolus nunquam dubitaverit, hominibus grata facere, quae saluti eorum verae consulerent, et cum sanctitate officii consentirent, adeoque se demitteret, ubi fieri posset, ad imbecillitatem eorum, quos veritati divinae esset conciliaturus, *I. Corr. 9, 19. sqq.* Quam parum hoc agat, ut hominibus quovis pacto probetur, argumento ostendit luculentissimo: *εἰ γὰρ* etc. (suppl. *minime*)

nam si etiamnum hominibus placerem (sive, quod nexus horum verbb. cum antecedd. commendat, *placere vellem*, quo sensu ἀρέσκειν *Romm. 15, 2. I. Corr. 10, 33.*) *non essem Christi minister.* Suspecta quidem h. l. vocula γάρ, omissa in codd. *Alex. Claremont. Aug. Boerner.* et verss. *Copt. Armen. Vulg. It.* quibus nonnulli patrum vett. consentiunt. Vix enim putaverim, difficultatem voculae movisse interpretes, ut consulto omitterent. Inseri potuit ad emolliendam orationem. Quam lubenter Apostoli se appellaverint δούλους Christi (praeeunte Christi sermone *Jo. 13, 14. 16. 15, 20.*) constat pluribus locis N. F. *Actt. 4, 29. Romm. 1, 1. Philipp. 1, 1. Jac. 1, 1. II. Petri 1, 1. Apocal. 1, 1.*, quanquam et alii doctores evangelii praeter apostolos (*II. Tim. 2, 24. Col. 4, 12.*) et omnes Christo addicti (*I. Corr. 7, 22. Ephh. 6, 6.*) sic dicebantur. Quum Paulus ad sacra transiisset Christiana, immo ipsam Apostoli provinciam suscepisset, omnino missa fecerat pristina rerum Judaicarum studia, renuntiaverat commodis terrestribus ex illa Christianorum persequutione synedrio Judd. maxime probata orituris, gratiam, qua apud cognatos, amicos, populares primores Judd. florebat, prorsus perdiderat, odiis Judd. acerrimis vitam exposuerat totam. Verissime igitur dicere poterat: si etiamnum hominibus placere vellem, *non essem Apostolus.* Hanc Pauli mentem inter vett. Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. recentius Calvinus, Koppe, Flatt, Paulus, Rückert, recte intellexerunt. Maluerunt nonnulli (Ambros. Rambach Erasmus Grotius Semler) vbb. Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην terminis circumscribere angustioribus: non essem minister Christi fidus, qualem esse oportet, a quovis adulandi studio prorsus alienum, id unum curantem, ut Christo probetur eiusque causam adiuvet. Sed illa, quam interpretatio prior exhibet, sententia rectius opponebatur adversariis, quippe qui, etsi concedere nolebant, Paulum eiusmodi esse Christi legatum qualis esse deberet, sed alios praeferebant Apostolos (circumsisionem minus impugnantes), hoc tamen negare ipsi non poterant, eum ad Christum conversum munus Apostoli suscepisse.

His dicendis viam sibi paraverat Apost. ad rem prima-

riam, quae C. I. et II. pertractatur. Contra adversarios auctoritatem demonstrat apostolicam, sibi quoque olim adversario Christianorum acerrimo haud denegandam, quippe qui, gratia Numinis Summi volente et moderante, per ipsum Christum conversus fuisset et vocatus ad provinciam Apostoli suscipiendam, revelatione divina uberius edoctus, ab omnibus ceteris Jesu legatis agnitus.

V. 11. 12. *Γνωρίζω δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ, ὅτι οὐκ ἔστιν κατὰ ἄνθρωπον.* (v. 12.) *Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην· ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

Quod Paulus v. 7. adfirmaverat, doctrinam aliam, quae *εὐαγγέλιον* recte dicatur, nullam esse praeter eam, quam Galatae ab ipso acceperint, amplius asseritur declaranda huius doctrinae origine divina v. 11. *γνωρίζω δὲ* etc. Minime sollicitanda scriptura vulg. *δέ*. Recte enim sic ponitur, ubi oratio ad sententiam transit, quae, quamvis arcte cohaereat proxime antecedentibus, singulari tamen studio separatim consideranda est ac distinguenda. Quod in codd. *Clarem. Aug. Boerner.* in verss. *Vulg.* et *It.* et apud patres quosdam latinos legitur *γὰρ* (v. 10. 12. 13. iterata vice obvium) originem debere videtur glossemati, quo librarii nexum v. 11. cum 10. declarandum existimarent. Dignitati summae rei, de qua sermo est, primariae (*εὐαγγελίου*) declarandae inservit verborum inversio (cfr. *Actt. 13, 32. I. Corr. 7, 17. II. Corr. 12, 7.*) *γνωρίζω ὑμῖν τὸ εὐαγγέλιον* etc. pro: *γνωρ. ὑμῖν, ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἐμοί, οὐκ ἔστιν* etc. Vb. *γνωρίζειν* apud profanos i. q. *γινώσκειν* intelligere s. agnoscere (cfr. Borger ad h. l.), in sermone graeco N. F. et LXX. haud raro i. q. *indicare, notum facere,* sive rem prorsus novam patefacias, sive cognitam in memoriam revoces animumque ad eam praecipue reddas attentum, *LXX. Proverbb. 22, 19. Ezech. 44, 23. I. Corr. 12, 3. 15, 1. al. Significo autem,* ait, *vobis, fratres, doctrinam laeta nuntiantem a me traditam non esse humanam.* Quanquam *κατὰ* sq. accusat. minime causam s. auctorem rei significat, immo de iis dic. quae ita

sunt s. se habent, ut normae, voluntati, exemplo alicuius respondeant, cfr. *Plato republ. l. 4. c. 17. p. 197.* ed. Ast. *Plutarch. de sera Numinis vindicta p. 77.* ed. Wyttenbach. *Coloss. 2, 8. Romm. 15, 5. I. Petri 1, 15. al.* (Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 340.*), illud tamen: ὅτι οὐκ ἔστιν κατὰ ἄνθρωπον: *non talem esse, qualis informari soleat intelligentia ingenio voluntate hominum*, si sensum spectaveris, utique *originem* potissimum huius doctrinae *negat humanam* (Theophylactus: οὐκ ἄνθρωπον ἔχον διδάσκαλον), ita ut *simul* ad *argumentum* eius respiciat, alienum ab arbitrariis hominum placitis nec studio perverso hominibus placendi (v. 10.) accommodatum. Sententiam dicti uberius ipse Apost. interpretatur v. 12. de sua ipsius cognitione veritatis Christianae idem valere adfirmans, quod modo universe de origine τοῦ εὐαγγελίου monuerat: οὐδὲ γὰρ etc. *Neque enim ego ab homine eam accepi nec edoctus sum.* Sententia evadit haud incommoda, si cum Winero vert. *ne ego quidem*, quanquam non fui inter familiares Christi cum ipso in terra versantes, *ab homine* etc. Attamen sic scribendum fuisset (quod Rückert bene intellexit): οὐδ' ἐγὼ γὰρ s. καὶ γὰρ οὐδ' ἐγώ. Οὐδὲ propter negationem antec. ponitur. Pronomen ἐγώ haud otiosum, respicit quippe ad oppositionem *Apostoli qui acceperit, et eorum quibus ipse tradiderit* evangelium. Vbb. παραλαμβάνειν (cfr. v. 9.) et, quod definitius est, διδάσκεσθαι (*II. Thess. 2, 15. al.*) pariter atque latina: *accipere* et *discere* (*Cic. de nat. De. 1, 4. pro Milone c. 4.*) ad sensum h. l. tam parum differunt, ut lectio vulg. οὔτε ἐδιδ. verissime auctoritatem suam tueatur contra voc. οὐδὲ in codd. *Alex. Clarem. Aug. Boerner.* et apud Chrysost. Athan. Theodor. expressam, eiusmodi tantum vocibus seiungendis inservientem, quae notiones magis diversas involvunt. Praepositionem παρὰ sq. genit. usurpari, ubi quid *proxime* (immediate) ab altero originem habere dicatur, docuerunt D. Schulz *die christl. Lehre vom heil. Abendmahl p. 218. sq.* ed. I. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 318. sq. Sed per revelationem* (ait) *Jesu Christi* edoctus sum. In sermone N. F. vocc. ἀποκαλύπτειν: *retegere, manifestare*, sive de

rebus agatur, quae retectae oculis pateſiant, sive quae oratione manifestentur, et ἀποκάλυψις: rei opertae patefactio (*Herodian. 7, 4, 10. Plutarch. in Aemilio Paulo c. 14. Plat. Gorgias s. 10. p. 52. s. 14. p. 64.* ed. Findeis.) *maxime* valent de iis, quae hominibus, quum Christus apparuisset, de rebus divinis Deo volente patefacta sunt, olim vel prorsus ignota vel minus recte et dilucide cognita. Quae his vocabb. innuitur revelatio, partim *Christo* tribuitur *auctori*, cuius et doctrina et fatorum factorumque series tota indolesque singularis decreta divina olim recondita de hominibus per Christum salute vera ornandis patefecit, *Matth. 11, 27. Luc. 2, 32.*, partim *praedicationi* doctrinae de Christo s. ipsi εὐαγγελίῳ *Romm. 1, 17. sq. 16, 25.*, partim *Deo*, modo *simpliciter Matth. 16, 17. Gal. 1, 16. Philipp. 3, 15.*, modo ita ut Deus vel *per Christum* veritatem patefacere dicatur *Matth. 11, 25. coll. v. 27. Apocal. 1, 1.*, vel *per* πνεῦμα ἅγιον *I. Corr. 2, 10. Ephes. 3, 5. al.* Cuius postremi generis effata quanquam propius accedunt ad notionem revelationis, quam dicimus internam immediatam (inspirationem), minime tamen litterae sacrae discrimen explicuerunt subtilius revelationis mediatae et immediatae, quale in scholis philosophicis et theologicis varie disceptatur. Obiectum ἀποκαλύψεως et universe dicitur veritatis Christianae cognitio recta, quocunque tandem modo contigerit homini, *Matth. 16, 17. Romm. 16, 25. Gal. 3, 23.*, eiusque incrementum *Ephh. 1, 17. Philipp. 3, 15.* et quae interdum vel Apostolo vel alii cuidam homini Christiano subito contigit intelligentia singularis ad res divinas pertinens, eiusmodi habens vim eximiam et perspicuitatem, quae animum insigniter percelleret converteretque ad Deum institutionis auctorem, *Gal. 2, 2. I. Corr. 14, 6. 26. 30. II. Corr. 12, 1. 7.* Cfr. liber meus: *Briefe über Religion und christl. Offenbarungsglauben Jena, 1826. p. 112. sqq.* Quae h. l. dicitur ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χρ. haud dubie utrumque complectitur, neque ad illud tantum respicit eventum insigne, quo Paulus ad Christum conversus est v. 16. *Actt. 9, 1—9. 22, 6—10.*, sed etiam ad invisibilem Dei et Christi efficientiam, qua iuvante Apostolus mentem Christi et evangelii indolem penitius perspexit, quam

subinde ita expertus est, ut visiones ipsi offerrentur in statum animi coniecto prorsus singularem, *Actt. 22, 17. sqq. II. Corr. 12, 1. sqq.* Genitivum Ἰησοῦ Χρ. pariter licet genitivum habere *subiecti* s. *auctoris:* per revelationem, cuius auctor fuit Christus, atque genit. *obiecti*, Theodoreto praeeunte, cfr. v. 16.: per revelationem qua mihi manifestatus est Christus. Nolim quidem necessitatem prioris interpret. effato superstruere *II. Corr. 12, 1.*, quum etiam hic locus (si modo sub κυρίῳ Christus intelligatur) posteriorem admittat. [Alius generis sunt effata, ubi ἀποκάλυψις κυρίου de Christo olim ad iudicium palam apparituro dicitur. Vd. ad *II. Thess. 1, 7.* obs.]

Quo iure adfirmaverit, nullius hominis interventu sed Dei ipsius et Servatoris gratia factum esse, ut Christum recte cognosceret, amplius comprobat Apostolus breviter commemoranda vitae suae adhuc gestae historia. Olim quippe tantum aberat, ut veram Christi cognitionem curaret, ut etiam homines Christo addictos acriter persequeretur. Subito deinde conversus (quod fieri non potuisset absque numine Dei) hominem nullum, ne apostolum quidem, adhibuit doctorem. Quis fidem deneget Paulo, sanctissime haec testanti, nihil cogitanti ac molienti, nisi ut veritati divinae propagandae inserviret, abiecto quovis rerum terrestrium studio? Haud impedit quidem testimonium Pauli, quominus concedamus, priusquam illa animi mutatio ingens accideret, *aliquam* sermonum et vitae Christi *cognitionem historicam* ipsi non defuisse, quum et Hierosolymis in schola Gamalielis annos plures transigeret et posthac, Christianis persequendis intentus, opportunitatem haberet ex ipsis eorum, qui pro evangelio gravissima quaeque paterentur, testimoniis plura de Christo cognoscendi. Attamen admodum manca et imperfecta fuerat haec rerum Christianarum intelligentia, nec persuadere ei potuerat, Jesum re vera esse Dei filium ac legatum, Mosi omnibusque prophetis praeferendum. Nonnisi de discrimine tum temporis cogitabat, in quo religio ac disciplina Mosaica versari videretur, si ecclesia Christi increscceret. Jam vero, quae Paulo Damascum proficiscenti moderante Deo obtigit visio, tam graviter animum perculit, ut perspicuitate summa Jesum agnosceret filium Dei. Ab hoc

temtum adhaerere dicamus. Ingeniosa est Wineri observatio, ad articulum *οἱ ταραασσ.* provocantis, duas inter se mixtas esse structuras, tanquam si scriptum fuerit: *εἰσί ταράσσοντες ὑμᾶς, καὶ οὗτοί εἰσί τινες*, sunt, qui vos perturbent, *pauci quidem.* Quaesivit contra Rückert ad h. l., an forte seriores Graeci minus accurate loquentes participia cum articulis etiam hoc sensu substantivis addiderint, ut simpliciter praedicatis inservirent subiectum describentibus, nec enuntiationem involverent singularem? Cfr. infra III, 21. *Actt. 4, 12.* Recte idem negavit, *τινὲς* idem valere quod *ὀλίγοι.* Quam vim *articulus* h. l. obtineat, optime, opinor, intellexit Matthies ad h. l. Docetur, nonnullos esse, qui *ita comparati* sint (pro sua cogitandi et sentiendi ratione), ut Galatas perturbent. Animum alicuius *ταράσσειν* de statu recto deturbare dicitur, qui inquietum reddit, in dubitationes coniicit, ad errores abducit, lat. *perturbare* s. *concutere*, infra 5, 10. *Actt. 15, 24. 17, 8. I. Petri 3, 14. Xenoph. memorabb. 3, 6, 17. Lucian. T. I. p. 862.* ed. Reitz. Sermonem institui de eiusmodi hominibus, qui Galatis fraudulenter placita persuaderent ab indole verae Christi doctrinae aliena, verbis docetur add. *καὶ θέλοντες* etc. *Μεταστρέφειν* quippe a significatione convertendi *(Actt. 2, 20. al.)* facile etiam transferri potuit ad notionem pervertendi et corrumpendi, *Sirac. 11, 31. Aristot. rhetor. 1, 15.* Quantopere vero abominandi sint, quicunque a doctrina vere Christ. decendo deflectant, eximia sermonis gravitate et vehementia profitetur Apostolus v. 8. *Ἀλλὰ καὶ ἐάν* etc. *Verum, si vel* (coniungimus *καὶ ἐάν* i. q. alibi *κἄν*, cfr. Rückert ad h. l.) *nos ipsi* (suppl. ex seqq. *εὐαγγελίζωμεθα*) *vel nuntius quidam coelitus veniens* (genius coel.) *doctrinam quam dicamus salutarem vobis tradiderit ei, quam vobis olim tradidimus, contrariam, esto exsecrabilis.* De forma media *εὐαγγελίζεσθαι* ex usu hebr. בָּשַׂר: nuntium tradere laetum *(I. Sam. 31, 9. Jes. 52, 7. 60, 6. al.)* sic absolute posita de iis, qui nuntium laetum de Christo et regno divino adferunt, cfr. *Actt. 14, 7. Romm. 1, 15. I. Corr. 9, 16.* *Παρ' ὃ εὐηγγελ.* cum plerisque vertendum censuimus: *contrariam* ei, quam vobis exposuimus doctrinae, non: *praeter* id,

quod praedicavimus, l. e. o brvantia legis Mosaicae conditionibus salutis in evangelio propositis temere admiscenda (cfr. Rambach ad h. l.). Ilia quippe interpretatio et usu sollenni praepositionis *παρὰ* cum accusat. commendatur, *Romn. 12, 3. 16, 17. Actt. 18, 13. Plat. republ. l. 4. c. 15. in. p. 191. l. 7. c. 11. in. p. 325.* ed. Ast., et sententiae gravitate. Quicunque, quanquam Christo addicti, tamen observantiam legis Mosaicae urgebant, eo ipso tollebant doctrinam de salute vera *unice* per fidem Christo habitam impetranda. *Pluralis εὐηγγελισάμεθα* ad *Paulum eiusque socios* pertinet ipsum Galatas edocentem et convertentem adiuvantes. De *semet ipso solo* Apost. in *hac* quidem epistola ab initio ad finem usque personam 1. *singul.* adhibuit. Substant. *ἀνάθεμα* apud Graecos seriores (cfr. Lobeck ad *Phrynichi ecl. p. 249.*) locum occupavit formae antiquioris atticae *ἀνάθημα.* Sic dicebantur res ab usu communi et profano remotae, sepositae, numini divino consecratae, donaria potissimum quae in templis suspendebantur, *Polyb. 11, 4, 1. Plato republ. 2, 5. p. 66.* ed. Ast. *Luc. ev. 21, 5.* Eodem sensu forma *ἀνάθεμα* apud *Plutarch. vita Pelop. c. 25. II. Maccabb. 2, 13.* Cfr. *LXX. Levit. 27, 28. Jos. 6, 18. sq. Ezech. 44, 29. Michae 4, 13.* ubi hebr. חֵרֶם exprimitur, res Deo ita devota, ut voto solvi et redimi omnino nequeat. Quum vero eiusmodi quoque res חֵרֶם (Deo sacrata) diceretur, quam Hebraei poenae divinae haberent obnoxiam (v. c. quae idolorum cultui inserviisset), prorsus removendam ex hominum conspectu vel delendam, v. c. *Deuter. 7, 26. Jos. 6, 17. LXX.* factum inde, ut gr. *ἀνάθεμα* ex usu illius hebr. omnino transferretur ad *rem* s. *hominem exsecrabilem* et phrasis *ἀνάθεμα ἔστω* in formulam imprecationis diraе abiret, *Malach. c. 3. ex. Zachar. 14, 11. Actt. 23, 14. Romm. 9, 3. I. Corr. 12, 3. 16, 22.* Cfr. Suiceri *thesaurus eccles. T. I. p. 268. sqq. ed. III.* Koppe et Tholuck ad *Romm. 9, 3.* Quicunque veram Christi doctrinam placitis arbitrariis corrumpere voluerit, eum detestabilem dicit, poenae div. gravissimae obnoxium. Orationis series certe non postulat, ut Paulus h. l. de excommunicatione potissimum ex coetu Christ. cogitasse existimetur, quanquam hebr. חֵרֶם ad eos transfertur,

prett. *Marc. 7, 26. II. Corr. 11, 26. al. Aelian. V. H. 1, 34.* Disciplinae Gamalielis Pharisaei Hierosolymis traditus Saulus iuvenis *(Actt. 22, 3. 26, 5.)* insignem sibi comparavit Theologiae Judaicae cognitionem, cuius usum quam sapienter post conversionem fecerit ad veritatem Christianam inter Judaeos illustrandam ex Actis App. multisque epistolarum Pauli effatis cognoscimus. At h. l. de *fervore* potissimum cogitari et studio legem traditionemque Judaicam quovis pacto tuendi, quo tum temporis populares superaverit multos, seqq. ostendunt. (Audivistis, inquit) *me antevertisse multis in gente mea aequalibus in studio Judaismi, quum acrior essem defensor traditionum, quas a maioribus acceperam.* Ζηλωτής τινος i. q. qui rem quandam cupide sectatur, eam acriter consequi studet s. tuetur, *Actt. 21, 20. 22, 3. I. Corr. 14, 12. al. Polyb. 10, 25, 2. Herodian. 6, 8, 5. hebr.* קַנָּא , *Numerr. 11, 29. Proverbb. 24, 1.* Participium vb. ὑπάρχειν cum substantivo vel adiectivo iunctum, cui notio inest praedicati, in N. F. saepissime potestatem vb. εἶναι simpliciter exprimit, *Luc. ev. 11, 13. Actt. 22, 3. Romm. 4, 19. Gal. 2, 14. al.*, eodemque sensu apud profanos interdum participiis aliorum vbb. coniungi doc. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik ed. II. Vol. II. p. 1104.* De usu sollenni voc. παράδοσις ad *II. Thess. 2, 15.* exposuimus. Quanquam h. l. significatio *praecepti* s. *placiti a maioribus ad posteros propagati* (traditionis) utique spectanda est, praeeunte vocabulo in N. F. semel obvio πατρικῶν (quod signif. rem a patribus acceptam, *Sirac. 42, 10. Diod. Sic. 1, 88.* alibi πατροπαράδοτον *I. Petri 1, 18.* πατρῶον *Actt. 22, 3.*), licet tamen cum Calixto Flattio Winero Rückerto, aliis, utrumque intelligere, et *traditiones illas Pharisaeorum ore tantum propagatas*, quibus legem Mosaicam interpretabantur et amplificabant, *Matth. 15, 2. Marc. 7, 3. Josephi Antiqq. Judd. 13, 10, 6.*, et *disciplinam libris sacris perscriptam*, olim quippe, priusquam tabulae scriptae exararentur, populo ore per Mosen traditam, itemque posthac in scholis Judaeorum praelegi et explicari solitam. Utramque enim παράδοσιν acriter propugnabant Judaei severiores, praesertim sectae Pharis. addicti. Genitivum μου in promtu est

ex subiecto pendere *τῶν πατέρων*, voci *πατρικῶν* inhaerente. Comparativus denique *περισσοτέρως* minime pro simplici *λίαν* positus (cfr. ad *I. Thess. 2, 17.* obs.) haud dubie ad illos pertinet *συνηλικιώτας* (quod Morus ad h. l. verissime observ.). Ceterum huic effato comparanda quae idem Apost. de se professus est *Acti. 26, 4. 5.* Id maxime urget, se olim fuisse *ζηλωτὴν* legis et traditionum, ardore coeco quidem abreptum, quo sibi videretur Christianis persequendis rem tueri divinam. Patebat inde, persuasionem certam de Jesu Christo coelitus legato, priori oppositam, non potuisse nisi divinitus in animo eius excitari.

Quae quidem animi mutatio ingens postquam acciderat, ad ipsam Apostoli provinciam subeundam mandato coelesti vocatus nullum adhibuit doctorem evangelii humanum.

V. 15. 16. 17. *Ὅτε δὲ εὐδόκησεν* [*ὁ θεὸς*] *ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου καὶ καλέσας διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ*, (v. 16.) *ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, ἵνα εὐαγγελίζωμαι αὐτὸν ἐν τοῖς ἔθνεσιν, εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι*, (v. 17.) *οὐδὲ ἀπῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, ἀλλὰ ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν, καὶ πάλιν ὑπέστρεψα εἰς Δαμασκόν.*

V. 15. 16. De vb. *εὐδοκεῖν* ad *I. Thess. 2, 8.* diximus itemque de *ἀποκαλύπτειν* supra ad v. 12. Suspecta sunt vbb. *ὁ θεὸς*, in codd. quippe *Vatic. Aug. Boerner.* versa. *Peschito* et *Vulg.* apud *Hieron. Ambros. Pelag.* et aliquoties apud *Chrysost.* et *Theodor.* (quanquam uterque in comment. epistolae *ὁ θεὸς* exhibet) omissa. Originem debere videntur interpretandi studio. De *Deo* sermonem esse seqq. sponte docent. Erraverunt interpretes (Piscator Grotius Bolten) qui *ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί* vert. *filium suum per me* (mea opera) *patefacere aliis*, quum eadem sententia verbis seqq. *ἵνα εὐαγγελίζωμαι* etc. satis perspicue exprimatur, atque res ipsa postularet ut Paulus ante omnia profiteretur, *sibi* Christum divinitus patefactum esse. Maluerunt alii (Calvinus Koppe Borger Flatt) *ἐν ἐμοὶ* pro simplici *μοι* accipere. Negamus vero cum Wi-

nero ἐν subinde in N. F. indicem esse dativi (cfr. eiusdem *Grammatik etc. ed. III. p. 177.*) eidemque prorsus adsentimur interpretanti: *in mente mea* (quod pridem probatum vidimus Chrysostomo et Oecumenio, inter recentiores Rambachio Baumgartenio Semlero Michaeli Paulo Rückerto). Consulto, opinor, sic scribere Paulus maluit quam ἐμοὶ, quo maiori perspicuitate vel hoc assereret, se non tantum sermone didicisse evangelium, sed etiam animo toto (νῷ καὶ καρδίᾳ, cfr. Oecumen. ad h. l.) esse complexum, vel notionem exprimeret *revelationis internae* (quam visionem fuisse putamus *Actt. 9, 3. sqq. 26, 19.*) *divinitus effectae*, omnemque removeret cogitationem eiusmodi potefactionis Christi, quam Deus ipsi per alios homines contingere iusserit. Quae interiecta leguntur de Deo ὁ ἀφορίσας με etc. illam, quae vb. εὐδόκησεν innuebatur, notionem decreti de Paulo convertendo divini, ex *libera Dei gratia* oriundi, amplius illustrant. Deum adfirmat Apostolus ipsum *ab utero matris*, a natalibus inde (ἐκ κοιλίας μητρός, *Luc. 1, 15. Matth. 19, 12.* hebr. מִמְּעֵי s. מִבֶּטֶן אֵם *Job. 1, 21. Jes. 49, 1.*) *segregasse* ab aliis, i. e. decrevisse Deum, ut ipse prae aliis hoc modo converteretur et Apostolus fieret. Similiter ἀφωρισμένον se appellat εἰς εὐαγγέλιον *Romn. 1, 1.* Universam *eligendi* hominem, qui muneri praeficiatur, potestatem exprimit *Actt. 13, 2. LXX. Levit. 20, 26.* ex usu hebr. בָּדַל sq. ל. Eodem fere modo *Jeremias 1, 5.* de munere loquitur prophetico sibi a natalibus inde destinato. Praedicatum posterius καὶ καλέσας etc. recte viderunt Calvinus Rambach Borger Flatt, alii, ita differre a priori, ut, quemadmodum ἀφορίσας etc. decretum gratiae divinae pridem constitutum de Saulo suo tempore convertendo indicet, ita hoc καλέσας etc. ad tempus respiciat, quo res decreto divino constituta acciderit. Καλεῖν quippe et vocationem Pauli ad munus apostolicum *Romn. 1, 1. I. Corr. 1, 1. al.*) et universe invitationem ad professionem Christi qua regni div. participes reddimur (vd. ad *I. Thessall. 2, 12.* obs.) complectitur. Vocasse eum dicitur Deus *per* gratiam suam, quippe quae vim suam exseruit et manifestavit Paulo vocando. Cfr. *II. Petri 1, 3.* ubi Deus dic. καλέσας

ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. *At* (inquit) *quum Deo, qui inde ab utero matris me segregaverat et* (posthac) *per gratiam suam vocavit, placuisset, filium suum in me patefacere, ut laetum de eo nuntium adferrem gentibus (Actt. 9, 15. 22, 21. 26, 17. sqq. Ephess. 3, 8. Romm. 11, 13.); illico non consului carnem et sanguinem.* Verbi προσαναπιθέναι (pr. novum imponere onus) forma *media* apud profanos quidem plerumque *intransitive* valet de iis, qui *insuper* onus sibi imponi patiuntur, rem molestam suscipiunt, v. c. *Xenoph. memorabb. II, 1, 8.* Interdum tamen apud seriores sensu activo sq. τινι: *in consilium aliquem adhibere*, siquidem, qui aliquem consulit, hoc veluti onus alteri insuper iniicit, ut non suis tantum sed etiam alienis rebus prospiciat, *Diod. Sic. 17, 116. Lucian. in Jove trag. §. 1.* Substant. σάρξ praeter significationem propriam, vel simpliciter vel iunctum vocabulo αἷμα, in N. F. et de *homine ipso* usurpatur, *quatenus carne et sanguine constat*, ideoque, quod hanc attinet naturae partem, imbecillis est et morti obnoxius, der Mensch, in so fern er ein auf Erden lebendes Sinnenwesen ist, *Jo. 1, 14. Ephes. 6, 12. I. Corr. 15, 50.*, et de *natura hominis inferiore*, quae ad corporis desideria sensus et adfectus pertinet, eiusque efficacitate, *Matth. 16, 17. Romm. 7, 5. 25. 8, 1. 4. 8. 9. 12. 13. Gal. 5, 16. 19.* Cfr. Koppe *exc. IX. ep. ad Gal.* et Dav. Schulz *die christl. Lehre vom heil. Abendmahl, ed. I. p. 95. sqq.* Etsi interdum apud profanos similia obveniant, cfr. *Diogenes Laert. 10, 145. Seneca epist. 74. T. II. ed. Ruhkopf. p. 361.* (non est summa facilitatis nostrae in *carne* ponenda), ille tamen quem libri N. F. exhibent dicendi usus haud dubie ex hebraicis derivandus. Certum est, בָּשָׂר in V. T. a significatione carnis, praesertim corporis humani, ad naturam transferri hominis inferiorem (Sinnlichkeit, *Cohel. 2, 3. 5, 5.*) nec non de ipso dici homine, tanquam mortali, caduco, infirmo, *Ps. 56, 5. Job. 10, 4.*, totamque formulam בָּשָׂר וְדָם apud Rabbinos *hominem* indicare Deo oppositum, vd. Lightfooti *horae hebr. et talmud. ad Matth. 16, 17.* Proinde plerique huius loci interpretes (inter antiquiores Hieronymus, recentius Morus Borger Flatt Rü-

ckert) hoc inesse existimant: *non contuli* de doctrina Chr. recte cognoscenda et praedicanda *cum hominibus*, qui vulgo sunt imbecilles, terrestria potius quam divina cogitantes. *Apostolos solos* intelligi posse nolim Chrysostomo et Theophyl. concedere. De his enim separatim exponit oratio Apostoli v. 17. a genere ad speciem traducta. Alii: *non contuli meos ipsius sensus et adfectus humanos*, non haesitavi mecum de mandato coelesti exsequendo. Cfr. Koppe ad h. l. et Schulz *d. chr. L. vom heil. Abendmahl p.* 99. *ed.* I. Similiter Oecumenius: *οὐκ ἀπέκλινα εἰς ἄνεσιν καὶ ἡδυπαθείαν* (quanquam eiusdem Oecum. scholia aliam quoque commendant interpretationem, quae sub *σαρκὶ καὶ αἵματι* vel Apostolos, vel cognatos, sodales, populares Pauli intelligat). Malim sententiam tenere universam: *in consilium non adhibui sensus et adfectus humanos*, nec meam ipsius naturam inferiorem consului, nec alios homines, vulgo quippe terrena meditantes. Quam sent. Winero quoque in ed. III. comment. probatam video, praeeunte vers. aethiopica. Vocula *εὐθέως* id ipsum indicari voluit, se *illico* obsequutum esse mandato coelesti, ita ut nec dubitationibus indulgeret ex pristino rerum Judaicarum studio oriundis, neque, priusquam initium faceret Christum (in scholis Damascenis) palam praedicandi, aliorum evangelii doctorum scholas adiret. Cohaeret *εὐθέως* (quod recte, opinor, Borger ad h. l. intellexit) et grammatice et, quod sensum attinet, negationi sequenti *οὐ προσανεθέμην — ἀποστόλους pariter atque* membro, quod opponitur, adfirmanti v. 17. *ἀλλ' ἀπῆλθον* etc. Nihil est, quod nos iubeat vel cum Hieronymo ad verbum praecedens *εὐαγγελίζωμαι* referre, vel cum Koppio Flattio Winero ad illud tantum remotius v. 17. *ἀλλ' ἀπῆλθον* etc. ita ut sententia negativa *οὐ προσανεθέμην* etc. *interposita* habeatur, vel cum Naebio ad verbum supplendum: suscepi provinciam apostolicam. Nec facilitate satis commendari putaverim Rambachii aliorumque sententiam, qui praeeuntibus Chrysost. et Theophyl. *εὐθέως* oppositum existimant iis, quae v. 18. dicuntur *ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία* etc.: statim quidem post conversionem non adii Hierosolymas, immo hominem consului nullum, sed posthac,

triennio demum elapso etc. *Nec abii* (pergit v. 17.) illo tempore, modo conversus, *Hierosolymas ad eos qui ante me Jesu legati fuerant.* Per se spectata nihil habet, in quo offendas, lectio recepta: *οὐδὲ ἀνῆλθον* etc. quam vulgo interpretantur: *neque ascendi Hierosolymas*, rectius, opinor, vertente Flattio: *nec redii* illo tempore *Hierosol.* (in hac enim urbe aliquamdiu sedem habuerat fixam ante conversionem.) De *redeuntibus* constat *ἀνέρχεσθαι* dici, *Herodian. 2, 14, 4. 4, 1, 8. al.* Quanquam ex potestate cognita praepos. *ἀνὰ* de iis etiam usurpatur, qui sese conferunt in locum altiorem, v. c. *εἰς τὸ ὄρος Jo. 6, 3.* cfr. *LXX. Judd. 21., 8. Xenoph. hist. gr. 2, 4, 39. Plat. republ. l. 6. c. 21. p. 298.* ex. ed. Ast. (ubi tropice i. q. cogitando *sursum* tendere, opponitur quippe *τῷ καταβαίνειν ἐπὶ τελευτήν*, quod p. 298. med. legebatur); in libris tamen N. F. ubi de *adscendentibus in urbem* loco altiori sitam sermo est, adhibetur potius *ἀναβαίνειν.* Nos vero cum Lachmanno lectionem recepimus, Winero quoque haud improbatam, *οὐδὲ ἀπῆλθον* etc. in codd. *Vatic. Clarem. Sangerman. Aug. Boerner.* in vers. *Peschito Vulg. It.* et apud patres lat. expressam. Consulto, opinor, Apost. h. l. *idem* vb. usurpavit, quod in membro opposito legitur *ἀλλ' ἀπῆλθον* etc. quo luculentius pateret, sermonem esse de uno eodemque tempore. Vulg. *ἀνῆλθον* correctionem sapit ex v. 18. profectam. *Sed abii* (addit) *in Arabiam, unde Damascum reversus sum.* Quod Paulum in regionibus Arabiae, Syriae finitimis, statim post conversionem doctrinam de Christo praedicasse vulgo contendunt, nemo certe vel ex ipsis Pauli verbis *ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν* vel aliunde probaverit. In Actis quippe Apostt. nulla omnino huius itineris Arab. mentio facta est. Probabilius existimatur regiones illas ab hominum frequentia remotas propterea adiisse, ut aliquamdiu meditationi piae vacaret, priusquam in synagogis Damascenis *(Actt. 9, 20. 26, 20.)* Christum praedicaret. Cfr. C. Schrader *der Apostel Paulus 1. Theil, Leipzig, 1830. p. 54. sq.* F. Koehler *Versuch über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften im N. T. etc. Leipz. 1830. p. 44.* Quamdiu ibi commoratus fuerit, ignoramus. Neque enim, quod

B. Hemsen coniecit in l. *der Apostel Paulus, vier Bücher, Göttingen, 1830. p. 31.* Apostolum fere biennium in Arabia transegisse argumento defenditur idoneo, neque cum Schradero l. l. ex loco nostro demonstrare licet, Paulum aliquot diebus elapsis statim rediisse Damascum, siquidem nihil est quod nos iubeat voculam *εὐθέως* ante vbb. *πάλιν ὑπέστρεψα* repetere. Verbo *ὑπέστρεψα*, cui per se spectato notionem inesse *revertendi* neminem fugit, abundantius additur *πάλιν* (ratione quidem habita temporis, quod Paulus Damasci transegerat ante iter arabicum), ut *πάλιν ἀναχάμπτειν Actt. 18, 21.* De *Damasco* Syriae urbe celeberrima, eo tempore, quod Paulus post conversionem ibi transegit, Aretae regulo Arabiae Petraeae parente *(II. Corr. 11, 32.)* cfr. in V. T. *Genes. 14, 15. 15, 2. II. Sam. 8, 5. Jerem. 49, 25. sqq.*

Qui porro sequitur locus de itineribus Pauli conversionem insequutis docet, Apostolum, etsi triennio a conversione elapso Hierosolymas venerit, minime tamen illo tempore institutionem de vera evangelii indole eiusque praedicatione recta ex ore ceterorum accepisse Christi legatorum, neque, ut porro Christum praedicaret in Syria et Cilicia, auctoritatem effecisse consilii aut mandati Apostolorum. His amplius illustratur, quod Paulus supra v. 12. asseruerat.

V. 18—24. *Ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα ἱστορῆσαι Κηφᾶν, καὶ ἐπέμεινα πρὸς αὐτὸν ἡμέρας δεκαπέντε* (v. 19.) *Ἕτερον δὲ τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου.* [v. 20. *Ἃ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι.*] (v. 21.) *Ἔπειτα ἦλθον εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας καὶ τῆς Κιλικίας.* (v. 22) *Ἤμην δὲ ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας ταῖς ἐν Χριστῷ.* (v. 23.) *Μόνον δὲ ἀκούοντες ἦσαν, ὅτι ὁ διώκων ἡμᾶς ποτὲ νῦν εὐαγγελίζεται τὴν πίστιν, ἣν ποτε ἐπόρθει,* (v. 24) *καὶ ἐδόξαζον ἐν ἐμοὶ τὸν θεόν.*

V. 18. Quod h. l. commemoratur triennium, utrum ab eo tempore, quo Paulus, Hierosolymis digressus prope Damascum conversus hanc urbem primum adierat, an ab illo, quem v. 17. innuebat, reditu ex Arabia rectius computetur, dissen-

fiunt interpretes. Discrimen utriusque sententiae haud ita magnum quidem apparet, nisi Apostolum, parum probabiliter, per plures menses vel diutius in solitudine arabica versatum fuisse contenderis. Attamen prius cum Semlero Haselaario (*comment. de nonnullis Actorum locis p. 84. sq.*) Flattio Winero aliisque posteriori, quod Koppe et Borger defendunt, praeferendum iudicamus. Satis probabiliter quippe Apostolus rem primariam atque insignem, qua veluti novam inchoaverat vitam, tanquam terminum (a quo) menti alte infixum tenuisse existimatur. Nec aliter recte computantur illi quatuordecim anni de quibus *Gal. 2, 1.* videbimus. Quod Lucas *Actt. 9, 23.* de commoratione Pauli inter Damascenos perhibet: ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναὶ etc. minime repugnat effato Paulino: μετὰ ἔτη τρία etc. neque argumento inservit, quo probetur coniectura acute quidem defensa Koehleri im l. l. p. 1. sqq. locum Paulinum de alio itinere seriori Hierosolym. intelligendum esse, quod Lucas in Actis silentio transierit. Etenim, quum substant. ἡμέραι in sermone quidem N. F. haud raro pariter atque χρόνος de quodam temporis spatio non accuratius definito adhibeatur (*Marc. 13, 20. Luc. 17, 22. 19, 43. Actt. 3, 24. Ephh. 5, 16. al.*), licet omnino illud ἡμέραι ἱκαναὶ eodem iure quo χρόνος ἱκανὸς s. χρόνοι ἱκανοὶ *Luc. 20, 9. 23, 8. Actt. 8, 11. al.* ad maius referre temporis intervallum, ad triennium totum quod Paulus Damasci transegit, commoratione quidem in locis Arabiae desertis computando addita; quanquam de sensu loci laud. ita statuere malim, ut Lucas *Actt. 9, 23.* non tam de toto illo triennio (completo) cogitasse existimetur, quam de ea parte, quae, reverso Paulo Damascum ex Arabia, elapsa fuerit, donec Judaei Damasceni Paulo insidiantes eo usque progrederentur, ut de Apostolo interficiendo deliberarent. De causis, quare ceteris interpretibus calculum addam, narrationem *Actt. 9, 23 — 27.* de eodem Pauli itinere Hierosol. explicantibus, cuius mentio h. l. in epistola nostra facta est, neque Apostolum post conversionem unum tantummodo mensem apud Damascenos transegisse existimem, uberius exposui in libro: *Erörterung einiger wichtigen chronolog. Punkte in der Lebensgeschichte des Apostel*

Paulus etc. Jena 1832. p. 3. sqq. *Triennio post* (inquit Ap.) *Hierosolymas redii* (cfr. de vb. *ἀνέρχ.* ad v. 17. obs.) *ut Cephan coram cognoscerem.* Pro vulg. *Πέτρον* edidimus cum Lachmanno auctoritate nonnullorum codd. (in his *Alex. et Vatic.*), verss. *Peschito Arab.* ex ed. Erpen. *Copt. Sahid. Aethiop. Κηφᾶν*, cui nomini aramaeo (in N. F. interdum obvio *Jo. 1, 43. I. Corr. 1, 12. 3, 22. al.*) explicando nomen eiusdem Ap. graecum (in N. F. vulgo positum), margini adscriptum, inserviisse videtur. Eadem lect. diversitas C. II. v. 9. 11. 14. apparet. Verbum *ἱστορεῖν* in N. F. *ἅπαξ λεγόμενον*, de eo qui hominem de facie cognoscit similiter apud *Josephum* leg. *de bello Jud. 6, 1, 8.* Profanis de *re* coram cognoscenda potius usurpatur, *Arrian. diss. Epict. 2, 14. Polyb. 9, 14, 3. Charit. 3, 3. p. 47.* ed. Dorvil. Quam apte Paulus h. l. scripserit *ἱστορῆσαι*, non *ἰδεῖν* (quod minus dilucide exprimeret studium Apostoli, virum fama et auctoritate *insignem* adeundi, de quo pridem plura audivisset) scite observavit Chrysostomus: *ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσιν*, consentiente Theophylacto. Haud dubie probe innotuerat Paulo, quam laeta auguria Jesus ipse olim de Petro edidisset, *Matth. 16, 17. sq. Jo. 21, 17. sqq.*, et quanta animi confidentia sermonisque gravitate hic Apostolus initium fecisset Hierosolymis doctrinam de Jesu Chr. palam praedicandi, *Actt. 2, 14. sqq.* Quindecim tantum dies apud Petrum se commoratum fuisse perhibet (*ἐπέμεινα*, cfr. *I. Corr. 16, 7. Actt. 28, 12. al. Hom. Odyss. l. I. v. 309.*) Quo minus diutius Hierosolymis versaretur impediebant insidiae hellenistarum *Actt. 9, 29.* V. 19. *Alium vero legatorum (Jesu) neminem vidi* illo tempore, *nisi Jacobum Domini fratrem.* Quis fuerit hic Jacobus, dissentiunt viri docti. Constat, Apostolorum coetui duo huius nominis viros fuisse adscriptos, alterum, quem vulgo Jacobum maiorem appellant, Zebedaei filium Joannis fratrem, alterum minorem, filium Alphaei s. Clopae. Quorum prior quum neque ad fratres sensu proprio dictos, neque ad consobrinos Christi pertinuerit (quam significationem voc. *ἀδελφὸς* latius patentem plures intt. illustraverunt, cfr. B. Morus ad *Isocr. panegyr.*

c. 20. hebr. אָח *Genes. 13, 8. 29, 15. 31, 23. LXX.)*, sequitur, si hic Jacobus cuius mentionem Paulus h. l. obiter fecit Apostolus fuisse existimetur, non posse nisi posteriorem intelligi consobrinum Christi, cuius mater Alphaei uxor soror esset Mariae matris Christi, *Matth. 10, 3. 27, 56. Marc. 3, 18. 15, 40. 47. 16, 1. Luc. 6, 15. Actt. 1, 13. Jo. 19, 25.* Probaverunt hanc sententiam Chrysost. Hieron. Theodor. Theophyl. recentiorumque plurimi. Maluerunt nonnulli (cfr. Ambros. ad h. l. inter recentt. Hess: *Geschichte der Apostel T. II. p. 309. ed. III.)* alium eiusdem nominis virum intelligere fratrem Christi germanum. Verissime, opinor, docuerunt Rich. Simon *crit. Geschichte des N. T. übers. von Cramer p. 317. sqq.* Herder *sämmtliche Werke zur Relig. und Theol. Vol. 8. p. 200. sqq.* Niemeyer *Charakteristik der Bibel T. I. ed. II. Zusätze p. 110.* Michaelis *Einleitung etc. Vol. II. p. 1416. 1423. sqq. ed. IV.* Storr *opuscc. acadd. Vol. II. p. 2. sqq.* aliique, ab utroque Jacobo Apostolo tertium distinguendum esse, eiusdem Mariae quae mater esset Christi filium. Commemoratur quippe Jacobus quidam una cum Juda Simone Jose *Matth. 13, 55. Marc. 6, 3.* inter illos Christi ἀδελφούς, qui in libris N. F. historicis ita describuntur tanquam comites Mariae matris Christi perpetui, de Jesu Christi fratris sui legatione divina, *quamdiu Jesus in terra viveret*, nondum persuasi, ut dubitari nequeat, hos fuisse *fratres* Servatoris *proprie dictos.* Uberius hac de re exposuimus in commentatione: *über die Brüder Jesu: Röhr Magazin für christl. Prediger, 3. B. 1. St. 1830. p. 33. sqq.* Quo minus vero Paulum h. l. de fratre Servatoris germano, qui nunquam inter Apostolos fuerit, cogitasse existimemus, ipsa orationis Pauli series v. 18. 19. impedit. Etenim, ut haec sententia probetur, necesse est voculis εἰ μή meram vindices excludendi non excipiendi potestatem, s. cum Winero post εἰ μή repetas εἶδον, neglecto illo τῶν ἀποστόλων: *alium* praeter Petrum *apostolum non vidi, praeterquam quod* (i. q. *sed*) *Jacobum vidi* etc. Attamen effata quibus hic usus dicendi vulgo comprobatur ita se habent, ut eiusmodi ellipsis, qua aliquid de genere negatur, quod antea vel de specie, vel

de individuo negatum fuerat, omnino *cogitari* possit. Cfr. quae supra ad vbb. v. 7. *εἰ μή τινες* etc. observata sunt. Alia est indoles huius effati Paulini, cuius oratio minime potest hoc modo suppleri: omnino (praeter Petrum) *hominem nullum* vidi nisi Jacobum etc. Id enim nemo facile sibi persuaserit, Apostolum illis quindecim diebus in urbe Hieros. *hominem nullum* vidisse praeter Petrum et Jacobum. Cfr. narratio *Actt. 9, 26. sq.* [Alia effata ex profanis laudd. alius sunt generis, v. c. *Homeri Od. l. 2. v. 411. sq. μήτηρ δ' ἐμὴ οὔτε πέπυσται, οὐδ' ἄλλαι δμωαί*, ubi voc. *ἄλλαι* minime ad antecedd. referendum, sed ad seqq. *μία δ' οἴη μῦθον ἄκουσεν.*] Nisi contortius interpretari volueris, hoc tantum sensu vbb. Pauli intelligi possunt: *ceterorum Apostt. praeter Petrum vidi neminem, excepto (Apostolo) Jacobo.* Neque omnino patet, quo consilio Paulus hoc addendum putaverit, se tum temporis vidisse Jacobum, si fratrem Christi intelligeret germanum, qui neque Apostolus esset nec omnino doctoris auctoritate inclaruisset. [Traditioni apud *Eusebium hist. eccl. l. 2. c. 1. Orig. ad Matth. 12, 46.* aliosque scriptorum vett. obviae de munere episcopali, quod Jacobus frater Christi germanus idemque *δίκαιος* appellatus Hierosolymis gesserit, ansam haud dubie praebuit, quod effatum nostrum Paulinum parum recte de fratre Jesu proprie dicto explicatum est. Cfr. *Isagoge* mea *in libros N. F. sacros p. 376. 380. sqq.* et comment. mea supra commemor. *über die Brüder Jesu etc. p. 45. sqq.*] Sive cognovisset illum fratrem Jesu germanum Hierosolymis seu minus, nihil inde opponi poterat Paulo in hac epistolae sectione id maxime asserenti, Apostolos neque doctrinam ei impertivisse neque sua auctoritate ipsius praedicationem confirmasse evangelicam. Prorsus accommodate vero ad consilium Pauli omnia dicuntur, quae v. 18. 19. legimus, si Jacobum minorem Apostolum intellexeris. Ingenue quidem profitetur, se Hierosolymis, elapso post conversionem triennio, quindecim dies apud Petrum esse versatum. Quis neget, Paulo, si quantum temporis indigeret institutione apostolica, contingere eam potuisse ex sermonibus Petri? Attamen, qui ipse iam Christum Damasci praedicaverat, non indigebat doctore evangelii

humano, neque doctrinae per Apostolos cognoscendae causa Hierosolymas profectus fuerat, sed ἱστορῆσαι Κηφᾶν. Praeter Petrum et Jac. illo tempore neminem vidit legatorum Christi. Patebat inde, praedicationem evangelii Paulinam, quae maxime urgeret abrogationem circumcisionis totiusque legis Mosaicae, nequaquam ex iis oriundam esse, quae tum temporis cognovisset Hierosolymis. Uterque enim et Petrus et Jacobus minor aliquamdiu certe magis indulgebat Judaeo-Christianis, legis Mosaicae necessitatem etiamnum tuentibus, cfr. c. II. v. 11. sqq. Patebat insuper, de auctoritate Pauli apostolica illo tempore nihil fuisse constitutum communi quodam Apostolorum omnium decreto. Ceterum, quod Lucas *Actt. 9, 27.* perhibet, Paulum Hierosolymas profectum per Barnabam socium ad Apostolos deductum fuisse iisque maxime commendatum, minime contradicit testimonio Pauli, duos tantum, quos tum de facie cognoverit, Apostolos commemorantis, etsi oratio Lucae h. l. minus accurata et definita appareat. Barnabae comitis sui non habebat Apostolus quod h. l. mentionem iniiceret. Quaeri utique possit, quo iure exspectaverit Paulus, Galatas fidem sibi habituros esse, simpliciter haec de itineribus suis enarranti? Primum quidem res traduntur in facto positae, quarum veritatis testes idonei, qui Paulum et Hierosolymis et alibi viderant, si quos Galatae desiderarent, excitari facile potuissent. Nec temere existimamus, quum Apostolus quo tempore has litteras exararet iterata vice in Galatia commoratus fuisset (vd. prolegg. §. 3.), haud paucis Galatarum iampridem innotuisse, quae Paulus de itineribus illis diceret, non tam nova iis nuntiaturus, quam audita in memoriam revocaturus, quo rectius intelligeretur, quod supra v. 11. 12. adfirmasset. Deinde, qui de Galatis ad Christum convertendis tam egregie meritus fuerat, iisque pietatem suam et veracitatem olim ita probaverat, ut eum amore summo et observantia prosequerentur (C. IV. v. 14. 15.), haud verendum putabat, ne ipsum mendacii reum habituri essent, praesertim si formulam adderet veritati sancte adfirmandae inservientem, qualem v. 20. exhibet: Ἃ δὲ γράφω etc. ubi post τοῦ θεοῦ tacite repetendum γράφω: *quae vobis scribo* (intell. quod

modo v. 19. narraverat, siquidem, ut hoc inter omnes verum haberetur, nec adversariis crederetur Paulum Hierosolymis a ceteris Christi legatis institutionem evangelicam accepisse adfirmantibus, maxime curae cordique fuit Apostolo), *ecce!* (quae vocula interposita, ex evangeliis satis cognita, animum lectoris ad rem dicendam intendit) *coram Deo scribo, siquidem non mentior.* Sic enim totius loci structuram facillime expediri cum Hieronymo et Ambr. iudicamus. Sententia quidem primaria eadem apparet, si alios sequaris interpretes: quod attinet ea quae vobis scribo, ecce coram Deo testor, me haec non mentiri. Facere sive loqui aliquid dicuntur *ἐνώπιον* s. *κατενώπιον τοῦ θεοῦ*, vel, quatenus ita faciunt sive loquuntur, *ut probe perpendant haec non latere Deum omniscium*, vel, *probante Deo II. Corr. 2, 17. 12, 19.* hebr. לִפְנֵי יְהוָה *I. Sam. 12, 7. 23, 18. al.* Integra haec locutio: *ἰδοὺ — οὐ ψεύδομαι* iurisiurandi potestatem habet i. q. *θεὸς οἶδεν, ὅτι οὐ ψεύδομαι II. Corr. 11, 31.* Simillima legg. *Romm. 1, 9. 9, 1. II. Corr. 1, 23. 2, 10. I. Tim. 2, 7.* V. 21. *Postea in tractus veni Syriae et Ciliciae.* Subst. *κλίμα* a significatione propria: inclinatio terrae ab aequatore ad polos atque coeli temperies diversa hinc oriunda, transfertur ad singulos terrae tractus, quatenus hac temperie differunt, *Aristot. περὶ κόσμου c. 2. §. 4. p. 27.* ed. Kapp. *Polyb. 5, 44, 6. Romm. 15, 23. II. Corr. 11, 10.* Nomen *Συρία* apud veteres late quidem patebat nec semper eodem dicebatur sensu, modo eum complectens Asiae minoris tractum qui Cilicia et Mesopotamia Phoenicia Galilaea Arabia terminabatur, modo hunc tractum una cum Phoenicia, modo regionem totam inter Amasum et Taurum montes, inter mare mediterraneum et Euphratem fluvium interiectam (ipsam adeo Palaestinam). Hoc loco *Phoeniciam* intelligi, cfr. *Matth. 4, 24. Actt. 21, 3.*, Koppio Borgero Winero recte, opinor, concedimus. Narratio quippe Lucae parallela *Actt. 9, 30.* Apostolum, propter Hellenistas ei insidiantes, Hierosolymis *Caesaream* deductum fuisse perhibet, inde Tarsum in Cilicia (urbem ipsius patriam *Actt. 22, 3.*) adiisse. Quum Caesarea h. l. simpliciter commemoretur, non addito *τὴν Φιλίππου*, quo praedicato alia urbs eius-

dem nominis in Gaulonitide ad radicem montis Libanon sita distinguitur *(Matth. 16, 13. Marc. 8, 27.)*; satis probabiliter Caesarea intelligitur Palaestinensis mari mediterraneo adiacens *(Actt. 8, 40. 10, 1. 24. al.)* ex qua proxime via patebat in Phoeniciam. De situ utriusque urbis cfr. Roehr: *Palaestina, ed. III. Zeitz 1821. p. 141. sq. p. 172.* Quamdiu Paulus in Phoenicia et Cilicia commoratus fuerit accuratius definiri non potest. Cfr. liber meus: *Erörterung einiger wichtl. chronol. Punkte etc. p. 83. sqq.* Docuisse Paulum in regionibus illis colligere licet ex *Actt. 15, 41.* ubi seriori tempore *confirmasse* tantum, non primum collegisse narratur coetus Christianos Syriae et Ciliciae. Consilio Pauli in hac epist. sectione asserendi, se non fuisse Apostolorum discipulum, neque eorum auctoritate docendi provinciam adiisse, cohaerent etiam quae sequuntur v. 22. *Ἦμην δὲ* etc. *Eram autem coetibus, qui in Judaea sunt, Christo addictis* (cfr. ad *I. Thess. 2, 14.*) *facie ignotus.* Christianis quidem Hierosolymitanis haud dubie non erat facie ignotus, postquam Damasco digressus iterum in hanc urbem venerat; quum ante conversionem diutius Hieross. vitam degisset. Proinde Koppe et al. verissime monuerunt, *ἐκκλησίας τῆς Ἰουδαίας* h. l. dici, quae fuerint praeter Hierosolymitanam in iis Palaestinae regionibus, quas Apostolus, quum Caesaream proficisceretur, lustraret. Similiter *Συρία* (tota reliqua pars Syriae) ab Antiochia eiusdem terrae urbe primaria distinguitur *Actt. 15, 23.* Si Paulus Hierosolymis per Apostolos fuisset conversus, eorumque auctoritate munus apostol. suscepisset, vix poterat, triennio a conversione elapso, illis Judaeae coetibus etiamnum esse *προσώπῳ ἀγνοούμενος.* Citius quippe ceteri Jesu legati eiusmodi discipulum suique muneris socium ad hanc illamve ecclesiam Palaestin. misissent. Orationis nexui minus arcte cohaeret, quod Chrysost. et Theophyl. de consilio iudicarunt, quo Paulus haec addiderit (tantum abfui, ut olim Judaeo-Christianis eandem circumcisionem commendarem, quam apud vos, Galatae, impugnavi, ut illis tum temporis ne facie quidem cognitus essem). V. 23. *Μόνον δὲ* etc. Ne quis offendat in masculino *ἀκούοντες*, quod haud dubie ad sub-

stantivum refertur generis masculini ex notione τῶν ἐκκλησιῶν facile derivandum (*homines* s. Judaei singuli Christo addicti), conferantur exempla eiusmodi constructionis ad sensum *Xenoph. memorabb. II, 2, 3. Diod. Sic. 5, 54. Matth. 4, 23. Actt. 8, 5. II. Corr. 2, 12. 13. Ep. Judae v. 7.* Continuatio actionis usu participii verbo finito iuncti ἀκούοντες ἦσαν exprimitur *Luc. 23, 8. II. Corr. 1, 9. al. Tantummodo audire solebant*, priusquam iis coram innotueram, *hoc*, quod vulgo rumore inter illos ferebatur (ὅτι orationi directae ut saepissime, praesertim in evangeliis, praemittitur ex more loquendi profanis etiam haud incognito, vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik ed. II. T. II. p. 1270.*): *qui olim nos persequebatur* (de quo usu participii praes. cfr. *Pausan. 9, 25, 5.* et alia l. apud Winerum laudd.) *nunc laetum tradit nuntium de ea persuasione, quam olim depopulatus est.* Ad πίστιν ipsam, persuasionem Christ. (cfr. *I. Thess. 1, 3.* obs. nisi malueris h. l. cum pluribus intt. vertere: doctrina quae fidem exigit, *Actt. 6, 7.*) transfertur in brevitate sermonis, quod proprie de hominibus valebat persuasionem illam s. doctrinam profitentibus, Paulum olim hunc coetum *depopulatum esse* (v. 13.). Lectio ἐπολέμει: expugnabat, pariter atque supra v. 13. in codd. *Aug.* et *Boerner.* verss. *Vulg.* et *It.* et apud patres plures lat. expressa correctioni eorum originem debet, quibus parum commode dici potuisse videbatur ἐκκλησίαν s. πίστιν πορθεῖν. Similiter *Matth. 10, 12.* de οἰκίᾳ dic. quod ad homines pertinet in aede versantes: ἀσπάσασθε αὐτήν. *Hebrr. 6, 19.* spes dic. intrare templum coeleste, ubi de hominibus sermo est, qui, illa veluti praeeunte, ad felicitatem aeternam perveniunt. Ad rem ipsam illustrandam cfr. quae de Judaeo-Christianis Damascenis enarrantur *Actt. 9, 21.* Jam vero illi etiam coetus Christt. Palaestin. animo grato agnoverant, conversionem Pauli prorsus inexspectatam, incrementis ecclesiae salutarem, Deo auctore accidisse v. 24. *Quapropter mea causa Deum illustrarunt.* Quanquam ἐν sq. dativo personae proprie eum significat, *in quo* alii materiem vel occasionem deprehenderint aliquid dicendi aut faciendi (cfr. Winer ad h. l. eiusdemque: *Grammatik*

etc. ed. III. p. 332.), licet tamen, quod *sensum* attinet, cum ceteris intt. vertere: mea causa, propter meam ad Christum conversionem. De potestate vb. δοξάζειν (illustrandi) ad *II. Thess. 3, 1.* vid. Frequens in N. F. formula δοξάζειν τὸν θεὸν *Roman. 1, 21. 15, 9. I. Corr. 6, 20. II. Corr. 9, 13. al.*

Caput II.

Enarrandis iis, quae ipsum inter ceterosque Jesu legatos acta fuerint, quum seriori tempore iterum Hierosolymas adiisset, amplius docet Apostolus, ceteros, praesertim illos quorum praecipua esset auctoritas, eam doctrinae de Christo praedicationem qua hucusque usus fuisset suffragiis suis ita comprobasse, ut nihil novi exponerent, ipsumque agnovisse verum Jesu legatum, Gentilibus maxime edocendis et convertendis divinitus destinatum.

V. 1. 2. *Ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἰεροσόλυμα, μετὰ Βαρνάβα, συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον.* (v. 2.) *Ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν, καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον.*

V. 1. Quantopere dissentiant interpretes de itinere cuius mentionem Paulus h. l. iniecit Hierosolymitano, et in prolegomenis §. 4. vidimus, et uberius exposuimus in libro: *Erörterung einiger wichtigen chronolog. Punkte etc.* Docuimus l. l. qua de causa ii interpretes ad veritatem propius accedant, qui hanc Pauli narrationem de itinere ad conventum apostolicum facto *(Actt. c. 15.)* interpretantur. Haud temere tamen coniecisse nobis videmur, Apostolum h. l. *simul* de priori cogitasse itinere *Actt. 11, 30.* breviter commemorato, neque illud *διὰ δεκατ. ἐτῶν* vertendum esse: *elapsis quatuordecim annis* post conversionem (de quo loquendi usu cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 326)*, sed: *intra quatuordecim annos* elabentibus iis (a conversione) *iterata vice adscendi Hierosolymas, cum Barnaba quidem (Actt. 11, 30.)*, posthac *(Actt. c. 15.) adsumto etiam Tito.* Quo iure prae-

positioni διὰ etiam haec potestas vindicetur, effata docent in prolegg. §. 4. allata. Vb. συμπαραλαμβάνειν (cfr. *Actt. 12, 25. 15, 37. sq. Polyb. 2, 10, 1. Ael. V. H. 8, 7.*) eo refertur, quod Apostolus in hoc itinere una cum Barnaba s. praeter Barnabam etiam Titum habuit comitem. *Actt. 15, 2.* cum Paulo et Barnaba universe dicuntur τινὲς ἄλλοι, auctoritate ecclesiae Antiochenae, synodum Hierosol. adiisse. Ex pluribus locis et *Actorum 4, 36. 9, 27. 11, 22. sqq. 12, 25. 13, 7. 43. 46. sqq. 14, 12. sqq. 20.* et epistolarum *I. Corr. 9, 6. Coloss. 4, 10.* satis innotuit Joses, cognomine *Barnabas* Cyprius Judaeo-Christianus aliquamdiu Pauli socius. De *Tito*, alio Pauli adiutore, parentibus graecis nato, ipsius Pauli opera vel converso ad sacra Christiana vel amplius certe instituto, cfr. *ad Titum 1, 4. 5. II. Tim. 4, 10. II. Corr. 2, 13. 7, 6. sqq. 13 sqq. 8, 16. 12, 18. sqq. al.* In hoc potissimum itinere (*Actt. c. 15.*) rebusque cum eo coniunctis enarrandis commoratur narratio Apostoli v. 2. Ἀνέβην δὲ etc. Vbb. κατὰ ἀποκάλ. nuperrime quidem Philologus inclitus Godofr. Hermann in progr. *de Pauli ep. ad Gal. tribus primis capitibus, Lips. 1832. 4. p. 6.* sic intelligi voluit: *explicationis causa*, i. e. ut patefieret inter ipsos quae vera esset Jesu doctrina. Quod vulgo (recte, opinor) interpretantur: *secundum monitum quoddam divinum*, Hermannus propterea vituperat, quod Apostolus hoc sensu dicere non potuerit κατὰ ἀποκάλ. (*sine τινά*), nisi distincte divina admonitio ab alia causa discerneretur. Attamen, quum Apost. in sectione praeced. c. 1. v. 12. 16. satis distincte loquutus fuisset de revelatione divina, ἀποκαλύψει, quae *sibi* contigisset ut Christum recte cognosceret; absque omni, opinor, duritie et ambiguitate etiam hoc loco de admonitione divina *sibi* patefacta scribere potuit κατὰ ἀποκάλυψιν, siquidem haec admonitio ad eandem Christi causam per Apost. adiuvandam pertineret. Quod Paulus h. l. *monitu divino impulsum* (cfr. de ἀποκαλ. ad c. 1. v. 12. obs.) se Hierosolymas profectum esse testatur, minime pugnat cum iis, quae Lucas *Actt. 15, 2.* perhibet de hoc itinere Hierosol. Apostolo ab ecclesia Antioch. demandato. Revelatione divina se excitatum sentiebat Apostolus, ut non

modo iis quae ecclesia postulasset satisfaceret, sed etiam hac opportunitate extrinsecus oblata uteretur ad suam evangelii praedicationem, qualis adhuc fuisset, Apostolis qui illo tempore Hierosolymis congregati essent exponendam. Consilium huius sectionis epistolae nostrae efflagitabat, ut Paulus de hac potissimum praedicationis suae expositione coram Apostolis facta loqueretur, nec erat, quod h. l. illius opportunitatis externae in Actis App. commemoratae mentionem iniiceret. Proinde sic pergit narrare: *καὶ ἀνεθέμην* etc.: *atque exposui iis doctrinam, quam inter Gentes praedico* (i. e. ut recte vidit Rückert ad h. l. qualem ad illud usque tempus praedicaveram, *non diversam* ab ea, quam nunc trado) *laeta nuntiantem*. Eodem sensu *ἀναπίθεσθαι* dic. *II. Maccabb. 3, 9. Actt. 25, 14. Diog. Laërt. 2, 18. al.* lat. *conferre, Cic. de orat. 1, 17.* Recte Hieronymus: „aliud est, conferre, *ἀναπίθεσθαι*, aliud discere. Inter conferentes aequalitas est, ut pari consilio aliquid vel probetur, vel improbetur. Inter docentem et discentem minor est ille, qui discit.“ Pronomen *αὐτοῖς* plerique recte, opinor, de *Apostolis* intelligunt, quam notionem h. l. facile mente complectitur, quicunque eorum memor fuerit quae Paulus C. I. v. 17. dixerat, praesertim quum mox sequatur *κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν*, quae vbb. prohibent, quo minus cum Flattio aliisque *αὐτοῖς* de Christianis Hierosolym. universe interpretemur. [Aliud est, quod Lucas perhibet *Actt. 15, 12.* Barnabam et Paulum illo tempore coram coetu Hierosolym. auxilium praedicasse, quo Deus ipsos adiuverit inter Gentes facta insignia edentes.] De formula solenni *κηρύσσειν τὸ εὐαγγ.* ad *I. Thess. 2, 9.* vidimus. Quaeritur iam de iis, quae sequuntur *κατ' ἰδίαν — ἔδραμον*, utrum hoc *μήπως* etc. ex participio *δοκοῦσιν* proxime pendeat, an ex tota enuntiatione: *καὶ ἀνεθέμην — δοκοῦσιν*? Qui prius probant (Homberg in *parergis sacris p. 175.* Vogel in comment. *Versuch über chronologische Standpunkte in der Lebensgeschichte Pauli:* Gabler *Journal für auserles. theol. Litter. 1. B. 2. St. 1805. p. 256. sqq.* Paulus, Matthies ad h. l.), verbo *δοκεῖν* h. l. potestatem satis cognitam *existimandi, statuendi* vindicant, cfr. *Matth.*

6, 7. I. Corr. 10, 12. II. Corr. 11, 16. 12, 19. Hebrr. 10, 29. al. hoc sensu: *privatim vero* (κατ' ἰδίαν, subint. χώραν, pr. in loco privato i. q. seorsim, non ἔμπροσθεν πάντων v. 14. cfr. *Marc. 4, 34. Actt. 23, 19.* apud profanos frequentius ἰδίᾳ) institutionem meam exposui *iis qui putabant, an non forte incassum*, sine effectu (vd. de form. εἰς κενὸν ad *I. Thess. 3, 5.* obs.), *cucurrerim aut curram*, i. e. qui opinabantur, me frustra operam impendisse et porro impendere persuasioni de necessitate circumcisionis impugnandae, animis quippe Judaeo-Christianorum alte infixae. Vb. τρέχειν in N. F. haud raro tropice ad eos transfertur, qui sedulo laborant, contendunt, ut aliquid perficiatur, *Romn. 9, 16.*, soletque praesertim Paulus et operam suam in propagatione doctrinae evangelicae positam et omnino studium suum vitam agendi Deo et Christo probatam cum cursu ad metam conferre, *I. Corr. 9, 26. Philipp. 2, 16. II. Tim. 4, 7.* Nec profanis incognita haec metaphora *Cic. de off. 1, 33.* Sed eiusmodi sententia haud dubie aptius hoc modo enuntiata fuisset: τοῖς δοκοῦσιν, ὅτι εἰς κενὸν etc. Desideramus exempla illius verbb. conjunctionis: δοκεῖν μήπως etc. Aliter sese habet cum loco *I. Thess. 3, 5.* ubi μήπως ad praecedens γνῶναι ita refertur ut omnino interrogationi obliquae signif. inservire possit (cfr. commentar. ad l. l.). Nec prorsus eiusdem est generis locutio Homerica (vd. Matthiae ad h. l.) οὐδέ τι ἴδμεν, μήπως etc. *Il. 10, 101. 5, 97.* Praestat, praeeuntibus inter vett. Chrysost. Theophyl. Oecum. Theodoreto, cum plerisque τοῖς δοκοῦσιν h. l. eodem sensu accipere, quo v. 6. δοκοῦντες εἶναί τι, qui aliquid esse videntur, et posthac simpliciter δοκοῦντες dicuntur, et formulam μήπως vertere *ne forte* s. *ne quo modo* (*II. Corr. 2, 7. 9, 4. I. Corr. 8, 9. Gal. 4, 11. al.*), eamque ad totam referre enuntiationem καὶ ἀνεθέμην etc.: doctrinam quam inter gentes praedico laeta nuntiantem Apostolis omnibus exposui, *privatim vero* (uberius ac diligentius) *iis, qui magni aestumantur*, Apostolis auctoritate insignibus, Petro Joanni Jacobo, *ne forte in vanum currerem aut cucurrissem.* Quod integra phrasis δοκοῦντες εἶναί τι ex usu optimorum Graeciae scrip-

torum indicat: *qui in honore sunt*, auctoritate valent, cfr. Reitz ad *Lucianum* Opp. T. I. p. 576. (ubi τις et τι dignitatem quandam et eminentiam exprimit, *Actt. 5, 36. I. Corr. 3, 7. Gal. 6, 3. Plato apol. Socr. c. 33. p. 162.* ed. Fisch. al.), idem non dubitamus interdum formula breviori enuntiatum fuisse οἱ δοκοῦντες, *Porphyr. de abstinentia* l. 2. §. 40. p. 179. ed. Rhoer. cfr. Schaefer ad *Eurip. Hecubam v. 295.* Prorsus aberrat a mente Apostoli, si quis ex vb. δοκεῖν (quod neminem fugit haud raro ex quadam sermonis graeci urbanitate de re certissima poni) colligere voluerit, Paulum de auctoritate horum virorum detrahere voluisse. Sed indignatio quaedam animi, non illis quidem Apostolis, sed adversariis, qui auctoritatem Petri Jacobi Joannis hac formula usurpanda Paulo opponere solebant, merito succensentis utique eum movisse videtur, ut eandem formulam repeteret, v. 6. 9. Vd. Rückert ad h. l. Ceterum μήπως etc. minime sic intelligendum, tanquam si Paulus de veritate et auctoritate divina suae evangelii praedicationis dubius haesitaverit, priusquam cum ceteris Jesu legatis suam evangelii docendi rationem adhuc usurpatam communicaret. Contrarium quippe supra professus fuerat c. 1. v. 11. 12. 17. sqq. Immo, quod inter vett. Chrysost. Theophyl. Theodor. Ambros. bene sensisse videntur (recentius Borger), sententia haec est: ne forte, *ex iudicio aliorum*, in vanum currerem etc. i. q. ut omnibus pateret, quum ceteri Jesu legati meam evangelii praedicationem suffragiis suis comprobarent, me haudquaquam doctrinae vanae s. perperam intellectae aliis nuntiandae operam meam impendisse, haudquaquam docendo aberrasse a tramite recto. Nisi malueris cum Calvino Wolfio Moro Rosenmüllero Flattio interpretari: ne (re vera) irritum fieret consilium meum quam plurimos ad Christum convertendi, si ceteri Apostoli studia sua mecum coniungere nollent, vel, si rumor ab adversariis excitatus de dissensu magno meae ceterorumque Apostt. doctrinae latius latiusque serperet. Quod rationes grammaticas attinet, in forma quidem τρέχω, si pro *coniunctivo* habeatur, non est quod offendamus eiusque loco propter rem praeteritam ἀνεθέμην optativum desideremus, dummodo concedas, illud

τρέχω ad rem adhuc durantem et duraturam pertinere (quod recte obs. Matthies ad h. l.). Sed formam esse *indicativi* vbb. docent ἢ ἔδραμον. Quaeritur, quomodo eiusmodi protasin: ἀνεθέμην αὐτοῖς etc. μήπως cum *indicativo* sequi potuerit? Movit haec difficultas Fritzschium: *coniectanea in N. T. spec. I. Lips. 1825. 8.* in addendis ad p. 50. ut post δοκοῦσιν plene interpungeret totamque enuntiationem μήπως etc. pro *interrogatione* haberet (quae coniectura inter vett. Oecumenio haud improbata, fluctuanti quidem inter varias loci interpretationes): *Num frustra operam meam in evangelium insumo aut insumsi?* Attamen vix putaverim Apostolum eiusmodi interrogationem sermoni inseruisse, qui per hanc totam sectionem res gestas simpliciter enarraret. Difficultatem, quam diximus, grammaticam commentarius Wineri (cfr. eiusdem *Grammatik* etc. ed. III. p. 420. sq.) hac observatione expedit: „factum esse videtur, quod persaepe apud graecos scriptores, ut verba Pauli ita enuntiarentur, quo modo *tum cogitavit:* ich lege ihnen meine Lehre vor, bei mir denkend, dass ich nicht etwa vergebens laufe oder gelaufen bin.“ Facilius, opinor, causa indicativi post μήπως positi intelligitur, si dixeris, sermonem Pauli concisum rem enuntiasse talem qualem se habuisse adversarii contenderent, h. s. *ne verum videretur quod illi de me dicebant: in vanum currit et cucurrit* (cfr. quae supra de sensu et nexu horum verborum monuimus). Ceterum, quod Paulus illo tempore Apostolis τοῖς δοκοῦσιν suam evangelii docendi rationem κατ' ἰδίαν exposuit, non alia de causa factum esse videtur, quam, quod hoc potissimum curae cordique fuit Paulo, ut illi auctoritate maxime insignes suum cum doctrina Pauli consensum declararent. Argutius, opinor, quam verius ex verbis Pauli Chrysost. Theophyl. Theodor. Oecum. efficiunt, Apostolum illo tempore, prudentia iusta cohibitum, noluisse coram coetu doctrinam de abrogatione circumcisionis totiusque legis Mosaicae defendere, ne Judaeo-Christiani harum rerum tenaciores statim in eo offenderent ac dissidium exoriretur.

Documento insigni probatur, ceteros Jesu legatos doctrinae Pauli minime contradixisse. Ne Titus quidem, comes

Pauli, Ethnico-Christianus, Hierosolymis circumcidi coactus est.

V. 3. 4. 5. *Ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοί, Ἕλλην ὤν, ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι,* (v. 4) *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσουσιν·* (v. 5.) *οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς.*

V. 3. *Ἀλλ' οὐδὲ* sermonem Pauli hoc modo continuat et auget: sed tantum aberat, ut illi, quibus meam evangelii praedicationem adhuc usurpatam exposui, me docendo a tramite recto declinasse dicerent, ut ne Titus quidem, natione gentilis, qui mecum in causa evangelii Hierosolymis inter Judaeos et Judaeo-Christianos versaretur, ullo Apostolorum sermone aut mandato ad circumcisionem adigeretur. *Ἀναγκάζεσθαι* haud raro dicc. qui vel comminando vel graviter cohortando, enixe rogando, impelluntur et permoventur, ut aliquid faciant aut fieri patiantur, cfr. ep. nostra 6, 12. *II. Corr. 12, 11. Matth. 14, 22. Herodian. 4, 9, 6. al.* Verbi *περιτέμνεσθαι* in N. F. frequenter obvii nec profanis imuditi (*Xenoph. Cyrop. 5, 4, 8. Diod. Sic. 1, 28.*) potestas iudaica satis cognita ex loco classico *Genes. 17, 10. sqq. LXX.* Quo iure explicuerimus: circumcidi non coactus est per apostolos, nexus docet huius commatis cum secundo. Id enim Paulus maxime comprobaturus fuit, apostolos documento insigni suum cum ipsius doctrina consensum declarasse. Interpretationi aliorum: non permisi, ut Titus circumcideretur, etsi hoc urgerent nonnulli qui in coetu Hierosol. essent Judaeo-Christiani severiores, opportunitatem dedit observatio Pauli, quae sequitur, diversimode intellecta v. 4. 5. *διὰ δὲ τοὺς* etc. (ubi secundum vulgarem interpunct. quae v. 3. exeunte plene distinguit, enuntiatio incipit nova). De constructione totius effati recte expedienda ingens est interpretum dissensus. Videamus, an textus receptus sententiam exhibeat commodam. Quod primum singula attinet, *ψευδάδελφοι* (vocab. compositum eiusdem generis, cuius sunt *ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολος* etc.) et

h. l. et *II. Corr. 11, 26.* dicuntur Paulo, qui perperam se appellant fratres ceterorum Christi cultorum, alieni quippe a vera sapientia et pietate Christiana, Judaismo etiam dediti. Homines Judaeo-Christiani, omnibus Christo addictis circumcisionem tanquam conditionem salutis impetrandae perperam obtrudentes, aliquando ex Judaea Antiochiam venerant *(Actt. 15, 1. 2.)*, unde factum, ut, disceptatione magna de hac quaestione excitata, Paulus Barnabas aliique auctoritate ecclesiae Antiochenae Hierosolymas proficiscerentur, cum ceteris Jesu legatis et presbyteris Hierosolym. rem deliberaturi. Nemini potest mirum videri, quod huius generis *ψευδάδελφοι* praesertim Hierosolymis fuerint. Egregie dicuntur *παρεισάκτοι*, *irreptitii* (vocab. in N. F. semel obvium), qui *subdole* se insinuarunt in coetum Christianum sibique auctoritatem vindicaverunt libertati vere Christianae perniciosam, ore quidem Jesum Christum profitentes, mente vero Judaei, a *παρεισάγειν*, clam introducere, *II. Petri 2, 1. Diod. Sic. 12, 41.* Apostolus ipse vim huius praedicati interpretatur seqq. *οἵτινες παρεισῆλθον* etc.: *qui clam intraverant* (de quo usu vb. *παρεισερχ.* cfr. *Polyb. 1, 7, 3. 2, 55, 3.* alio sensu: insuper accedere *Romm. 5, 20.)*, *ut explorarent libertatem nostram*, an verum esset, quod iis fama innotuerat de circumcisione Ethnico-Christianis in coetu Antiocheno *haud* iniuncta. De immunitate a lege Mosaica rituali idem *ἐλευθερία* usurpatur c. 5. huius ep. v. 1. 13. itemque *ἐλεύθερος I. Corr. 9, 19.* (alibi vel immunitatem a miseria peccatorum, vel universe facultatem libere agendi significans). Quum Christus doctrina, exemplo vitae, moriendo homines imperio legis Mos. exemtos in conditionem animi perfectiorem transtulisset, verissime dici poterat *ἐλευθερία, ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, quam habemus *per* Christum (cfr. *I. Thess. 4, 16.)*, sive, ut vertere malim cum Winero ex potestate voculae *ἐν* propria: *quam hab. Christo addicti*, cum Christo coniuncti, *ὄντες ἐν Χριστῷ*. Pluralis *ἡμῶν* et Paulum innuit, et, quicunque similiter statuebant inter doctores aliosque Christi cultores. [Nihil est, quod vel hoc pronomen *ἡμῶν* vel *ἡμᾶς* ante *κατεδουλωσ.* tantummodo de Paulo et Tito explicari iubeat, cfr. Matthies

ad h. l.] Minus commendatur locis supra laudd. *Gal. 5, 1. 13.* quod nonnulli sub ἐλευθερίᾳ libertatem docendi intelligunt, qua Paulus usus fuerit. Qui dolose, consilio malevolo aliquid explorant, dicuntur κατασκοπεῖν (ἅπαξ. λεγομ. in N. F.) hebr. רָגַל, *II. Sam. 10, 3. LXX. Polyb. 10, 20, 2.* Bene Chrysost. (adsentiente Theophyl.): *Οἱ γὰρ κατάσκοποι δι' οὐδὲν εἰςέρχονται, ἀλλ' ἵνα καταμαθόντες τὰ τῶν ἐναντίων, πρὸς τὸ πορθῆσαι καὶ καθελεῖν, πολλὴν ἑαυτοῖς παρασκευάσωσι τὴν εὐκολίαν.* Quam malevole illi ψευδάδελφοι Paulum ceteroque immunitatem a lege Mosaica cerimoniali usurpantes observaverint, verba seqq. explicant: *ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσουσιν, quo nos in servitutem* (legis Mos.) *redigerent.* Hanc enim activi formam *(II. Corr. 11, 20.)* cum Lachmanno auctoritate codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Claremont. Sangerman.* edere maluimus pro forma medii vulgo expressa καταδουλώσωνται, quae correctionem sapit, grammaticis propterea in promtu positam quod apud profanos frequentius adhibetur, *Xenoph. Oecon.* c. 1. §. 23. p. 6. ed. Bach. *memorr. 2, 1, 13. Plato republ.* l. 1. c. 22. p. 51. ed. Ast. l. 4. c. 16. p. 195. in. cfr. Rhoer. ad *Porphyr. de abstinentia* l. 1. §. 3. p. 5. (Simili sensu in verss. *Aquilae* et *Symm.* ad *Jes. 42, 22.)* Quod codex *Vatic.* a manu secunda et codd. *Aug.* et *Boerner.* exhibent καταδουλώσωσιν ab iis profectum videtur, qui in forma indicativi act. post ἵνα (exemplis haud destituta, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 239.)* offendebant. His, ait (v. 5.) fratribus falsis *ne ad horam quidem* (ne ad breve quidem tempus, *Jo. 5, 35. II. Corr. 7, 8.* cfr. ad *I. Thess. 2, 17.* obs.) *cessimus, ita ut iis obsequeremur* circumcisione probanda et admittenda. Vbb. εἴκειν (semel obvium in N. F. *Xenoph. Cyrop. 1, 6, 18. Herodian. 3, 7, 13.)* et ὑποταγῇ submissio *(II. Corr. 9, 13. I. Tim. 2, 11.* apud profanos haud usitatum) cum Winero ad h. l. ita distinguimus, ut εἴκειν unius sit momenti, quo decreveris non amplius repugnare dicenti et cohortanti, ὑποταγῇ ad continuam referatur agendi rationem servilem, ei, cuius voluntati cesseris, accommodatam. Ingeniosa est Hermanni interpretatio (in progr. l. *de ep. ad Gal. p. 6.)*: quibus fratribus falsis ne

horae quidem spatium *Jesu obsequio* segnior fui. Sed vbb. praegressa utique impediunt, quo minus ὑποταγῇ sic nude positum *in hac orationis serie* aliter intelligatur quam de obsequio illis doctoribus vanis praestando (alioquin aliquid fuisset addendum, ut *II. Corr. 9, 13. Romn. 1, 5.* al.). Neque sententia satis accommodata consilio scriptoris videtur, siquidem Apostolus, quod obsequium fidum evangelio Christi praestandum attinebat, non aequiparari, sed *anteferri* voluit doctoribus illis Judaismo faventibus. Articulus τῇ, ad quem Hermannus provocat, illam certam designat obsequii speciem, qua indulgeatur defensoribus circumcisionis. Ad ipsos ψευδαδέλφους vbb. τῇ ὑποταγῇ referri posse existimat Matthies, ita ut pronomini οἷς accuratius definiendo inserviant: quibus fratribus falsis, postulantibus quippe obsequium legi Mos. praestandum, ne ad horam quidem cessimus. Haec interpr. duritiem habet haud facile tollendam, propter vbb. τῇ ὑποταγῇ a pronomine οἷς seiuncta pluribus interpositis. Qua de causa Paulus cum sociis fortiter illis resistendum putaverit, his enuntiatur ἵνα ἡ ἀλήθεια etc. *ut veritas doctrinae laeta nuntiantis* (doctrina Chr. qualis vere est, non corrupta placitis arbitrariis eorum, qui salutem ab observatione legis Mos. cerimonialis pendere adfirmant) *apud vos permaneret.* Perseverantia in uno eodemque statu verbo composito διαμένειν gravius exprimitur, quam simplici μένειν, *II. Petri 3, 4. Hebrr. 1, 11. Xenoph. memor. 3, 5, 12.* Pronomen ὑμᾶς haud dubie omnes complectitur, qui a Paulo instituebantur, Ethnico-Christianos. Cfr. *Colosss. 1, 24. Ephh. 3, 13.* coll. v. 1. Haec de singulis. Quod vero coniunctionem verborum attinet, verba priora v. 4. διὰ δὲ τοὺς παρεισ. ἀδελφοὺς, probata interpunctione plena sub finem v. 3. et lectione vulgata v. 5. οἷς οὐδὲ non habent, ex quo pendeant. Subintelligendum plures existimant ex v. 2. verbum ἀνέβην: profectus autem sum Hierosolymas propter fratres falsos, qui subdole intraverant coetum Antiochenum, *Acll. 15, 1.* (Zachariae, Storr *dissert. in epist. Pauli minorum aliquot loca p. 4. sqq.* Rosenmüller, Borger, alii). Sed parum probabiliter Paulus, qui v. 2. inde a vbb. καὶ ἀνεθέμην etc. et v. 3. ad ea iam *progressus* fuerat

narrando, quae ipsum inter ceterosque Jesu legatos acta fuerant, quum Hierosolymas venisset, v. 4. ad causam huius itineris *rediisse*, atque de iis fratribus falsis, qui in coetu *Antiocheno* prodierant, exposuisse putatur. Neque haec durities plane removetur, si cum Borgero conieceris, forsitan *ἀνεθέμην* potius ex v. 2. quam remotius illud *ἀνέβην* esse supplendum. Utroque enim modo comma tertium, quo eiusmodi observatio enuntiatur, quae haud parum valet ad rem probandam, cui probandae haec tota epistolae sectio praecipue inserviit, parum recte parenthesis habetur obiter addita. Alii faciliorem probant ellipsin verbi *ἠναγκάσθη* ex v. 3. ut *δὲ* h. l. vim habeat explicandi et accuratius definiendi quae v. 3. leguntur: Titus quippe per fratres falsos *propemodum* coactus fuisset, s. magnopere sollicitatus est, ut circumcisionem admitteret. Nimis ambigue, opinor, immo obscure scripsisset Apostolus, si verbo *ἀναγκάζεσθαι* v. 4. subintellecto potestatem tribueret ab ea diversam, qua v. 3. dicebatur. Maluerunt Theophyl. Oecumen. Theodor. (qui voculam *δὲ* v. 4. in. prorsus redundare existimat) initium versus 4. ad verba referre v. 3. *οὐδὲ ἠναγκάσθη* h. s. per fratres autem falsos irreptitios non coactus est circumcidi (illi quoque non potuerunt hoc efficere, ut ritus Judaicus in Tito perageretur). Sed facile patet, collatis antecedentibus, quam parum perspicue Apostolus hoc dicturus enuntiationem novam hac ratione inchoasset: *Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους* etc. Scribendum potius fuerat: Titus comes meus nec per apostolos nec per fratres irreptitios circumcidi coactus est. *Anacoluthon* verbis *οἷς οὐδὲ* etc. inesse censuit Winer ad h. l. (cfr. eiusdem *Grammatik etc. ed. III. p. 441. sqq.*) quo scriptor duas diversas verborum constructiones commiscuerit, alteram: propter fratres falsos irreptitios Titus non coactus est circumcidi (non permisi, ut illorum causa hic ritus perageretur), alteram: fratribus falsis hac in re nullo modo cedendum putavi. Similiter Frid. Rinck in l. *lucubratio critica in Acta App. epistolas cathol. et Paul.* Basileae, 1830. p. 171.: „incipit oratio *διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδ.* et solita constructione sequi oporteret *οὐκ εἴξαμεν*, sed longiore parenthesi interposita prono-

men *οἷς* repetitum est mutata constructione.“ Quanquam talia ab indole sermonis Paulini minime aliena sunt, licet tamen h. l. sententiam scriptoris absque anacolutho expedire, dummodo sub finem v. 3. *commate* interpungas, et commatis 4. initium: *διὰ — ψευδαδέλφους* ad totum illud (v. 3.) *οὐδὲ Τίτος — ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι* referas, ita ut δὲ h. l. orationem augeat: *et quidem (Philipp. 2, 8.): non coactus est circumcidi propter ipsos quidem fratres falsos*, i. e. quo pertinacius illi *ψευδαπόστολοι* instabant circumcisione postulanda, eo magis Apostoli totam rem libero ipsius Titi arbitrio permittebant, né illis temere obsequi viderentur. His ita constitutis nihil est quod textum receptum sollicitari iubeat. Neque vocula δὲ v. 4. ineunte contra auctoritatem codd. cum *Hieronymo* expungenda, neque v. 5. vbb. *οἷς οὐδὲ* delenda. Desideratur omnino *οἷς οὐδὲ* in cod. *Claremont.* (a manu prima) itemque in codd. *latinis* apud Iren. *contra haerr. 3, 12.* (quanquam de lectione vera in textu Iren. dubitatur), Tertull. *contra Marc. 5, 3.* Hieron. Sedul. Hilar. Ambros. Nonnulli codd. latini posterius tantum *οὐδὲ* omittunt. In paucis (nec insignioribus) codd. gr. et vers. Peschito prius tantum *οἷς* omittitur. Quodsi utrumque vocabulum textu removeris, ita ut oratio Pauli sententiam exhibeat contrariam: propter fratres falsos irreptitios ad tempus cessimus obsequendo, quaeritur, *quanam in re* Apostolus cesserit? Diversimode hoc definiunt, qui hanc lectionem sequuntur: 1) Propter fratres falsos necessitatem circumcisionis in coetu *Antiocheno* urgentes — ad tempus cessimus (his fratribus sive Christianis Antiochenis) obsequendo *ut Hierosolymas proficisceremur, Actt. 15, 1. 2.* Ex Hieronymi comment. patet, iam tum fuisse, qui hoc sensu lectionem *οἷς πρὸς ὥραν* etc. intelligerent, verba priora v. 4. cum v. 3. propius coniungentes. 2) Propter fratres falsos *(Hierosolymis* versantes) — cessimus obsequ. *ut probaremus, quod ceteri Apostoli Hierosolymis decrevissent de libertate Ethnico-Christianorum limitibus quibusdam circumscribenda, Actt. 15, 19. sqq.* (cfr. Michaelis ad h. l. ep. nostrae). 3) Propter fratres falsos — cessimus obseq. *ut Titum circumcideremus*, quanquam nullo Apostolorum mandato

ad circumcis. adigeretur. Quod interpretationem primam attinet, parum probabiliter de ipso itinere Hierosoll. suscepto illud εἴξαμεν intelligitur, quum Apostolus hac de re iam v. 1 exposuisset. Accedit, quod vbb. πρὸς ὥραν, hac ratione probata, supervacanea apparent, nec dignitati Pauli apostolicae (cuius quam probe conscius sibi fuerit permulta loca testantur) satis convenit, quod dixisse putatur: cessi *obsequendo* fratribus Antiochenis, praesertim quum supra v. 2. causam itineris sui non tam ex hominum consiliis et mandatis quam ex revelatione divina repetiisset. Interpretationi secundae (scite observante Flattio ad h. l.) id maxime obstat, quod Paulus in hac tota epistolae sectione illius decreti apostolici mentionem nullam iniecit, neque patet, quomodo dicere potuerit, se in decreto illo, quod alibi nunquam impugnavit, tantummodo *propter* ψευδαδέλφους acquiescere voluisse. Tertia denique ponit, quod parum probabile, Apostolum illis fratribus falsis, circumcisionem pertinaciter defendentibus et libertati evangelicae insidiantibus, revera ita cessisse, ut ritum Judaicum in *Tito* peragi vellet. Aliter sese habebat cum *Timotheo* propter matrem Judaicam huic ritui obligato secundum statuta Judaeorum civilia; quo circumcidendo Paulus *Judaeis* in Asia minori versantibus (minime vero Judaeo-Christianis doctoribus falsis) indulsit, quo facilius illos per Timotheum, comitem et adiutorem, ad Christum converteret, *Actt. 16, 3.* Deinde, si Titus vere fuisset vel illo tempore vel posthac circumcisus, concedente Paulo, in hac tamen epistola, quae in ψευδαδέλφους Judaismo faventes graviter invehitur, eosque omnes reprehendit qui falsis fratribus cesserint (c. 2. v. 11. sqq. c. 3. in. c. 4. v. 9. sqq. c. 5. v. 2. sqq.), eiusmodi accommodationis exemplum, nisi prorsus silentio omittendum existimaret, alio certe modo enarrare debebat Apostolus, diligenter cavendo, ne forte ii Galatarum, qui ad Judaismum procliviores essent, suae cogitandi rationis defensionem inde sumerent. Si ipse profitebatur, Titum fuisse circumcisum, ut doctoribus vanis quod vellent concederetur, prorsus repugnabat consilio huius epistolae, nec patet, quo sensu et iure addere potuerit, ita fa-

ctum esse ἵνα ἡ ἀλήθεια etc. Neque sufficere putaverim ad removendas has difficultates interpretationem Rückerto tentatam: circumcisus est Titus, ne fratres falsi ex ministerio evangelico Titi non circumcisi opportunitatem ducerent, nostrum libertatis evangelicae usum tanquam profanationem sacrorum Judaicorum criminandi; verumtamen (v. 5.) in ceteris omnibus, quod homines Ethnico-Christt. universe attinet, omnino non cessimus fratribus falsis etc. Eiusmodi quippe defensionem circumcisionis in Tito peractae Apostolus iis certe verbis, quae v. 4. 5. obveniunt, minus perspicue ac definite, quam ipsa sententiae natura et gravitas postularet, enuntiasset. Ceterum, quo minus cum Ambros. coniiciamus, illud πρὸς ὥραν εἴξαμεν ad eam pertinere accommodationem, qua Paulus usus fuerit circumcidendo *Timotheo*, impedit, quod h. l. de Timotheo omnino non sermo fuit. Narratio huius totius sect. in iis subsistit quae illo tempore Hierosolymis gesta sunt. Itaque res ipsa postulat, ut lectionem οἷς οὐδὲ auctoritate testium probe munitam, praeeunte Hieronymo, cum Calvino Wolfio Borgero Storrio Winero Flattio Rinckio (in libro supra l.) aliisque contra Millium Semlerum Michaelem Koppium tueamur. Difficultati structurae, quam supra explicuimus, removendae antiquitus consulere voluerunt *omittendo* vel οἷς vel utroque voc. οἷς οὐδέ, memores insuper narrationis *(Actt. 16, 3.)* de Timotheo circumciso, atque ex vocula δὲ (v. 4. in.) minus recte intellecta coniicientes, versui quarto *antithesin* inesse commatis tertii. Praeterea auctoritas Tertulliani, qui contra Marcionem disputans (loco supra l.) lectionem οὐδὲ v. 5. depravationem textus antiqui existimavit, plures movisse videtur, ut hanc omissionem probarent. Denique, quod eos attinet libros, in quibus solum οἷς legitur absque οὐδέ, posterius propter similitudinem utriusque vocabuli et compendia scripturae in codd. usurpata facile potuit errore scribendi excidere.

Adfirmat Apostolus porro, ceteros Jesu legatos immo vel maxime insignes eorum nihil desiderasse in ea quam ipse adhuc usurpasset evangelii praedicatione, sed consensu unanimi

palam declarantes fraternam caritatem, ipsum agnovisse operis divini socium, Apostolum verum paganis maxime ad Christum convertendis divinitus destinatum.

V. 6—10. *Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι [ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον θεὸς ἀνθρώπου οὐ λαμβάνει·] ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο.* (v. 7.) *Ἀλλὰ τοὐναντίον, ἰδόντες ὅτι πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας καθὼς Πέτρος τῆς περιτομῆς* [v. 8. *ὁ γὰρ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς ἐνήργησεν κἀμοὶ εἰς τὰ ἔθνη*], (v. 9.) *καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι, δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας, ἵνα ἡμεῖς μὲν εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν·* (v. 10.) *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν, ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι.*

V. 6. Quo sensu dicantur nonnulli Apostt. *δοκοῦντες εἶναί τι*, et qua de causa Paulus iterata vice hanc formulam usurpaverit, supra ad v. 2. vidimus. Totius vero commatis initium *ἀπὸ δὲ τῶν* etc. grammatice parum respondet membro posteriori *ἐμοὶ γὰρ — προσανέθεντο*. Quod B. Storr *opusc. acadd. Vol. I. p. 217.* et Bolten ad h. l. coniiciunt, *ἀπὸ τῶν δοκ. εἶναί τι* positum esse *vel* pro *οἱ δοκ. εἶναί τι* ex hebraismo, quo praefixum מ cui *ἀπὸ* respondeat pleonastice usurpetur (cfr. Storrii *observv. ad anal. et syntaxin linguae hebr. p. 450. sqq.*) *vel* pro *τινὲς τῶν δοκούντων εἶναί τι*, miror quod Flattio probari potuerit. Quemadmodum enim prius in sermone graeco prorsus inauditum est, ita posterius parum apte defenditur locis *Marci 6, 43. Actt. 5, 2.* similibusve, quibus praepos. *ἀπὸ* ex verbo quodam antecedente ita pendet ut ellipsis voculae *τὶ* ante *ἀπὸ* duritiem habeat nullam. Nec magis favet usus loquendi graecus his interpretibus qui *vel ἀπὸ τῶν δοκ.* etc. cum verbis *οὐδέν μοι διαφέρει* coniungunt (cfr. Homberg in *parergis sacris p. 275.* Rambach et Michaelis ad h. l.) hoc modo: *ab iis, qui aliquid esse videntur — nihil differo* doctrina et disciplina sive auctoritate (quam sententiam sic potius enuntian-

δοκούντων οὐδὲν ἐγὼ διαφέρω sive verissime observ. Winer ad h. l.), vel sunt: *quod attinet eos qui in honore mea non interest*, quod Calovio Borplacet, itemque Oecumenio probatum viOecum. vbb. ὁποῖοί ποτε ἦσαν sic interpreiii, quum circumcisionem accommodationis causa placuerint, nec ne. Concedamus, quod Groppe Koppe Rosenmüller Winer Matthies alii anacoluthon Paulo excidisse, quippe qui, quum voluisset: ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι οὐδέν μοι διαφέρει, interpositis vbb. ὁποῖοί ποτε — λαμβάνει, subita repeteret, ut ab ea quam inchoasset structura passiva ad activam delaberetur. Cfr. Winer *Grammatik etc. III. p. 440. sqq.* Vbb. quae ad parenthesin pertinent ὁποῖοί ποτε ἦσαν discrimen innuunt conditionis externae illorum, quos Paulus h. l. intelligit, Jesu legatorum ipsiusque Pauli. Illi quippe, Petrus Jacobus Joannes, olim familiaritate interiori Christo coniuncti fuerant, ab ipso in terris versante Apostoli constituti. Paulus posthac demum Christum recte cognoverat, eiusque praeconium susceperat, olim adversarius evangelii acerrimus. Illi dignitate et auctoritate apud cultores Christi prae ceteris omnibus eminebant; Paulus non modo easdem experiebatur Judaeorum et Paganorum vexationes, quibuscum omnes Apostoli locis temporibusque diversis conflictabantur, sed etiam inter ipsos Christi cultores, Judaeo-Christianos severiores, haud paucos habebat adversarios, qui eum criminationibus peterent iniustis et malevolis. Negare vix possumus, illis δοκούντων εἶναί τι et ὁποῖοί ποτε ἦσαν antithesin quandam inesse, ideoque particulam ποτε (ut c. 1. v. 13.) rectius verti: *quales olim* fuerint, quam: *qualescunque tandem* fuerint, quanquam ποτε apud *Demosth. or. de pace 4, 8. et al.* sic adhibetur. Attamen haec antithesis haudquaquam dubitationi inservit significandae, an illi recte habeantur *insignes* Apostoli (nolebat Paulus praerogativam omnem iis denegare cfr. *I. Corr. 15, 7. 8. 9.*), immo hoc tantum adfirmat Apostolus, quamvis illi Christo in terris versanti familia-

riter fuerint conjuncti, eiusque praecones prodierint primi, quo tempore ipse (Paulus) a Christo esset remotus, hoc tamen nihil valere ad auctoritatem apostolicam quae etiam sibi competat impugnandam, quum per liberam Dei gratiam talis exstiterit ac tanta perfecerit, *I. Corr. 15, 10.* Hoc sensu in parenthesi dicit: *quales olim* (dum ipse causam Christi infestarem c. 1. v. 13.) *fuerint, mea nihil interest,* ad eam rem minime pertinet, in qua probanda oratio mea nunc versatur. Sic enim *οὐδέν μοι διαφέρει* Koppe Borger Winer Flatt al. recte intelligunt, efflagitante usu loquendi graeco, *Aeliani V. H. 1, 25. Polyb. 3, 21, 9. Arrian. dissertt. Epictet. 3, 26. al.* Cfr. Wettsten. ad h. l. et Schwarz *commentarii linguae gr. p. 346.* Causam hanc addit: *πρόσωπον θεὸς* etc. *Deus non respicit externam hominis conditionem,* i. e. si ad rem praesentem transtuleris, etsi non fuerim illorum instar inter familiares Christi, eumque multo serius recte cognoverim, neque *τοῖς δοκοῦσιν* adnumerari soleam, gratia tamen divina me haud inferiorem esse voluit ceteris Jesu legatis, neque recta Christi cognitione nec muneris efficientia, *I. Corr. 15, 10.* Parum probatur, quod Koppe coniecerat, cogitasse Apostolum de corporis sui vultusque infirmitate et exilitate. Sententia quippe gravitate destituta neque huic loco satis accommodata. Phrasis hebraeo-graeca *πρόσωπον λαμβάνειν* פָּנִים נָשָׂא, quod *LXX.* et hoc modo vertunt et *θαυμάζειν πρόσωπον* (pr. faciem alicuius s. personam accipere, admittere), universe quidem de eo usurpata qui homini favet, sive recte ei faveat *LXX. Genes. 19, 21. Deuteron. 28, 50.*, seu temere externam tantum respiciens hominis conditionem, partium studiosus *LXX. Ps. 82, 2. Levit. 19, 15. Deuter. 10, 17. II. Chronn. 19, 7.*, in libris N. F. semper hoc sensu deteriori dicitur pariter ac *προσωπολημτεῖν προσωπολήπτης προσωπολημψία*, cfr. *Luc. 20, 21. Actt. 10, 34. Romm. 2, 11. Jac. 2, 1. 9. θαυμάζειν πρόσωπα ep. Judae v. 16.* Interpretibus antiquis, Chrysostomo Theophylacto Oecumenio, Apostolus hoc innuere voluisse videtur: quales illi Apostoli tum temporis sese gesserint, quod circumcisionem attinet, an recte fecerint accommodationis causa

circumcisionem Christianorum aliquamdiu permittentes, hoc iudicare mea non interest, ad me non pertinet, siquidem huius rei rationem Deo sunt reddituri, absque omni partium studio iudicanti; sufficit, quod in mea evangelii praedicatione nihil desideraverint nec reprehenderint. Sed haec totius sententiae expositio minus facilis apparet et expedita, quum in antecedentibus omnino non sermo fuisset de accommodatione Apostolorum in permittenda circumcisione. Redit Paulus ad enuntiationem illam parenthesi interceptam ἐμοὶ γὰρ etc. verba huius commatis priora repetens, mutata quidem structura (cfr. supra de anacolutho observv.) et pro δὲ h. l. posito γὰρ, quod ad vbb. parentheseos respicit ὁποῖοί — διαφέρει. *Mihi quippe illi, qui aliquid esse videntur*, principes habentur, *nihil praeterea exposuerunt*. De potestate formulae προσανατίθεσθαί τινι, aliquem in consilium adhibere, ad c. 1. v. 16. vidimus. Eandem h. l. teneri voluit Koehler in l. *Versuch über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften etc. (Leipzig, 1830.) p. 31. sq.* Attamen ex seqq. v. 9. 10. cfr. *Actt. 15, 22.* patet, opinor, non potuisse Paulum hoc universe contendere: doctores illi insignes mecum de nulla re consilia inierunt. Immo videtur Apostolus, memor eorum quae supra hoc cap. v. 2. dixerat: καὶ ἀνεθέμην etc. verbum compos. προσανατίθεσθαι h. l. sic usurpasse: nihil praeterea illi exposuerunt mihi, nihil addendum censuerunt meae evangelii praedicationi. [Sic vertere malim propter v. 2. quam cum Rückerto: nihil praeterea mihi *imposuerunt.*] Recte Chrysostomus, cui plerique consentiunt: οὐδὲν προσέθηκαν, οὐδὲν διώρθωσαν. Pergit narratio v. 7. Ἀλλὰ τοὐναντίον etc. *Sed contra*, (τοὐναντίον orasis haud infrequens pro τὸ ἐναντίον *II. Corr. 2, 7. I. Petri 3, 9. Xenoph. memorr. II, 7, 8.*) *quum intellexissent* illi δοκοῦντες (ex iis, quae partim de mea evang. praedicatione partim de fatis meis rebusque gestis cognoverant), *mihi concreditam esse doctrinam laeta nuntiantem inter eos qui praeputium habent* tradendam, *quemadmodum Petro inter circumcisos.* Ἀκροβυστία (cuius loco profani ἀκροποσθία habent) praeputium *Actt. 11, 3. Romm. 2, 25.* metonymice ad

eos transfertur, qui praeputium etiamnum habent, non circumcisi sunt, gentiles, quemadmodum περιτομή pro οἱ περιτμηθέντες, *Romm. 2, 26. sq. 30. Ephh. 2, 11. Col. 3, 11. al.* Genitivis h. l. obiectum s. scopus praedicationis s. muneris praedicandae de Christo doctrinae (quo sensu εὐαγγ. *II. Corr. 2, 12. Philipp. 4, 15.*) indicatur. Cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 156. sq.* De form. πεπίστευμαί τι h. e. concreditum mihi aliquid habeo pro: πεπίστευταί μοί τι, cfr. *Romm. 3, 2. I. Corr. 9, 17. Xenoph. Hiero 5, 2. Diod. Sic. 20, 19.* Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 186.* Illustrandae huic enuntiationi πεπίστευμαι — ἀκροβυστίας inservit parenthesis v. 8. ὁ γὰρ etc. Quemadmodum alibi legitur ἐνεργεῖν (verbum profanis haud incognitum *Polyb. 4, 40, 4. Dionys. Long. περὶ ὕψους 26, 2.*) ἐν τινι i. q. vires suas in aliquo exercere, vim exserere, *Matth. 14, 2. Ephh. 2, 2.*, ita h. l. cum simplici dativo (commodi) struitur, *LXX. Proverbb. 31, 12. Qui vim suam exseruit pro Petro* (potentissime Petrum adiuvit, facultate intelligentia virtute instruxit) *ad suscipiendam legationem* (sic ἀποστολή *Actt. 1, 25. Romm. 1, 5.* cfr. *Thucyd. 8, 9. Dionys. Halicarn. epist. I. ad Ammaeum* c. 4. ed. Reisk. Vol. VI. p. 725.) *inter circumcisos, idem Deus vim suam pro me exseruit*, me quoque eadem potentia promtum aptumque reddidit *ad gentiles docendos.* Formam breviorem κἀμοί cum Lachmanno auctoritate codd. *Alex. Ephr.* rescr. *Clarem. Aug.* exhibuimus pro vulg. καὶ ἐμοί. Ad rem ipsam cfr. *Actt. 22, 21. 9, 15.* Quod Paulus prae ceteris Jesu legatis, qui Judaeis maxime operam darent ad Christum convertendis, *Petrum* commemoraverit, neminem mirum habebit eorum memorem quae supra ad c. 1. v. 18. observata sunt. Sequitur altera pars protaseos versui 7. propius cohaerens v. 9. καὶ γνόντες etc. *quumque cognoscissent gratiam quae mihi contigisset divinam*, i. e. et ipsum hoc gratiae Dei liberae documentum, quod expertus sum, quum Dominus me converteret, ad munus apostol. vocaret, viribus instrueret necessariis, et quam prospero successu Dominus labores meos secundaverit apostolicos, cfr. de hoc usu voc. χάρις *Romm. 1, 5. 12, 6. I. Corr. 3, 10. 12,*

4. sqq. 15, 10. al. De re ipsa *Actt. 15, 4. 12.* Ad protasin etiamnum pertinent, quibus subiectum participiorum *δόντες* et *γνόντες* indicatur: *Ἰάκωβος* (idem de quo c. 1. v. 19. sermo fuit, alter enim, Jacobus maior, martyrium iam subierat *Actt. 12, 2.*) *καὶ Κηφᾶς — στύλοι εἶναι.* Jacobus inter Judaeo-Christianos severiores praevaluit auctoritate. Unde factum ut nomen eius primo loco poneretur. [Scriptura codd. *Claremont. Sangerm. Aug. Boerner.* vers. *It. Theodoreti Ambrosii* aliorumque patrum, quae nomina illa hoc ordine exhibet: *Πέτρος καὶ Ἰάκωβος* etc. originem haud dubie consuetudini antiquitatis debuit, Petrum Apostolorum principem habendi.] Quod supra v. 6. dicebatur *δοκοῦντες εἶναί τι*, idem h. l. maiori sermonis gravitate tropice effertur *οἱ δοκ. στύλοι εἶναι.* Quo lubentius Paulus ecclesiam Christ. aedificio s. templo comparabat *I. Corr. 3, 16. Ephh. 2, 21. sq. I. Tim. 3, 15.* (cfr. *I. Petri 2, 5.*), eo magis in promtu posita fuit haec metaphora: *fulcra* s. *columnae* coetus Christiani, ad Apostolos auctoritate prae ceteris insignes, quorum intelligentiae doctrinae consilio et exemplo coetus Christ. praecipue innitebatur, translata, cfr. *Apocal. 3, 12.* Similiter hebr. עַמּוּד apud seriores Judd. (vd. Schoettgen *horae hebrr.* ad h. l.) et lat. *columina* s. *columnae, Cic. or. pro Sext. c. 8. Horat. Od. I, 35, v. 14.* Iidem dicuntur *οἱ ὑπὲρ λίαν ἀπόστολοι II. Corr. 11, 5. 12, 11.* Sequitur apodosis: *δεξιὰς ἔδωκαν* etc. Manuum copulatio, *δεξιὰς διδόναι τινὶ dextras iungere I. Maccabb. 11, 50. 62. 13, 50. Aristoph. nubb.* v. 81. *Xenoph. Cyrop. 8, 8, 2. p. 564.* ed. Schneider. sive *δεξιοῦσθαι* (cfr. effata apud Borgerum laudd.), quovis tempore et amicitiae declarandae et foederi sanciendo inserviit. Quo consilio illi dextras iunxerint genitivo exprimitur *κοινωνίας.* De coniunctione, societate, quae inter quosdam obtinet unius eiusdemque rei (v. c. cognitionis s. boni s. operis, negotii) participes, sollenne est *κοινωνία, Actt. 2, 42. I. Corr. 1, 9. 10, 16. II. Corr. 8, 4. Ael. V. H. 14, 14. Herodian. 4, 14, 10. 8, 2, 11. al.* Cfr. Dav. Schulz *christl. Lehre vom heil. Abendmahl ed. I. p. 190. sqq.* H. l. communionem muneris docendi intelligi sqq. docent *ἵνα ἡμεῖς* etc.: *illi dextras*

mihi et Barnabae dederunt (pignus) *communionis*, cum utroque nostrum hoc muneris consortium sollenniter pacti sunt, *ut nos quidem* legatione fungeremur (suppl. ex v. 8., talia quippe haud raro apud nostrum omittuntur ex antecedd. subintelligenda *Romm. 4, 16. 9, 32. II. Corr. 2, 10. Gal. 5, 13.*) *ad gentiles, illi vero* legatione *ad circumcisos*. Quod vulgo post ἡμεῖς desideratur μέν, auctoritate plurium codd. (in quibus sunt *Alex. Ephr. rescr. Claremont. Sangerman.*) et patrum quorundam non dubitavimus cum Griesbachio textui restituere. Exciderat similitudine vocabulorum ἡμεῖς εἰς. Constat, praeeuntibus effatis multis Actorum et epistolarum, *et Paulum* haud raro etiam Judaeis doctrinam de Christo praedicasse, immo eiusmodi locis ubi Judaei inter gentiles viverent illos adiisse in synagogis, priusquam se converteret ad homines ethnicos, *Actt. 17, 1—5. 10. sqq. 18, 4. sqq. 19. 19, 8. 9., et illos*, Petrum Joannem Jacobum, haud neglexisse opportunitatem sibi oblatam ethnicos edocendi. Haud dubie igitur hac mente illam inierunt κοινωνίαν, ut Paulus et Barnabas gentilium, ceteri Judaeorum conversionem *praecipuam* haberent muneris sui partem. Hoc sensu Paulus agnosci voluit ἀπόστολος τῶν ἐθνῶν, huic potissimum negotio destinatus mandato divino, *Romm. 11, 13. 15, 16. sqq. Ephess. 3, 1. 2. al.* Sive pueritiam Pauli consideraveris, Tarsi in Cilicia nati et per priores duodecim vitae annos educati (quam urbem illustrem Graeci potissimum in iisque haud pauci cultiores inhabitarunt), sive singularem eius in tractandis diversissimis hominum ingeniis dexteritatem, seu denique alacritatem summam qua libertatem hominis Christiani ab lege Mosaica defendit, plura utique vides in Paulo fuisse moderante Numine summo, quae hunc Apostolum prae ceteris aptum redderent gentilibus convertendis. Una tantum addebatur conditio, mutuam illam muneris evangelici partitionem veluti limitans v. 10. μόνον τῶν πτωχῶν etc. *hoc tantum* rogantes s. postulantes (quod ante ἵνα saepius subintelligitur ex serie tota sermonis cohortatorii, *II. Corr. 8, 7. Ephh. 5, 33.*), sive: de hoc insuper nobiscum convenientes (subintell. ex v. 9.), *ut pauperum memores essemus*, ut, quamvis nos (ego et Barn.) prae-

serim gentilibus docendo consulerem, nunquam tamen omitterem curam pauperum (inter Judaeo-Christianos) pecunia collecta adiuvandorum. Vh. *μνημονεύειν* (cfr. ad *I. Thess. 1, 3.* cha.) in promtu est h. l. de eo dici qui alicuius ita memor sit ut vere consulat eius saluti, *Coloss. 4, 19. I. Maccabb. 12, 11.* Permulti Judaeo-Christianorum maxime Palaestinensium egestate summa laborabant, praesertim ubi vexationes et iniurias adversariorum evangelii inter Judaeos et Ethnicos experiebantur. Eorum inopiae consuli omnino debebat pecunia in iis coetibus, qui in meliori fortunarum statu collocati erant, praecipue inter Ethnico-Christianos colligenda. Huic admonitioni satisfactum esse adfirmat Paulus, numero quidem *singulari* usus (siquidem Barnabas paulo post ab eo discesserat *Actt. 15, 39.*) *ὃ καὶ ἐσπούδασα* etc. *quod ipsum etiam diligenter feci.* Eodem sensu *σπουδάζειν Ephess. 4, 3. al. Exacte*, plane secundum id quod illi postulassent se curam gessisse pauperum formula profitetur *αὐτὸ τοῦτο*, quam merae verbb. copiae (cuius exempla multa attulit Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 131.*) tribuere nolim. Accusativus pronominis relativi *ὅ* (nisi pro *διὰ ὅ*: quapropter dictum putaveris, vd. Lamb. Bos. *ellipses gr. ed.* Schaefer p. 678.) ex *ποιῆσαι* pendet, ita ut *αὐτὸ τοῦτο* pronomini explicando inserviat. Cfr. Hermann ad *Sophoclis Philoct. v. 315.* Bornemann *scholia in Lucae ev. Lips. 1830. p. LIII. sq.* Ad rem ipsam illustr. cfr. *Actt. 24, 17. Romm. 15, 25. sqq. I. Corr. 16, 1. II. Corr. c. 8. c. 9.*

Amplius progreditur argumentatio Pauli historica. Tantum aberat, ut ceteri vel maxime insignes Jesu legati in ea, quam Paulus praedicasset, doctrina evangelica aliquid desiderarent aut reprehenderent, ut Petrus ipse palam a Paulo notaretur, quum Petrus eiusmodi observantiam legum Mosaicarum iterum usurpasset, quae persuasioni ipsius prius declaratae parum consentiret.

V. 11—14. *Ὅτε δὲ ἦλθεν Κηφᾶς εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν.* (v. 12.) *Πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν· ὅτε δὲ ἦλθον, ὑπέστελλεν*

καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς. (v. 13.) Καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ καὶ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει. (v. 14.) Ἀλλ' ὅτε εἶδον, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, εἶπον τῷ Κηφᾷ ἔμπροσθεν πάντων· εἰ σὺ Ἰουδαῖος ὑπάρχων ἐθνικῶς (καὶ οὐχ ἰουδαϊκῶς) ζῇς, πῶς τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν;

V. 11. Vbb. ὅτε δὲ etc. recte verti: quum Cephas *venisset* Antiochiam (cfr. de hac urbe celeberrima, metropoli Syriae ad flumen Orontis sita *Strabo l. 16. p. 516. Ptolemaeus 5, 15. Plinius hist. nat. 5, 21.* Mannert *Geographie der Griechen und Römer VI, 1, p. 467. sq.)* ex v. patet 12. 13. 14. Aliquamdiu enim Petrus Antiochiae fuerat, priusquam illa quae v. 14. narratur controversia exstitit. Cogitasse h. l. Paulum de iis temporibus, *quae conventum Apostolorum Hierosolym. (Actl. c. 15.) antecesserint*, existimant Sam. Basnage *T. I. annalium politico-ecclesiastt. p. 600.* Calvinus in comment. ad h. l. Semler in *prolegg. paraphraseos huius ep. p. 60.* aliique (praeeunte Augustino *epist. 19. ad Hieronymum*), ii potissimum, qui locum ep. nostrae c. 2. v. 1. de illo itinere Hierosol. interpretantur cuius mentio *Actt. 11, 30.* facta est. Adiuvant quidem hanc sententiam laudando loco *Actt. 12, 17.* ubi de Petro Hierosolymis discedente dicitur ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον. Antiochiam fuisse hunc τόπον ex. contendunt docentque, quum Paulus quoque et Barnabas testante Luca *Actt. 12, 25.* Hierosolymis relictis Antiochiam redierint, iidemque, novo ad gentes itinere peracto, c. 14. v. 26. sqq. iterum in eandem urbem venisse et satis diu ibi commorati esse narrentur, recte existimari Petrum vel illo tempore, quod *Actt. 12, 17. 25.* innuitur, vel posthac *(Actt. 14, 26. sqq.)* Antiochiam profectum, occasionem dedisse controversiae. Attamen, ut taceam, non certam esse illam loci *Actt. 12, 17.* interpretationem, argumenta suppetunt satis explorata (in prolegomm. §. 4. exposita), quae suadeant, ut Paulum, quaecunque ab initio inde Capitis II. epistolae nostrae ad hunc usque versum legimus, de rebus in conventu Hierosol. gestis intelligi voluisse

concedamus. Quodsi orationem contextam v. 11. presso pede sequimur, haud dubie cuivis lectori sponte offertur sententia Koppii Borgeri aliorumque intt. quibus narratio Apostoli non rediisse ad tempora ante synodum, immo progressa esse videtur ad eiusmodi rem gestam, quae conventum Hierosolym. mox fuerit insequuta. Paulus et Barnabas, conventu peracto, Antiochiam redierunt, testante *Luca Actt. 15, 33. sqq.* (nihil quidem perhibente de illa Petri et Pauli controversia). Nec temere observavit Koppe ad h. l. illam publicam Petri reprehensionem, quae simul Barnabam notaret (cfr. v. 13. 14.), conferre aliquid potuisse ad dissidium Pauli et Barnabae, cuius mentio facta *Actt. 15, 39.* *[Diutius post* conventum Hierosol. controversiam Antioch. accidisse coniiciunt duumviri eruditi. C. Schrader et F. Koehler, ille quidem in libro: *der Apostel Paulus T. I. p. 126. sqq.* anno 56. quum Paulus, Epheso aliquamdiu digressus, aliis regionibus multis lustratis, Hierosolymas iterum adiisset, unde cum Petro venisset Antiochiam, quae itinera Lucas ex sententia Schraderi *Actt. 19, 20.* silentio transiit, hic vero in l. *Versuch über die Abfassungszeit der epistolischen Schriften etc. p. 33. sqq.* quum Paulus eo tempore Antiochiae versaretur, de quo *Actt. 18, 23.* sermo est, postquam Hierosolymis discessisset, siquidem V. Koehler aliique participium *ἀναβάς* v. 22. de itinere Hieros. interpretantur. Verum enimvero et argumentis quae sufficiunt destituuntur, quae de utroque illo itinere Hieros. perhibeat, et plura impediunt quo minus narratio Pauli ad Gal. C. II. de alterutro horum itinerum intelligatur. Cfr. quae breviter in prolegomm. docuimus §. 5., uberius in l. *Erörterung einiger wichtigen chronolog. Punkte in der Lebensgeschichte des Paulus etc. §. 5. 7. 8.]* Ceterum, si quis in eo haereat, quod Petrus, qui persuasionem de sublato Judaeorum Paganorumque discrimine atque de libertate Christianorum a lege Mos. cerimoniali in conventu Hierosolymitano ingenue declarasset *(Actt. 15, 7. sqq.)*, paulo post Antiochiae iterum indulserit Judaeo-Christianis severioribus, eodem, opinor, iure in facto Petri haesitaverit, si ante conventum accidisse existimetur. Illa quippe persuasio recta *prius* contigerat Petro, *Actt.*

c. 10. a. 11. Verum, qui olim ipse eandem sententiam quam Judaeo-Christiani severiores tenebant satis diu probaverat, et experiundo cognoverat, quam altas radices eiusmodi opiniones in mentibus hominum agerent, facile etiam post conventum Hierosol. *accommodationis causa* licitum sibi putavit, ut illis hominibus aliquamdiu cederet, nolletque iis praesentibus cum Christianis non circumcisis comedere. Dissimulabat illo tempore persuasionem rectam, Ethnico-Christianos aperte offendebat, ne illis Judaeo-Christianis improbaretur, nec satis perpendebat damna facile oritura, si Christiani Antiocheni in hanc opinionem inducerentur, Petrum non amplius probare, quod in conventu Hierosol. ipse defendisset, salutem non pendere ex observatione legis Mosaicae. Quanquam Paulus ipse non dubitavit et sermone et factis ad imbecillitatem hominum, quos veritati Christianae conciliaturus esset, quodammodo se demittere *Actt. 16, 3. 21, 20 — 27. I. Corr. 9, 20. sqq.*, sedulo tamen cavit, ne eiusmodi accommodatione uteretur, qua vel offensam praeberet Ethnico-Christianis, vel hominum qui opiniones praeconceptas pertinaciter defenderent (quales illi ψευδάδελφοι, qui Hierosolymis prodierant cfr. supra v. 4. itemque Antiochiam venerant *Actt. 15, 1.*) temeritatem confirmaret, suaeque ipsius doctrinae de libertate Christ. contradiceret. Aegerrime igitur tulit, quod Petrus, qui etiam hac in re suum cum Paulo consensum Hierosolymis palam et ingenue declarasset, subito iam Antiochiae, ubi Paulus eandem persuasionem de libertate Christ. praedicaret, contrarium faceret, ad eam delapsus accommodationem, quae limites iustos transgrederetur. Nec potuit Petri, qui publice hoc egisset, reprehensionem omittere publicam, ne Judaismus Christ. latius serperet multosque Antioch. inficeret. Simile factum Petri diversimode quidem indicatum (cfr. *Isagoge mea in libros N. F. sacros p. 398.*) historia exhibet evangelica *Matth. c. 26. Marc. c. 14. Luc. c. 22. Jo. c. 18.* His de re ipsa observatis, non est quod multi simus in refutandis coniecturis interpretum, qui *vel* negaverint, Apostolum Petrum fuisse quocum Paulo controversia esset Antiochena, eiusque loco alium quendam substituerint Cepham, unum ex septuaginta Jesu discipulis (cfr. Cle-

mens Alex. apud *Euseb. hist. eccles. 1, 12.* Oecumen. ad h. l. Harduin in *opp. selectis p. 920. sqq. et comment. in N. T.)*, *vel* miram exornaverint opinionem, Paulum omnino non vere et ex animo, sed *ficte, Petro sciente et volente,* hunc Apostolum palam obiurgasse, quo gravius Christiani praesentes, quum doctorem insignem ipsum graviter vidissent notatum nec Paulo contradicentem, de vera libertate Christ. et vera salutis conditione recte aestumanda admonerentur (cfrr. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Hieron. cui recte contradixit Augustinus in *epp. ad Hier. ep. 8. 9. 11. 12. 19.)*. Quod prius attinet, dudum quidem a Deylingio in *observatt. sacris* P. 2. obs. 45. aliisque refutatum, praeter Apostolum Petrum s. Cepham nemo apparet eiusdem nominis in sacra scriptura, nec patet, quid fuerit, quod Paulus cum quodam septuaginta discipulorum sese conferret. Posterius nihil omnino habet in tota oratione contexta, quod eiusmodi coniecturae faveat. Deinde, si reprehensio illa fuisset simulata, quid tandem faceret enarratio huius eventi ad rem praesentem, quum Paulus demonstraturus esset, se haud inferiorem Petro esse habendum? De hac tota sectione separatim disputaverunt: Mich. Walther *disp. theol. de Paulina Petri increpatione, Vileb. 1711. 4.* Eberh. Weissmann *usus et abusus censurae Petri Paulinae, Tubing. 1745. 4.* A. Boeckel *adumbratio quaestionis de controversia inter Paulum et P. Antiochiae oborta, Lips. 1817. 4.* alii, quos Wolf in curis ad h. l. laudavit. — Pro vulg. *Πέτρος* v. 11. nomen aramaicum *Κηφᾶς* Millio quoque probatum cum Lachmanno edidimus auctoritate codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Coislin.* verss. *Peschito Arab.* (ed. Erpen.) *Copt. (Sahid.) Armen. Aethiop. Vulg.* itemque *Clementis Alex.* apud *Euseb.* hist. eccl. 1, 12. *Pelagii Ambros. Πέτρος* quippe interpretationem sapit, cfr. ad C. I. v. 18. observ. Antiquitatem scripturae *Κηφᾶς* illa, quam supra commemoravimus, probat coniectura Clementi Alex. et Eusebio probata, non Petrum Apost. sed alium Christi discipulum Cepham a Paulo fuisse notatum. Verbo athletico *ἀντέστην* (cfr. Fabri *agonisticon sacrum l. 1. c. 12.)* ad omnes translato, qui aliis vel sermone vel

facto adversantur, *Matth. 5, 39. Romn. 9, 19. 13, 2. al.* formula adverb. *κατὰ πρόσωπον: coram*, ita ut faciem alicuius intuearis (*LXX. I. Regg. 1, 23. Luc. 2, 31. Actt. 3, 13. 25, 16. II. Corr. 10, 7.* cfr. Raphel. *adnott. ex Polybio* ad h. l. *minquam* i. q. simulate, in speciem, quod nonnulli doctorum vett. opinati sunt) apte coniungitur ad fiduciam, libertatem impavidam exprimendam, qua Paulus palam praesenti praesens contradixerit. Simil. hebrr. בְּפָנַי et לְפָנָיו *Job. 16, 8. Deuteron. 31, 21.* ubi *de contradictione quae palam in faciem fiat* sermo est, apud *LXX.* vertuntur *κατὰ πρόσωπον*; quanquam haud negamus hebr. לְפָנַי interdum etiam simpliciter dici h. s. *contra*, adversus, et hoc sensu *LXX. II. Chronn. 13, 7. 8.* vertisse *ἀνιστῆναι κατὰ πρόσωπον.* Quae breviter adduntur de iure, quo Paulus hoc fecerit: *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν* (*καταγινώσκειν:* condemnare, sensu mitiori: reprehendere, notare, *I. Jo. 3, 20. 21. Xenoph. memorabb. I, 2, 10. Herodian. II, 12, 4. V, 5, 2.*) duplici ratione intelligi solent. Haud pauci quippe (vers. Vulg. Calvinus Beza Walther in comment. laud. Koppe Flatt Borger) participium perf. pass. *κατεγνωσμένος* per metonymiam pro participio futuri pass. sive pro adiectivo, hominem s. rem, cui pro indole sua aliquid conveniat, significante positum existimant secundum morem hebrr. נוֹרָא, נֶחְמָד, מְהֻלָּל, similiumque (vd. Storr. *observv. ad anal. et syntaxin linguae hebr. p. 135.*): *siquidem reprehendendus erat.* Sed neque locis *Apocal. 21, 8.* (*ἐβδελυγμένοις*) *ep. Judae v. 12.* (*ἐκριζωθέντα*) aliisve certo efficitur, hebraicam illam dicendi rationem recte transferri ad elocutionem graecam librorum N. F. neque h. l. ulla apparet metonymiae admittendae necessitas. Cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 292.* Recte Chrysost. Theophyl. Luther Cramer Morus Winer alii propriam tenent potestatem illius formae grammaticae: *siquidem reprehensionem incurrerat*, ita se gesserat, ut alii (Ethnico-Christiani, quibuscum nollet Petrus amplius convivari, id quod paulo ante absque ulla haesitatione fecisset) haberent, quod de eo conquererentur. Hac reprehensione Petrum fuisse dignum satis luculenter ostendit narratio sequens, neque erat, quod Apostolus hanc

sententiam v. 11. separatim enuntiaret, id unum vbb. ὅτι κατεγν. ἦν declaraturus, Petrum aliquid fecisse in quo *palam* offenderetur. Longius petita interpretatio nonnullorum doctorum vett. qui Theophylacto testante hoc κατεγνωσμένος eo referri voluerunt, quod Petrus propter consortium familiare cum Cornelio centurione, homine non circumciso *(Actt. c. 10.)*, vituperatus fuerit a Christianis Judaismi studiosis (quo posthac moveretur, ut Antiochiae iis cederet, qui in consortio hominum non circumcisorum offenderent.) Nec eam, quam Ambros. inesse putavit, sententiam: reprehensus erat a veritate evangelica, cui hoc factum adversabatur, satis adiuvat series orationis. Quod Rückert inesse existimat: condemnatus erat per suam ipsius conscientiam, vix putaverim simpliciter sic enuntiari potuisse κατεγνωσμένος ἦν. Sequitur ipsius rei controversae expositio v. 12. Πρὸ τοῦ γὰρ etc. Συνεσθίειν μετά τινος s. τινι, cum quodam comedere, *Luc. 15, 2. I. Corr. 5, 11. Lucian. paras. §. 22.* etsi interdum sensu latiori consortium alicuius familiare exprimat *LXX. Ps. 101, 5.* (quemadmodum δειπνεῖν μετά τινος *Apocal. 3, 20.)*, hoc loco tamen praecipue tenenda est significatio propria. Id enim Judaeo-Christiani Hierosolymitt. Petro maxime vitio verterant. quod (voci quidem divinae obsequutus *Actt. c. 10.)* cum Cornelio eiusque domesticis, hominibus non circumcisis, *contiratus esset Actt. 11, 2. sqq.* Quicunque enim inter Christianos etiamnum tenaciores erant legis Mos. cerimonialis, illam epularum communionem cum Ethnicis atque Christianis ἐκ τῶν ἐθνῶν sedulo fugiebant, ne forte eiusmodi cibis qui Judaeis lege interdicti essent vel comedendis vel tangendis polluerentur. Petrus, visione *(Actt. c. 10.)* edoctus, homines Christianos illi ciborum discrimini non amplius esse obnoxios certo sibi persuaserat. Idem in conventu Hierosol. libertatis Christianorum a lege Mos. defensor extiterat strenuus *Actt. 15. 7—11.*, nec Petri, sed Jacobi auctoritate *(Actt. 15, 13—22.)* decretum illud fuerat promulgatum (cui Paulus ipse, accommodatione tum temporis necessaria usus, contradicere noluit) quod libertatem Ethnico-Christianorum a lege Mos. limitibus quibusdam coërceret, eosque non modo carne ex victimis gen-

tilium immolatis residua, sed etiam carne animalis non rite mactati (suffocati) et sanguine prorsus abstinere iuberet, propter edicta *Genes. 9, 4. Exod. 22, 31. Levit. 3, 17. 7, 26. sq. 17, 13. 16. Deuteron. 14, 21. 12, 16. 23. sq. 15, 23.* Proinde non potest mirum videri, quod Petrus Antiochiam profectus primum quidem non dubitaverit cum hominibus Ethnico-Christianis comedere, sive quod Christiani Antiocheni conditionibus illis in decreto Hierosolym. propositis vere satisfacerent. sive quod libertatem Christianam, ratione ciborum habita, omnino nullis limitibus circumscribi vellet. Ἔθνη h. l. *Christl.* dici ex *paganis* conversos patet ex v. 14. *Romm. 16, 4. Ephess. 3, 1.* Jam vero Antiochiam venerant nonnulli ἀπὸ Ἰακώβου i. q. vel: *missi a Jacobo Ap.* cuius mentio v. 9. facta, sic enim ἔρχεσθαι ἀπό τινος interdum usurpatur *Xenoph. Cyrop. II, 4, 1.* vel simpliciter (ex sententia Calixti Koppii aliorum): *ab eo loco, in quo Jacobus versabatur* (Hieron.) cfr. *Marc. 5, 35.* quo simul innuatur, eos cum Jacobo familiariter esse versatos, sive eiusdem fuisse discipulos. His parum probabatur consortium familiare cum Ethnico-Christianis, siquidem vel in iis quae decreto Hierosolym. constituta fuerant non acquiescebant, de necessitate observandae legis Mos. severius iudicantes, vel Ethnico-Christianos Antiochenos liberius sentientes conditionibus illis in decreto propositis non prorsus satisfacere intelligebant. Itaque separationem urgebant Judaeo-Christianorum ab illis. Quod Jacobum attinet, novimus quidem, hunc Apost. fuisse procliviorem ad concedendum aliquid Judaeo-Christianis severioribus, *Actt. 15, 13. sqq. 21, 18. sqq.* Attamen, si Jacobus (quod nonnulli existimant) discipulos illos *propterea* legavisset Antiochiam, ut separatio illa existeret, atque successus institutionis Paulinae impediretur, non dubitasset, opinor, Apostolus contra Jacobum eadem gravitate insurgere, qua Petrum notavit. Neque omnino ex narratione Paulina colligi debet, homines illos, quaecunque Antiochiae docerent et facerent, *prorsus ex mente Jacobi* fecisse et docuisse. Cfr. Knapp *scripta varii argumenti ed. II. p. 450. sqq.* Koehler *Versuch über die Abfassungszeit der epistol. Schriften im N. T. p. 35. sqq.* Forsitan illi ἀπὸ

sententiam v. 11. separatim enuntiaret, id unum vbb. ὅτι κατεγν. ἦν declaraturus, Petrum aliquid fecisse in quo *palam* offenderetur. Longius petita interpretatio nonnullorum doctorum vett. qui Theophylacto testante hoc κατεγνωσμένος eo referri voluerunt, quod Petrus propter consortium familiare cum Cornelio centurione, homine non circumciso (*Actt. c. 10.*), vituperatus fuerit a Christianis Judaismi studiosis (quo posthac moveretur, ut Antiochiae iis cederet, qui in consortio hominum non circumcisorum offenderent.) Nec eam, quam Ambros. inesse putavit, sententiam: reprehensus erat a veritate evangelica, cui hoc factum adversabatur, satis adiuvat seriei orationis. Quod Rückert inesse existimat: condemnatus est per suam ipsius conscientiam, vix putaverim simpliciter pro enuntiari potuisse κατεγνωσμένος ἦν. Sequitur ipsius rei controversae expositio v. 12. Πρὸ τοῦ γὰρ etc. Συνεσθίειν μετά τινος s. τινι, cum quodam comedere, *Luc. 15, I. Corr. 5, 11. Lucian. paras. §. 22.* etsi interdum sensu latiori consortium alicuius familiare exprimat *LXX. Ps. 101*, (quemadmodum δειπνεῖν μετά τινος *Apocal. 3, 20.*), hoc loco tamen praecipue tenenda est significatio propria. Id enim Judaeo-Christiani Hierosolymitt. Petro maxime vitio vertere quod (voci quidem divinae obsequutus *Actt. c. 10.*) cum Cornelio eiusque domesticis, hominibus non circumcisis, *conversatus esset Actt. 11, 2. sqq.* Quicunque enim inter Christianos etiamnum tenaciores erant legis Mos. cerimonialis, illam eorum communionem cum Ethnicis atque Christianis ἐξ ἐθνῶν sedulo fugiebant, ne forte eiusmodi cibis qui Judaeis lege interdicti essent vel comedendis vel tangendis polluerentur. Petrus, visione (*Actt. c. 10.*) edoctus, homines Christianos illi ciborum discriminis non amplius esse obnoxios sibi persuaserat. Idem in conventu Hierosol. libertatis Christianorum a lege Mos. defensor extiterat strenuus *Actt. 7—11.*, nec Petri, sed Jacobi auctoritate (*Actt. 15, 13—*) decretum illud fuerat promulgatum (cui Paulus ipse, accommodatione tum temporis necessaria usus, contradicere noluit) quod libertatem Ethnico-Christianorum a lege Mos. limitabat, quibus ... coerceret, eosque non modo carne ex victimis g[illegible]

Ἰακώβου ex *ψευδαδέλφοις* fuerunt supra v. 4. notatis. Quanquam in tanta narrationis brevitate nihil certi de iis constitui potest. Parum constanter Petrus cedendum iis putavit, provocantibus forte (parum recte) ad auctoritatem Jacobi: *ὅτε δὲ ἦλθον, ὑπέστελλεν* etc. *quum vero illi venissent, se subduxit et segregavit* (ab Ethnico-Christianis). Quod Lachmann pro vulg. *ἦλθον* ex codd. *Vatic. Clarem. Aug. Boerner.* in textum recepit: *ἦλθεν*, Hermannus in comment. laud. de ep. ad *Gal. p. 7.* hoc defendit argumento: „speciose singularis mutatus fuerat in *ἦλθον*, quum non esset animadversum, in his ipsis Petrum fuisse, quos modo dixit *τινὰς ἀπὸ Ἰακώβου*.“ Quaeritur tamen quid fuerit, quod Apostolus, si Petrum ipsum ad illos *ἀπὸ Ἰακώβου* referret, v. 12. in. tam obscure et ambigue scriberet *πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν τινὰς ἀπὸ Ἰακ.* pro enuntiatione prorsus perspicua: priusquam enim ipse cum aliis quibusdam veniret *ἀπὸ Ἰακώβου*? Immo patet, Apostolum ex adventu illorum *ἀπὸ Ἰακ.* explicare voluisse, quomodo factum sit, ut Petrus illis indulgens aliter sese gereret, quam antea se gessisset. Scriptura *ἦλθεν* vel ex errore scribendi vel ex initio v. 11. profecta. Vb. *ὑπέστελλεν* pariter atque seq. *ἀφώριζεν* propius cohaeret cum *ἑαυτὸν*, eodem sensu quo alibi medium *ὑποστέλλεσθαι* de iis valet, qui fiducia destituti refugiunt, se subducunt, *Arl. hist. anim. 7, 19. Polyb. 1, 16, 10. Hebrr. 10, 38. Actt. 20, 27.* (nisi loco *Actt.* l. active potius dicatur: dissimulare, quam signific. Borger ad ep. nostram effatis pluribus illustravit). Gradu differunt *ὑπέστ.* et *ἀφώριζεν* (*Matth. 13, 49. II. Corr. 6, 17. al. Eurip. Hec. v. 931. Alc. v. 32.*): *se prorsus separavit*, *φοβούμενος* etc. metuens illos, libertatem usurpatam graviter damnantes, ad Christum conversos ex circumcisis, *τοὺς ἐκ περιτομῆς* i. q. *πιστοὺς ἐκ τοῖς περιτμηθεῖσιν*, quod plene dicitur *Actt. 10, 45.* De abstracto *περιτομὴ* pro concreto pos. ad v. 7. vidimus. Petri exemplum seduxerat alios v. 13. *Καὶ συνυπεκρίθησαν* etc. *Una cum ipso simulaverunt* (haud incognitum profanis v. c. *Polybio 3, 52, 6. al.* verbum duplici modo compositum *συνυποκρίνεσθαι*, in N. F. praeter hunc locum nusquam obvium.

quemadmodum ὑποκρίνεσθαι semel tantum *Luc. 20, 20.)* l. e. persuasionem quam non habebant prae se tulerunt, de fugienda epularum communione cum Ethnico-Christianis, *ceteri quoque Christiani ex Judaeis,* qui adhuc Paulo et Petro consenserant, *ut adeo Barnabas,* Paulo magnopere deditus *Actt. 9, 27. 11, 25. sq.* qui ipse Petrum in conventu Hierosol. adfirmantem audierat quae *Actt. 15, 7. sqq.* legimus, *simulatione eorum simul abduceretur* a tramite recto, vd. v. 14. De subst. ὑπόκρισις cfr. *Matth. 23, 28. I. Tim. 4, 2. al. Aesopi fab. 108.* De vb. συναπάγεσθαι *Xenoph. Cyrop. 8, 3, 23. II. Petri 3, 17.* Sententia quidem primaria haud mutatur si ὑποκρίσει h. l. non dativum rei, per quam aliquid factum sit, existimaveris sed pro εἰς τὴν ὑπόκρισιν (cum Bolteno aliisque) acceperis: ut adeo Barnabas simul abduceretur *ad simulationem eorum,* quae potestas dativi exemplis non omnino destitui videtur apud Graecos seriores, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 174.* Bernhardy *wissenschaftl. Syntax der griechischen Sprache.* (Berlin, 1829.) p. 95. Priorem vero interpretationem usus loquendi multo potius adiuvat. Ceterum constructio voculae ὥστε cum verbo finito *(Jo. 3, 16.)* exemplis *Ael. V. H. 3, 8. 12, 30. Xenoph. Cyrop. 1, 4, 1. Plat. Gorgiae s. 17. p. 72. s. 42. p. 151.* ed. Findeisen. aliisque defenditur. Reprehensio qua Paulus illos notaverit, enarratur v. 14. Ἀλλ' ὅτε εἶδον etc. Hoc uno loco occurrit vocabulum compositum ὀρθοποδεῖν, cuius significatio propria ex ipso intelligitur etymo: *pedibus rectis incedere,* et, quod cognatum est, *recta via ad metam tendere,* siquidem, qui vel claudicant vel gressus faciunt curvos, deflectunt facile ad dextram et sinistram a tramite iis praescripto *(Hebrr. 12, 13.);* adiectivum ὀρθόπους profanis haud incognitum, cfr. *Nicandri* ἀλεξιφάρμακα v. 419. *Sophocl. Antigone v. 985.* Elucescit item ex serie orationis potestas verbi tropica: recte agere, normam agendi rectam constanter sequi, i. q. ἀκριβῶς περιπατεῖν *Ephess. 5, 15.* s. κανόνι στοιχεῖν *Gal. 6, 16.* Opponitur τῷ συναπαχθῆναι τῇ ὑποκρίσει v. 13. De ἀληθείᾳ τοῦ εὐαγγελίου, doctrina Chr. qualis vere est, non corrupta placitis hominum arbitrariis, vd. ad v. 5. obs. De motu ad locum s. ad scopum

constitutum praepositionem πρὸς cum accusat. (*Jo. 11, 4. II. Petri 3, 16.*) h. l. intelligi volunt, qui sententiam hac ratione definiunt (Flacius in glossis et interpres lat. recentissimus Naebe): quum intellexissem, eos hoc modo non incedere recta via, quae tendat ad doctrinam qualis vere est laeta nuntiantem (praedicandam et adiuvandam). Paulo aliter Morus: eos non recto tramite tendere ad integritatem animi, quam postulat evangelium. Praestat, opinor, interpretatio facilior, qua πρὸς ut *Luc. 12, 47. II. Corr. 5, 10.* nec raro apud profanos (Vigerus *de idiot. dict. graecae* T. II. ed. Herm. a. 1802. p. 665.) normae, cui convenienter aliquid fiat aut fieri debeat significandae inservìat: *quum vero intellexissem, illos non recte incedere secundum veritatem doctrinae laetae nuntiantis, ita loquutus sum ad Cephan coram omnibus* (ἔμπροσθεν πάντων, *Matth. 26, 70.*) quo gravius omnes de hac simulatione fugienda admonerentur. Observabat Apostolus ipse praeceptum Timotheo iniunctum *I. Tim. 5, 20.* τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε, ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι. Scripturae vulg. Πέτρῳ etiam h. l. non dubitavimus cum Lachmanno lectionem praeferre Κηφᾷ iisdem fere testimoniis commendatam, quae supra ad v. 11. laudavimus. Hac interrogatione usus Apost. inconstantiam Petro exprobravit: εἰ σὺ, Ἰουδαῖος etc.: *si tu, Judaeus* natus, *more Ethnicorum nec Judaeorum vivis*, si licitum tibi existimas (quod aliquamdiu palam comprobasti) ut cibis promiscue utaris, nec omnino ea teneas statuta legis cerimonialis, quibus Judaei ab Ethnicis discrepant (sic enim formulae ἅπαξ λεγόμεναι: ἐθνικῶς et ἰουδαϊκῶς ζῆν haud dubie in hac orationis serie limitibus circumscribendae), *quomodo tandem gentiles* (Ethnico-Christt.) *cogis more vivere Judaeorum*, quid est, quod illos, natalibus suis legi cerimon. observandae prorsus non obligatos, auctoritate tua, evitando epulatum consortio cum Christianis non circumcisis nec ciborum discrimen Judaicum anxie curantibus, graviter impellas (de ἀναγκάζειν vd. supra v. 3. obs. et Borger ad h. l.), ut ipsi contra persuasionem suam statutis ritibusque Judaicis obediant, ne vestro excludantur consortio? Non est, quod offendamus

in usu formae praes. ζῆς, cui Petrus respondere potuerit: non verum est quod dicis, non amplius vivo ἐθνικῶς, redii ad observationem legis Mosaicae (quam difficultatem Rückert ad h. l. haud exiguam censuit, ita ut ipse, artificiosius opinor, τὸ ἐθνικῶς ζῆν referri mallet ad ipsam Petri simulationem, pagano potius dignam, quam Judaeo). Consulto Apostolus, quod Petrus libertati evangelicae accommodate fecerat priusquam venirent οἱ ἀπὸ Ἰακώβου (v. 12.), *tanquam praesens* eloquebatur, quum probe nosset nec diffiteri vellet, Petrum, subito evitantem consortium cibi potusque cum hominibus non circumcisis, hoc agere contra suam ipsius persuasionem meliorem, eumque non universe sed *coram illis tantum* Judaismi defensoribus, quos metueret, statuta sequi Judaica. Ἰουδαΐζειν i. q. antea Ἰουδαικῶς ζῆν (in N. F. ἅπαξ λεγομ. cfr. *Josephus de bello Jud. 2, 18, 2.* ubi potestatem similem habet: Judaeorum partibus favere). Quod lectt. diversitatem attinet, vbb. καὶ οὐχ Ἰουδαϊκῶς *vulgo post* ζῆς posita, si omnino ad textum primitivum pertinuisse censueris, auctoritate codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Aug. Börner.* verss. *Armen.* et *Vulg.* (in MS.) itemque Origenis Hieron. August. recte *ante* ζῆς collocantur. Malumus cum Semlero spuria habere ex interpretamento quodam profecta, quum et loco diverso appareant in codd. verss. patrumque scriptis, et prorsus desint in nonnullis codd. consentientibus Ambros. et Sedulio. Pro vulg. τί ante τὰ ἔθνη Griesbachium et Knappium sequuti edidimus quod plures codd. (in quibus *Alex. Ephr. rescr. Claremont. Sangerman. Aug. Börner.*) verss. *Peschito Arab.* (ed. Erpen.) *Copt. Aethiop. Vulg. It.* Origenes (ad *Jo. 13, 6.*) Damasc. *pro imagin. 1, 21.* patresque lat. habent πῶς, quod subiude in N. F. sic adhibetur, ut interrogationi inserviat dicti cuiusdam aut facti vel admirationem vel reprehensionem vel utrumque exprimenti, *Marc. 12, 35. Jo. 4, 9. I. Corr. 15, 12. Gal. 4, 9.* Frequentius legitur vocula interrogans τί pro διὰ τί; h. l. ex interpret. enata.

De iis quae iam sequuntur ad finem usque capitis diversimode disputatur, utrum his vss. continuetur oratio Pauli ad Petrum habita (quod inter vett. Hieronymus, inter recentio-

res Chr. Tittmann in *opusco. theol. p. 365.* Knapp in *scriptis varii argumenti* ed. II. p. 452. sq. Rosenmüller ad h. l. Winer Rückert aliique probant), an haec omnia, finita iam narratione controversiae Antiochenae, lectoribus huius epistolae, Judaeo-Christianis potissimum in Galatia versantibus dicantur (quae sententia in commentariis Oecumenii Grotii Semleri Koppii Matthiesii al. praefertur). In ipsa quidem serie et indole sententiarum huius totius sectionis nihil apparet, quo alterutrum certo comprobetur. Quaecunque enim ad finem usque cap. obveniunt, pariter inservire poterant iis Galatarum, qui doctoribus vanis necessitatem circumcisionis ad salutem consequendam urgentibus aures facile praebebant, meliora docendis, atque Petro ad sinceritatem et libertatem ingenuam revocando, praesertim si perpenderis, orationem Pauli ad Petrum coram pluribus habitam etiam hoc egisse, ut li Judaeo-Christt. Antiocheni, qui re vera putarent, neminem nisi circumcisum Deo prorsus probari, nec simulatione tantum et metu consortium Ethnico-Christianorum fugerent, de vanitate huius persuasionis admonerentur. Parum probabiliter vero Paulus his paucis, quae v. 14. legimus, reprehensionem Petri publicam absolvisse existimatur. Respondent quidem, Apostolum, etsi tum temporis Antiochiae haud dubie sermonem usurpasset prolixiorem, *narratione* tamen huius sermonis in epistola nostra *breviter* esse defunctum, summa tantum sermonis s. sententia primaria qua simulationem Petri carperet v. 14. indicanda. Quod fieri *potuisse* haud negaverim. Verum enimvero, quum Apostolus, quae huno sermonem antecederent eique habendo opportunitatem praeberent v. 11 — 14. *uberius* exposuerit, nec ullum orationis mutatae (ad Galatas transeuntis) vestigium v. 15. appareat, sed C. III. demum v. 1. sermo iterum convertatur ad lectores epistolae, probabilius utique v. 15. narrationem illius orationis Antiochenae continuasse existimatur. Ceterum coniecturae eorum (cfr. Flatt *praelectt. ad v. 17. p. 70.*) qui sermonem Apostoli quo Petrum corrigeret v. 18. desinere, cetera v. 19. 20. 21. Galatis scripta esse contendunt, id maxime obstat, quod et ipsa totius sententiae indoles, et vocula γὰρ ostendit, versum 19. cum 18. arctissime cohaerere.

Multo facilius liceat ipsum v. 18. et seqq. ab antecedentibus separare, veluti commentarium, quo Paulus h. l. quae illo tempore Antiochiae dixerat (v. 17.) amplius illustraverit, oratione a numero plurali ad singularem traducta, cfr. Neander *Geschichte der Pflanzung und Leitung der christ. Kirche durch die Apostel, Vol. I. Hamb. 1832. p. 274.*

V. 15. 16. 17. *Ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί.* **(v. 16.)** *Εἰδότες δὲ, ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμεῖς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν, ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου· ὅτι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ.* **(v. 17.)** *Εἰ δὲ ζητοῦντες δικαιωθῆναι ἐν Χριστῷ εὑρέθημεν καὶ αὐτοὶ ἁμαρτωλοί, ἆρα Χριστὸς ἁμαρτίας διάκονος; μὴ γένοιτο.*

Egregie ostendit Apost. *v. 15.* et seqq. adversarios suae doctrinae de necessitate legis Mos. cerimonialis per Christum sublata veluti ad absurdum ducens, homines ad Christum conversos ex Judaeis, qui legem, cui observandae obnoxii tenerentur tanquam Judaei nati, missam quidem fecerint (quum fidem Christo habendam salutis impetrandae conditionem veram et unicam amplecterentur), sed eiusdem legis necessitatem iterum defendant, eamque ipsis Ethnico-Christianis iniungi velint, parum sibi constare, immo id ipsum efficere, quod sedulo evitare voluerint (fugiendo commercio cum Christianis non circumcisis nec discrimina ciborum servantibus), ut ipsi appareant *ἁμαρτωλοί*, quo nomine gentiles tanquam gentiles inter Judaeos soleant appellari. Pronomen *ἡμεῖς* una cum Paulo omnes complectitur Judaeo-Christt. qui eandem, quae in Paulo fuit, persuasionem de lege Mos. amplexi fuerant (etsi iam plures eorum, instar Petri, aliam persuasionem simularent). *Ἰουδαῖοι φύσει* i. q. Judaei ex Judd. nati (de natalibus *φύσις Romm. 2, 27. Polyb. 3, 9, 6.*). *Ἁμαρτωλοί* (חַטָּאִים, רְשָׁעִים), quod proprie peccatores, homines vitiositati indulgentes indicasse permulta docent N. F. effata, in sermone Judaeorum *gentilibus* cum contemtu et odio appellandis inserviit, *I. Sam. 15, 18. Tobiae 13, 6. comment. Raschi ad Hos. 1, 1. Matth.*

9, 10. 26, 45. Marc. 14, 41., propterea quod pagani Deos colebant fictitios *(Ephh. 2, 12.)* et eiusmodi lege Dei positiva, qualem Judaei habebant, destituti erant (ἄνομοι, *I. Corr. 9, 21.*), neque negari potest, inter gentiles magnam fuisse flagitiorum atrocissimorum *(Romm. 1, 24. sqq.)* impunitatem, quam ipse idolorum cultus adiuvaret. Constat item, Judaeos non sine fastu suam tantum gentem praedicavisse iustam probam sanctam *Numerr. 23, 10. Jos. 10, 13. II. Sam. 1, 18. Sapient. 10, 15. 17. 20. 11, 14. al.* Paulus, ab illo fastu Judaico tantopere alienus, ut palam profiteretur, Judaeos universe spectatos pariter atque gentiles peccato fuisse obnoxios, priusquam per Christum liberarentur *(Romm. 2, 9. sqq. 3, 9. sqq.)*, h. l. vulgarem illam de gentilibus loquendi rationem Judaicam sequitur, suae quippe argumentationi inservientem. Sed neque solam hominum paganorum notionem prorsus seiunctam a propria (peccatoris) simpliciter h. l. spectavisse existimandus est in usurpanda voce ἁμαρτωλός (otiosum quippe appareret praedicatum sic intellectum, praecedente ἐθνῶν), neque significatum proprium, illo civili fere neglecto, hoc sensu tenuisse (cfr. Er. Schmid Baumgarten Flatt ad h. l. Elsner *obss. sacrr. p. 180.)*: nos Judaei qui et ipsi, licet non ex gentilibus, peccatores sumus. Quanquam enim hoc posterius, quod sententiam attinet (cfr. supra obs.), prorsus est Paulinum, minus arcte tamen cohaerere videtur cum indole et nexu totius quae verbis seqq. inest argumentationis. Immo hoc sibi voluit: *nos quidem* (deficit h. l. μέν sequente v. 16. δέ ellipsi haud incognita, vd. Vigerus *de idiot. dict. gr. Vol. II.* ed. Herm. p. 536.) *natalibus sumus Judaei, neque ex gentilibus oriundi, quales* (ex usu vulgari) *dicuntur peccatores.* Sic enim viam sibi munivit ad sententiam gravem et acutam v. 17.: si nos, Judaei, quum fidei Christo habitae salutem nostram totam committeremus, missa legis Mos. observatione, eo ipso a tramite recto aberrassemus (quod ponunt, qui observationem legis cerimon. instaurandam defendunt), sequeretur inde, nos, qui nollemus gentilibus pares haberi eosque propter idololatriam legisque divinae ignorantiam peccatores appellaremus, iam ipsos factos esse peccatores, praeeunte Christo. Εἰδό-

τες δὲ, pergit v. 16. ὅτι οὐ δικαιοῦται etc. Quae vulgo post εἰδότες deest vocula δὲ, praeeuntibus codd. pluribus (*Vatic. Ephr. rescr. Claremont. Sangerman. Boerner.*) versu. *Vulg.* et *It.* patribusque lat. apud Griesbachium et Knappium recte restituitur textui, sive casu (errore scribendi) antiquitus exciderit, sive consulto deleta fuerit ab iis, qui in constructione verborum v. 15. 16. haererent, haud animadversa ellipsi verbi ἐσμὲν v. 15. Omissio voculae verba v. 15. una cum his: εἰδότες — Ἰησοῦ Χριστοῦ propius iubet coniungi, ita ut protasin constituant, quam apodosis sequatur καὶ ἡμεῖς etc. Probabilius existimatur Apostolus utramque sententiam (et v. 15. et v. 16.) propter singularem utriusque vim ad argumentationem consummandam separatim enuntiasse. Neque negari potest, initium apodoseos καὶ ἡμεῖς etc. aptius convenire lectioni, quae, vocula δὲ recepta, versu demum 16. in. initium constituat protaseos. De verbo δικαιοῦν (hebr. צָדַק et הִצְדִּיק); cuius potestas accurate cognita plurimum valet ad effata multa epistolarum Pauli praesertim ad Romanos et Galatas recte intelligenda, haec teneamus. Etymon δίκαιος primum quidem et *sensu physico* de rebus dicebatur, quae aequalitatem qualis esse debet ac proportionem habent (cfr. Hermann ad *Sophocl. Aiacem v. 543.* Schneider *Handwörterbuch der griech. Sprache bearb. von* Passow T. I. p. 380.), et sensu *morali* ad hominem transferebatur, *qui talis est qualem esse oportet*, qui ad praecepta legis se componit, *Xenoph. memorabb. IV, 6, 6. Plat. Euthyphron c. 14. p. 45.* ed. Fischer. ubi τὸ δίκαιον observationem utriusque generis officiorum, et quae Numini, et quae hominibus praestanda sunt, complectitur. Ex N. T. cfr. *Matth. 23, 28. Luc. 1, 6. Romm. 3, 10. al.* [De Deo et Jesu Chr. sensu *perfecto* dicitur: prorsus integer animo probus sanctus, *Acti. 22, 14. I. Jo. 2, 29.*] Cognata est significatio hominis *insontis*, qui culpa vacat, *Matth. 27, 19. 24. I. Petri 3, 18.* Sensu vero angustiori *iustum* indicat, qui suum cuique tribuit, τὴν δίκην servat, de *Deo* sic usurpatum *II. Timoth. 4, 8. Apocal. 16, 5.* de *homine Xenoph. Symp. c. 4. §. 1. §. 42. Marc. 6, 20. al.* [Notionem *benignitatis* vocibus δίκαιος et δικαιοσύνη

per se spectatis interdum inhaesisse, argumentis idoneis probari non potest, etsi loca obveniant, quibus notio universa: probitas animi secundum seriem orationis ex hac potissimum parte consideretur, quod verissime monuit B. Nitzsch: *de revelatione relig. externa eademque publica, Lips. 1808. p. 77. sq.]*. Quo quidem etymo praeeunte verbo δικαιοῦν, ex analogia aliorum verborum quae in οὖν exeunt, haec universa potestas duplex (altera alteri maxime cognata) recte vindicatur: 1) *aliquem facere δίκαιον* cfr. *LXX. Ps. 73, 13.* ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου, זִכִּיתִי לְבָבִי (de eo, qui innocentiae studet) *Sirac. 18, 21.* ubi δικαιοῦσθαι i. q. emendari, *ib. 26, 20.* δικαιοῦσθαι ἀπὸ ἁμαρτίας i. q. innocentem manere, se integrum servare fugiendo peccato (cum σὺν ἀνομίᾳ dicitur alterum δικαιοῦν, qui male agendo efficit, ut alter sit sive appareat bonus, ratione habita illius, qui longe graviora deliquerit, *Ezech. 16, 52. sq. LXX. Genes. 38, 26.*) 2) *aliquem tanquam δίκαιον agnoscere, declarare, tractare.* In libris quidem N. F. *posterior* signif. maxime *eminet*, quanquam haud raro simul ad eum refertur, qui vere ita sit comparatus, sive sic fuerit immutatus, ut Deo placere possit. Accuratior verbi interpretatio pro usu diverso adiectivi δίκαιος singulis locis ex serie sermonis cognoscenda. De eo maxime videndum, utrum *A) absolute* dicatur aliquis δικαιοῦσθαι, an *B) ratione habita* vel *controversiae, cui obnoxius fuerit,* vel *peccatorum, quae vere commiserit.* *Priori* genere locorum ea comprehenduntur, quibus vb. δικαιοῦν et δικαιοῦσθαι *a)* ad obiectum *Dei* refertur, qui tanquam probus, sanctus manifestari *(LXX. Ps. 51, 4.)* inter homines talis agnosci et declarari *(Sirac. 18, 1. Luc. 7, 29.)* dicitur, *b)* ad obiectum *Jesu Christi, λόγου* divini, *I. Tim. 3, 16.*: probus s. sanctus manifestatus est secundum vim divinam in eo efficacem, cfr. *Romm. 1, 4. c)* ad obiectum *hominis:* aliquem iustum s. omnino innocentem probum laude dignum habere, pronuntiare, tractare, sive homines hoc faciant dicta et facta cuiusdam vel recte vel perperam probantes, *Sirac. 10, 28. 13, 21.*, sive quis divinitus (iudicio divino) dicatur probus haberi et declarari, qui placeat Deo, *Michae 6, 11. LXX. Romm. 4, 2. Jac.*

2, 21. 24. sq., ratione potissimum habita remunerationis olim in regno divino futurae, *Romn. 2, 13. 3, 20.*, unde factum, ut eiusmodi locis etiam notionem involveret praemium divinitus accipiendi (quemadmodum significatio, quae huc pertinet, negativa: poenam subire nullam, verbo *δικ. Sirac. 9, 12.* inhaeret). Nec desideratur phrasis *ἑαυτὸν δικαιοῦν*, de eo qui operam dat ut aliis probus laude dignus appareat, *Luc. 10, 29. 16, 15.* (sic *δικαιοῦσθαι, Genes. 44, 16. LXX.*). Quod genus *B)* attinet, huc refertur *a)* usus verbi *δικαιοῦν* iudicialis: innocentem habere et pronuntiare, partim de eo, qui aliquem *recte absolvit*, ius ei vindicat, *LXX. Ps. 82, 3. Ps. 142, 2. Jes. 1, 17. Matth. 12, 37.*, partim de eo, qui perperam s. iniuste hoc facit, *LXX. Exod. 23, 7. Jes. 5, 23. b)* significatio illa dogmatica, Paulo maxime familiaris, qua Deus dicitur omnes, qui hoc agunt, ut fide vera et viva Jesu Christo habenda liberentur a miseria peccatorum, propter hanc *πίστιν* tanquam homines considerare, et considerari velle, non amplius peccato eiusque poenae aeternae obnoxios, sed absolutos, participes gratiae divinae, *Romn. 3, 24. 26. 28. 5, 1.* coll. 4, 25. 5, 9. coll. v. 10. 8, 30. *ad Titum 3, 7.* In promtu quidem est, hoc *δικαιοῦσθαι*: *Deo probatum reddi*, talibus locis notionem involvere condonationis peccatorum divinae (cfr. praesertim formula: *δικ. ἀπό τινος, Actt. 13, 39. Romn. 6, 7.* Rückert *Commentar über den Brief P. an die Römer* Leipz. 1831. p. 254. sq.). Attamen sola condonationis peccatorum cogitatione minime consummatur potestas huius formulae integra. Intelliguntur quippe sub iis, quos Deus *δικαιοῦν* s. *δικαιῶσαι* dicitur, *quicunque, per πίστιν Christo habitam veniam peccatorum adepti, huiusque beneficii certiores redditi, non tantum poena absoluti declarantur* (ratione non amplius habita peccatorum antea commissorum), *sed etiam, Deo iuvante, in eiusmodi meliorem animi conditionem transierunt, qua Deo sancto placere et probari utique possint* (ideoque salutis regni div. participes fieri). Etenim *πίστις*, qualem Apostoli praedicant, ex qua hoc *δικαιοῦσθαι* pendeat (praeeuntibus multis Pauli effatis), minime sola continetur cognitione recta, oris confessione, assensu rationis, sed etiam

tota sentiendi ratione et *pio adfectu* hominis de imperfectione sua morali et necessitate vitae emendandae certo persuasi, qui non desperat de emendatione perficienda atque salute, sed eiusmodi fiduciam inconcussam in gratia Dei libera per Christum promulgata ponit, ut novis viribus ex ipsa hac peccatorum remissione sub conditionibus certis sancte promissa collectis auctum se sentiat, corroboratum, amore Dei incensum ad vitam indefesso studio emendandam totamque Deo consecrandam. Itaque per eiusmodi πίστιν iam transiit homo Christo addictus in statum animi meliorem, ita ut etiam hoc sensu recte dicatur δικαιωθείς. [Cfr. quae de Abraamo, quem Deus propter fiduciam piam sibi probatum habuerit, dicc. *Romm. 4, 3. 9 — 12. 17. sqq.* *Jac. 2, 22. sqq.* cfr. *Hebrr. c. 11.*]. Patet inde quo sensu et iure etiam nostro loco ep. ad Gal. verba ὅτι οὐ δικαιοῦται etc. vertamus: *neminem Deo probatum reddi per opera legis.* Τῷ δικαιοῦσθαι v. 17. opponitur εὑρίσκεσθαι ἁμαρτωλόν. Profanis quoque auctoribus hoc verbum probe cognitum esse, quanquam de *rebus* quae δικαιοῦνται frequentius quam de *personis* usurpatum, loca docent laudd. apud Schneiderum: *griech. deut. Handwörterbuch etc.* ed. III. Vol. I. p. 357. Cfr. eiusd. *Handwörterbuch etc. ausgearb. von* Passow T. I. p. 380. De usu *biblico* vocabb. δίκαιος, δικαιοῦν etc. separatim exposuerunt: Storr *opuscc. acad. Vol. I. p. 188. sqq.* Koppe *exc. IV. epist. ad Gal.* Zimmermann *comment. de vi atque sensu phraseos* δικαιοσύνης θεοῦ *in N. T. Marburgi, 1789.* 8. *p. 14. sqq.* Schroeder (s. potius Mich. Weber) *de significationibus verbb.* δίκαιος, δικαιοσύνη etc. *Viteb. 1791.* 4. Van Voorst *annotatt. in loca selecta N. T. specimen II. Lugd. Batav. 1811.* 8. *p. 65. sqq.* Dav. Schulz in l. *was heisst Glauben etc.* (Leipz. 1830.) p. 141. sqq. Winzer *progr. de vocabulis* δίκαιος, δικαιοσύνη et δικαιοῦν *in Pauli ad Romanos epistola, Lips. 1831.* 4. Quaenam sint illa *legis opera*, ἔργα νόμου, et series docet orationis, siquidem Paulus contra eos disputat, qui homines Christianos circumcisioni, discrimini ciborum iudaico, aliisque rebus ad legem cerimon. pertinentibus obnoxios reddi volebant, et comparatio

aliorum locorum epistolae nostrae 3, 10. 17. 19. et *ep. ad Romm. 3, 20.* coll. v. 21. 3, 27—30. 9, 32. coll. v. 31. [Quanquam haud negamus, et substant. ἔργα per se positum latius apud nostrum scriptorem patere, et νόμον non ubique dici legem Mosaicam.]. *Facta* intelliguntur *legi Mos. cerimoniali accommodata*, s. observatio rituum iudaicorum, quemadmodum ἔργα τοῦ σκότους *Romm. 13, 12.* quae conveniunt ignorantiae, s. ἔργα τῆς σαρκὸς *Gal. 5, 19.* qualia postulat et efficit dictamen sensuum et cupiditatum. Ἐξ ἔργων νόμου et h. l. et saepissime, in hac praesertim epistola, i. q. διὰ τῶν ἔργων τοῦ νόμου, quo sensu eodem v. 16. διὰ πίστεως et ἐκ πίστεως promiscue usurpatur. De usu huius praepos. ad causam et originem rei significandam vd. Winer *Grammatik etc.* ed. III. p. 315. Protasis: *Quum vero intellexissemus, minime quenquam* (ἄνθρωπος, si sensum spectaveris, i. q. ἕκαστος *I. Corr. 4, 1. 11, 28.*) *Deo probatum reddi per opera legi Mos. accommodata*, iam suppl. negatio universa: neminem δικαιοῦσθαι (cfr. ad c. 1. v. 7. obs.) *nisi per fidem Jesu Christo habitam.* Πίστις (ad *I. Thess. 1, 3.* breviter explicata) h. l. praesertim refertur ad fiduciam certam in condonatione peccatorum div. per Jesu Chr. doctrinam mortemque revelata positam (*Romm. 3, 24. sq. 4, 24. sq. 5, 1. 2. 9. sqq.*), quae facit, ut homo viribus increscat ad animum strenue emendandum. De form. πίστις Χριστοῦ s. θεοῦ vd. *Marc. 11, 22. Romm. 3, 22. Ephh. 3, 12.* Sequitur apodosis: καὶ ἡμεῖς etc. *nos etiam*, quanquam natalibus Judaei, legi Mos. obnoxii, *fidem in Christo Jesu posuimus, ut Deo probati redderemur per fidem Christo habitam, nec per opera legi accommodata.* Πιστεύειν εἰς τινὰ (*Marc. 9, 42. Jo. 1, 12. 3, 16. 6, 35. Romm. 10, 14. al.*) verissime doc. Winer: *Grammatik etc. ed. III. p. 173.* emphasin habere, eum signif. qui non tantum alteri hoc illudve dicenti aut promittenti credat (πιστεύειν τινι), sed totum se adplicet alteri, eumque in rebus gravissimis ducem suum doctorem salutis auctorem profiteatur. Postrema: ὅτι ἐξ ἔργων etc. pariter atque *Romm. 3, 20.* alludunt ad effatum *Ps. 143, 2. LXX.* ὅτι οὐ δικαιωθήσεται ἐνώπιόν σου πᾶς ζῶν. Quod vulgo in textu Pauli

vulgo ἆρα οὐ s. οὐχ dicitur, vd. Vigerus *de idiotismis. dict. gr. ed.* Herm. Vol. II. p. 488.). Quanquam in N. F. exempla huius signific. desiderantur, apud profanos tamen interdum obveniunt, vd. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik ed. II. T. II. p. 1241.* Interrogatio sic intellecta adfirmat veritatem *consequentiae.* Responsio μὴ γένοιτο docet, quum prorsus ineptum sit et impium quod ex illa enuntiatione: ζητοῦντες δικαιωθῆναι — ἁμαρτωλοὶ recte colligatur, hanc ipsam esse vanam. [Sententia eadem evadit, si pro ἆρα cum Rosenmüllero Koppio aliisque scribatur ἄρα, quod conclusionem exprimat sine interrogatione propositam. Sed apud Paulum phrasin μὴ γένοιτο constanter praecedit interrogatio.] Eandem vocem, quae in epistolis haud rare adhibetur de hominibus causae Dei inservientibus, διάκονος (διακ. τοῦ εὐαγγελίου s. τοῦ θεοῦ vd. ad *I. Thess. 3, 2.*) h. l. transfert Apostolus ad notionem *ministri τῆς ἁμαρτίας*, quum διάκ. omnino dicatur, qui aliis res necessarias subministrat, eorum desideriis inservit, vd. *Plat. republ. l. 2. c. 11. p. 80.* ed. Ast. ex N. F. *Romm. 15, 8. II. Corr. 11, 15.*, quo gravitas declaretur, quam temeraria et impia sit illorum sententia, qui *ipsum Jesum Christum* (quo auctore Judaei ad eam conversi δικαιοσύνην non amplius a lege cerimon. exspectaverunt) *auctorem et adiutorem peccati* faciant, dum dicant, nihil prodesse ad δικαιοσύνην impetrandam fidem Christo habitam ab observatione legis Mos. seiunctam. Hunc esse sensum conclusionis Paulinae Chrysost. Theodor. Oecum. Theophyl. recte viderunt, adsentientibus Semlero Cramero Koppio Rosenmüllero Borgero Winero ad h. l. Minus perfecte assequuntur vim formulae διακ. ἁμαρτίας, qui hoc tantum inesse putant: an dicamus (quod illi doctores vani ad Judaismum propensi concedere debeant), Christum nihil effecisse, nisi ut doceret nos esse peccatores, sive: Christum destituere homines peccato et condemnationi obnoxios, eosque quod δικαιοσύνην attinet ad legem ablegare Mosaicam? (cfr. Rambach et Michaelis ad h. l.). Aliam denique viam nuperrime Rückert in comment. (voculae ἆρα vim solitam interrogando aliquid negandi vindicaturus) hanc iniit, ut formu-

lam εὑρέθημεν ἁμαρτωλοὶ ad studium referret perversum (a Paulo notatum) hominis, qui, etsi Christum profiteatur, iterum tamen stabiliat statuta Judaica: si nos, quanquam per Christum Deo probari volumus, tamen peccare pergimus ethnicorum instar (novum committimus peccatum eo quod Christo addicti iterum tamen speciose stabiliamus legem cerimonialem), estne Christus peccati adiutor, i. e. putatisne, Christum nos sic facientes magis quam ethnicos probaturum esse nostramque perversitatem confirmaturum? Sed nexus v. 17. cum v. 16. pariter atque usus formulae: εὑρέθημεν ἁμαρτωλοὶ multo potius suadet, ut Apostolum, quod supra diximus, cogitasse putemus: si revera *ex ipso studio* nostro δικαιοσύνην omnino non per legem sed *per Christum* impetrandi *appareret*, nos esse peccatores. Neque nisi per ambages ex verbis ἄρα Χριστὸς etc. eiusmodi sententiam, qualem haec interpretatio interrogationi vindicat, eruere licet.

Vanitate huius opinionis doctorum falsorum, quae Christum ipsum veluti auctorem et adiutorem peccati exhibeat, paucis declarata, ostendit Apostolus, eos potius peccare, qui legem cerimon. iterum iniungant Christianis; eos recte obedire voluntati divinae, qui salutem suam totam committant fidei Christo habitae.

V. 18—21. *Εἰ γὰρ ἃ κατέλυσα, ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνιστάνω.* (v. 19.) *Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον, ἵνα θεῷ ζήσω.* (v. 20.) *Χριστῷ συνεσταύρωμαι· ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ.* (v. 21.) *Οὐκ ἀθετῶ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ· εἰ γὰρ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν.*

V. 18. Sententiam quae de vita factisque hominis universe valeat (transferendam quidem ad rem praesentem) eloquuturus adhibet Paulus personam primam (*Romm. 7, 7. sqq.*) κατέλυσα etc. Τῷ οἰκοδομεῖν, de cuius potestate et propria et tropica cfr. ad *I. Thess. 5, 11.* observv., opponitur καταλύειν dissolvere, destruere, *Matth. 26, 61. II. Corr.*

vulgo ἄρα οὐ s. οὐχ dicitur, vd. Vigerus *de id*
gr. ed. Herm. Vol. II. p. 488.). Quanquam i
pla huius signific. desiderantur, apud profano
obveniunt, vd. Matthiae *ausführl. griech.*
T. II. p. 1241. Interrogatio sic intellec
consequentiae. Responsio μὴ γένοιτο
ineptum sit et impium quod ex illa
δικαιωθῆναι — ἁμαρτωλοὶ recte co
vanam. [Sententia eadem evadit,
müllero Koppio aliisque scribatr
exprimat sine interrogatione pr
phrasin μὴ γένοιτο constanter
dem vocem, quae in epistolis
bus causae Dei inservientibus
γελίου s. τοῦ θεοῦ vd. a
Apostolus ad notionem *mis*
omnino dicatur, qui alii
desideriis inservit, vd. I
ex N. F. *Romm. 15,* 8
retur, quam temerari
Jesum Christum (
καιοσύνην non a
ctorem et adiuto
esse ad δικαιο
observatione l
clusionis Paul
recte vider
Rosenmü
assequunt
inesse p
mum
nisi
hon
κε

postisse,
, *qui se ipsi*
es, quum ex ipso
nominibus Christo ad-
merent gloriandi. Senten-
phora ab aedificio desumta.
, *eadem instauro, me ipse* (ve-
nominem legem transgressum. Haec
intelligi atque ad rem praesentem trans-
illud κατέλυσα *a) vel* de eo intelligatur,
ram s. temere destruxit: si observationem ri-
um antea *temere* abrogatam et πίστει τοῦ Χρι-
ositam iterum *recte* dicamus ad salutem impetran-
ssariam esse, sequitur inde, nos peccavisse, quum
Mos. missam faceremus (uberius his vbb. explicatur,
eiusmodi homo ipsum Jesum Chr. faciat διάκονον
ας v. 17. cfr. Ambros. ex recentioribus Baumgar-
Rosenmüller Borger ad h. l.) *b) vel* de eo, qui ali-
recte destruit, unde haec prodit sententiarum series: ab-
ut Christus habeatur διάκονος ἁμαρτίας, immo, si neces
legis cerimon. ad salutem impetrandam, antea Christo

lam *εὑρέθημεν ἁμαρτωλοὶ* ad studium referret perversum (a *Paulo* notatum) hominis, qui, etsi Christum profiteatur, iterum tamen stabiliat statuta Judaica: si nos, quanquam per Christum Deo probari volumus, tamen peccare pergimus ethnicorum instar (novum committimus peccatum eo quod Christo addicti iterum tamen speciose stabiliamus legem cerimonialem), estne Christus peccati adiutor, i. e. putatisne, Christum nos sic facientes magis quam ethnicos probaturum esse nostramque perversitatem confirmaturum? Sed nexus v. 17. cum v. 16. pariter atque usus formulae: *εὑρέθημεν ἁμαρτωλοὶ* multo *potius* quadet, ut Apostolum, quod supra diximus, cogitasse putemus: si revera *ex ipso studio* nostro *δικαιοσύνην* omnino *non per legem* sed *per Christum* impetrandi *appareret*, nos esse peccatores. Neque nisi per ambages ex verbis *ἆρα Χριστὸς* etc. eiusmodi sententiam, qualem haec interpretatio interrogationi vindicat, eruere licet.

Vanitate huius opinionis doctorum falsorum, quae Christum ipsum veluti auctorem et adiutorem peccati exhibeat, paucis declarata, ostendit Apostolus, eos potius peccare, qui legem cerimon. iterum iniungant Christianis; eos recte obedire voluntati divinae, qui salutem suam totam committant fidei Christo habitae.

V. 18—21. *Εἰ γὰρ ἃ κατέλυσα, ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνιστάνω.* (v. 19.) *Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον, ἵνα θεῷ ζήσω.* (v. 20.) *Χριστῷ συνεσταύρωμαι· ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκί, ἐν πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ ἀγαπήσαντός με καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ.* (v. 21.) *Οὐκ ἀθετῶ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ· εἰ γὰρ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν.*

V. 18. Sententiam quae de vita factisque hominis universe valeat (transferendam quidem ad rem praesentem) eloquturus adhibet Paulus personam primam (*Romm. 7, 7. sqq.*) *κατέλυσα* etc. *Τῷ οἰκοδομεῖν*, de cuius potestate et propria et tropica cfr. ad *I. Thess. 5, 11.* observv., opponitur *καταλύειν* dissolvere, destruere, *Matth. 26, 61. II. Corr.*

5, 1. al., tropice i. q. irritum reddere et declarare, auctoritate et potestate privare, s. abrogare, *Matth. 5, 17. Actt. 5, 38. sq. Xenoph. Cyrop. I, 1, 1. Aeliani V. H. 1, 19.* Παραβάτης dic. quicunque legem quandam violat (παραβαίνει τὸν νόμον) quae legis notio *universa* (non Mosaicae) h. l. facile subintelligitur *Jac. 2, 9. Romn. 2, 25. 27. al.* quoad sensum i. q. ἁμαρτωλὸς, cfr. versio *Aquilae ad Ezech. 18, 10.* ubi *Symmachus* habet παραβάτης. Formam συνιστάνω (sic enim cum Griesb. et Knappio auctoritate codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Claremont.* a manu prima *Aug. Boerner.* edidimus pro vulg. συνίστημι) in hac orationis serie eandem volunt potestatem habere declarandi sive demonstrandi, quam altera forma συνίστημι obtinet *Romn. 3, 5. 5, 8. al.* cfr. Munthe *observv. ex Diod. Sic. p. 358.* Equidem putaverim Apostolum cum εἰρωνείᾳ verbum συνιστάνω h. l. eodem sensu quem haec forma in N. F. rarior apud nostrum *II. Corr. 3, 1. 5, 12. 10, 12.* obtinet *commendandi* s. *laudandi* posuisse, acerbe perstringentem gloriationem vanam illorum, *qui se ipsi palam laudare viderentur tanquam peccatores*, quum ex ipso conamine perverso legem cerimonialem hominibus Christo addictis denuo iniungendi materiem sumerent gloriandi. Sententiam eloquitur universam, metaphora ab aedificio desumta: *etenim si, quae destruxeram, eadem instauro, me ipse* (veluti) *commendo tanquam hominem legem transgressum.* Haec sententia duplici modo intelligi atque ad rem praesentem transferri potest, prouti illud καταλύσαι *a) vel* de eo intelligatur, qui aliquid *perperam* s. temere destruxit: si observationem rituum Judaicorum antea *temere* abrogatam et πίστει τοῦ Χριστοῦ postpositam iterum *recte* dicamus ad salutem impetrandam necessariam esse, sequitur inde, nos peccavisse, quum legem Mos. missam faceremus (uberius his vbb. explicatur, quo sensu eiusmodi homo ipsum Jesum Chr. faciat διάκονον ἁμαρτίας v. 17. cfr. Ambros. ex recentioribus Baumgarten Rosenmüller Borger ad h. l.) *b) vel* de eo, qui aliquid *recte* destruit, unde haec prodit sententiarum series: absit, ut Christus habeatur διάκονος ἁμαρτίας, immo, si necessitatem legis cerimon. ad salutem impetrandam, antea Christo

auctore *recte* negatam, iterum pertinaciter defendamus et urgeamus, nos ipsi (non Christus) deprehendimur peccatores, i. e. hac ipsa gloriatione vana efficimus, ut *nunc* simus et appareamus peccatores, voluntati divinae contradicentes. Posterius h. l. Paulum in mente habuisse recte, opinor, viderunt Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. quibuscum Koppe Flatt Winer Matthies aliique faciunt; siquidem et v. 18. hoc sensu intellectus optime cohaeret verbis *postremis* v. 17. et nexus v. 19. cum 18. hanc interpretationem maxime commendat. Docetur enim v. 19. hominem Christo addictum *recte*, ipsa lege praeeunte, non amplius ad legem Mos. tanquam praesidium salutis impetrandae confugere: Ἐγὼ γὰρ etc. De voc. νόμος posteriori loco posito nemo dubitat legem intelligi Mosaicam, cui dicc. mortui esse, qui non amplius ei serviunt, cfr. *Romm. 7, 4. Coloss. 2, 20.* Similiter: ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ *Romm. 6, 2.* Alio sensu idem substant. loco prieri (διὰ νόμου) interpretandum existimant plures (Hieron. Ambr. Luther Michaelis Bengel Koppe Morus Borger) de religione Christiana. Attamen effata ab his interprr. laudata ubi religio et disciplina Christiana νόμος πίστεως s. δικαιοσύνης s. πνεύματος appellatur (*Romm. 3, 27. 8, 2. 9, 31. I. Corr. 9, 21.*) minime demonstrant, νόμος *simpliciter* positum hoc sensu apud Paulum usurpari potuisse. Nihil impedit, quo minus utroque loco eandem notionem teneamus legis Mosaicae. Immo graviorem lucramur sententiam: *per ipsam legem mortuus sum* (renuntiare didici) *legi.* Quod quidem duplici modo adfirmari potuit: *a)* (quo sensu Calvinus Semler Baumgarten Flatt Winer Matthies mentem Pauli interpretantur) quatenus ex ipsa indole et efficientia disciplinae Mosaicae intellectum fuerat, praesertim ex quo tempore Christus Servator prodierat, eam non potuisse hoc praestare, ut eiusmodi conditionem hominis Deo probati, quae desideriis sanctissimis plane satisfaceret, impetraremus, immo lege, per se quidem bona, effectum esse ut moreremur (miseros nos sentiremus, metui mortis obnoxios) cfr. supra v. 16. *Actt. 13, 39. Romm. 3, 20. 7, 9. sqq. 8, 3. b)* quatenus nova eademque perfectior sacrorum oeconomia

Messia auctore futura ipsis libris V. T. adumbrata promissa commendata fuerat (sic Theodoretus expl. itemque Chrysost. Theophyl. Oecum. quanquam inter sententias diversas fluctuantes). Posterius h. l. alienum esse a mente Apostoli nolim cum Winero propterea adfirmare, quod νόμος nunquam sic dicatur. Immo et νόμος simplic. adhibetur ubi de Christo rebusque Messianis in V. T. adumbratis sermo est *Jo. 12, 34. 15, 25.*, et formula νόμος καὶ προφῆται *Luc. 24, 44. Actt. 28, 23. Romm. 3, 21.*, docetque Paulus νόμον, doctrinam antiqui foederis, universe commendavisse πίστιν, quae hominem Deo probatum redderet, *Romm. 3, 31.* Argutior apparet neque sermonis nexui satis conveniens interpretatio, cuius mentionem fecerunt Chrysost. et Theophylactus: lex non amplius habet, quod imperet homini per ipsam legem mortuo (veluti occiso per legem Mos. quae, quum perfecte observari non posset, hominibus tamen contra eam peccantibus poenam θανάτου adferret, reconciliatione vera cum Deo haud monstrata). Quo consilio Paulus (qui etiam h. l. suo ipsius exemplo declarat quae de omnibus valebant Christo prorsus addictis) legi Mos. renuntiaverit, vbb. eloquitur ἵνα θεῷ ζήσω, *ut Deo viverem*, ut prorsus viverem ad normam voluntatis divinae, qualem Christus patefecit, neque ἔργα τοῦ νόμου amplius iactitans quibus Deo probatus fieri possim, nec Deum metuens more servili, sed, novis viribus ex πίστει Χριστοῦ collectis, animo prorsus emendando operam navans, virtuti deditus quae tota ex vero Dei amore proficiscatur. Similiter *Deo vivere* coniungitur cum νεκρὸν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ *Romm. 6, 11.* et *Christo vivere* opponitur τῷ ἑαυτῷ ζῆν *II. Corr. 5, 15.* Alibi καρποφορεῖν τῷ θεῷ *Romm. 7, 4.* Nec apud profanos formula ζῆν τινι desideratur, *Dionys. Halicarn. antt. Romm. 3, 17.* Amplius inculcatur Apost. huic sententiae: ἐγὼ ἀπέθανον τῷ νόμῳ v. 20. Χριστῷ συνεσταύρωμαι etc. Illa, inquit, sentiendi agendique ratio tota, quam olim tenui, tanquam Judaeus legi Mos. addictus de salute cogitans per legem impetranda, prorsus iam desiit, ex quo Jesum Christum cognovi, nostra causa in cruce mortuum, quo pignore sancto gratiae divinae homini

resipiscenti propitiae nos certiores redderet veniae peccatorum, abrogata illa quae putabatur victimarum ad Deum placandum necessitate, et indefesso virtutis studio sancte obstringeret homines sibi addictos. *Ephess. 2, 15. Coloss. 2, 14. Gal. 3, 13. Hebrr. 7, 26. sqq. 9, 7. sqq.* Haec sententia sermone conciso, qui vim et gravitatem habet, enuntiatur: *veluti mortuus sum* (legi Mos.) *cum Christo.* Cfr. *Romm. 6, 6.* ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη. 6, 4. συνετάφημεν αὐτῷ (*Col. 2, 12.*). Alibi 7, 4. ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Novam vero (pergit) inchoavi vitam: ζῶ δὲ etc. (ubi comma in ed. Griesb. post δὲ positum, perspicuitatem sententiae magis impediens quam adiuvans, cum plurimis intt. delevimus): *vivo autem non amplius ego, sed vivit in me, Christus.* Ecce animum Pauli Christo prorsus deditum, nihil amplius curantem, nisi ut, quaecunque sentiat velit faciat, ad Christi doctrinam vitamque componat, totamque illam quam expertus fuerat animi mutationem veramque salutem ei coniunctam Christo acceptam referentem: non amplius mihi meo arbitrio vivo (*II. Corr. 5, 15.*), sed Christum habeo vitae, quae mihi contigit, novae principium et finem! Similiter Christus dic. *esse* in iis qui habent πνεῦμα Χριστοῦ *Romm. 8, 9. 10.* (cfr. ipsius Servatoris effata *Jo. 15, 4. sqq. 17, 23.*). Quo iure dicere potuerit: vivo non amplius ego (etsi eadem viveret Pauli persona) ipse expl. ὃ δὲ νῦν ζῶ etc. ubi δέ non dixerim cum Flattio consecutionem indicare, sed explicationi rem magis definienti inservire (Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 377.*): *quod autem nunc vivo* i. e. vita qualem nunc habeo et ago (nulla apparet necessitas vel h. l. vel *Romm. 6, 10.* orationem hoc modo supplendi κατ' ὃ, δὲ νῦν ζῶ, quod verissime observ. Rückert ad h. l. comparans formulam ζωὴν ζῆν, βίον βιοῦν) *carne praeditus,* haec vita mea terrestris quae in oculos cadit (opposita vitae animi prorsus invisibili aeternae perfectae, quam Apost. antea vitam potius dicere maluerat quam Christus in ipso habeat, vd. de voc. σάρξ ad c. 1. v. 16. obs. *Philipp. 1, 22.*), *id vivo in fide habita filio Dei* (vd. ad v. 16.), haec vita quae mea dici possit tota versatur in fiducia laetissima in filio Dei,

Messia auctore futura ipsis libris V. T. adumbrata promissa commendata fuerat (sic Theodoretus expl. itemque Chrysost. Theophyl. Oecum. quanquam inter sententias diversas fluctuantes). Posterius h. l. alienum esse a mente Apostoli nolim cum Winero propterea adfirmare, quod νόμος nunquam sic dicatur. Immo et νόμος simplic. adhibetur ubi de Christo rebusque Messianis in V. T. adumbratis sermo est *Jo. 12, 34. 15, 25.*, et formula νόμος καὶ προφῆται *Luc. 24, 44. Actt. 28, 23. Romm. 3, 21.*, docetque Paulus νόμον, doctrinam antiqui foederis, universe commendavisse πίστιν, quae hominem Deo probatum redderet, *Romm. 3, 31.* Argutior apparet neque sermonis nexui satis conveniens interpretatio, cuius mentionem fecerunt Chrysost. et Theophylactus: lex non amplius habet, quod imperet homini per ipsam legem mortuo (veluti occiso per legem Mos. quae, quam perfecte observari non posset, hominibus tamen contra eam peccantibus poenam θανάτου adferret, reconciliatione vera cum Deo haud monstrata). Quo consilio Paulus (qui etiam h. l. suo ipsius exemplo declarat quae de omnibus valebant Christo prorsus addictis) legi Mos. renuntiaverit, vbb. eloquitur ἵνα θεῷ ζήσω, *ut Deo viverem*, ut prorsus viverem ad normam voluntatis divinae, qualem Christus patefecit, neque ἔργα τοῦ νόμου amplius iactitans quibus Deo probatus fieri possim, nec Deum metuens more servili, sed, novis viribus ex πίστει Χριστοῦ collectis, animo prorsus emendando operam navans, virtuti deditus quae tota ex vero Dei amore proficiscatur. Similiter *Deo vivere* coniungitur cum νεκρὸν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ *Romm. 6, 11.* et *Christo vivere* opponitur τῷ ἑαυτῷ ζῆν *II. Corr. 5, 15.* Alibi καρποφορεῖν τῷ θεῷ *Romm. 7, 4.* Nec apud profanos formula ζῆν τινι desideratur, *Dionys. Halicarn. antt. Romm. 3, 17.* Amplius immoratur Apost. huic sententiae: ἐγὼ ἀπέθανον τῷ νόμῳ v. 20. Χριστῷ συνεσταύρωμαι etc. Illa, inquit, sentiendi agendique ratio tota, quam olim tenui, tanquam Judaeus legi Mos. addictus de salute cogitans per legem impetranda, prorsus iam desiit, ex quo Jesum Christum cognovi, nostra causa in cruce mortuum, quo pignore sancto gratiae divinae homini

resipiscenti propitiae nos certiores redderet veniae peccatorum, abrogata illa quae putabatur victimarum ad Deum placandum necessitate, et indefesso virtutis studio sancte obstringeret homines sibi addictos. *Ephess. 2, 15. Coloss. 2, 14. Gal. 3, 13. Hebrr. 7, 26. sqq. 9, 7. sqq.* Haec sententia sermone conciso, qui vim et gravitatem habet, enuntiatur: *veluti mortuus sum* (legi Mos.) *cum Christo.* Cfr. *Romm. 6, 6.* ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη. 6, 4. συνετάφημεν αὐτῷ (*Col. 2, 12.*). Alibi 7, 4. ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Novam vero (pergit) inchoavi vitam: ζῶ δὲ etc. (ubi comma in ed. Griesb. post δὲ positum, perspicuitatem sententiae magis impediens quam adiuvans, cum plurimis intt. delevimus): *vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus.* Ecce animum Pauli Christo prorsus deditum, nihil amplius curantem, nisi ut, quaecunque sentiat velit faciat, ad Christi doctrinam vitamque componat, totamque illam quam expertus fuerat animi mutationem veramque salutem ei coniunctam Christo acceptam referentem: non amplius mihi meo arbitrio vivo (*II. Corr. 5, 15.*), sed Christum habeo vitae, quae mihi contigit, novae principium et finem! Similiter Christus dic. *esse* in iis qui habent πνεῦμα Χριστοῦ *Romm. 8, 9. 10.* (cfr. ipsius Servatoris effata *Jo. 15, 4. sqq. 17, 23.*). Quo iure dicere potuerit: vivo non amplius ego (etsi eadem viveret Pauli persona) ipse expl. ὃ δὲ νῦν ζῶ etc. ubi δὲ non dixerim cum Flattio consecutionem indicare, sed explicationi rem magis definienti inservire (Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 377.*): *quod autem nunc vivo* i. e. vita qualem nunc habeo et ago (nulla apparet necessitas vel h. l. vel *Romm. 6, 10.* orationem hoc modo supplendi καθ' ὃ, δὲ νῦν ζῶ, quod verissime observ. Rückert ad h. l. comparans formulam ζωὴν ζῆν, βίον βιοῦν) *carne praeditus*, haec vita mea terrestris quae in oculos cadit (opposita vitae animi prorsus invisibili aeternae perfectae, quam Apost. antea vitam potius dicere malluerat quam Christus in ipso habeat, vd. de voc. σάρξ ad c. 1. v. 16. obs. *Philipp. 1, 22.*), *id vivo in fide habita filio Dei* (vd. ad v. 16.), haec vita quae *mea* dici possit tota versatur in fiducia laetissima in filio Dei,

collocata. Qui prorsus sunt rei cuidam addicti et dediti, vivere in ea dicuntur, *Cic. ad divv. 9, 26. Ael. V. H. 3, 13.* Veluti limitibus circumscribit Apostolus quod antea dixerat: vivit in me Christus, modeste innuendo, vitam quidem praesentem (ἐν σαρκὶ) *non prorsus* exprimere ideam hominis, in quo Christus vivat, attamen ad conditionem perfectiorem olim futuram eniti cum fiducia pia. Cfr. quae Rückert de hoc vs. egregie observ. [Lectio τοῦ θεοῦ καὶ Χριστοῦ, quanquam in codd. *Vatic. Clarem.* a manu prima *Aug. Boerner* et vers. *It.* exprimitur, suspicionem tamen movet correctionis mature adscriptae margini codd. qua sermonem Pauli propterea supplendum existimaverant, quod Apost. paulo ante v. 19. 20. utriusque, et Dei et Christi, mentionem fecerat.] Qua de causa non possit nisi *Christo* consecrare vitam totam et visibilem et invisibilem, docent quae de filio Dei praedicantur: τοῦ ἀγαπήσαντος etc. *qui me amavit meaque causa morti se tradidit*, i. e. si sensum spectaveris: qui etiam mea causa, amore mei ductus, subiit mortem. Quod supra C. I. v. 4. legimus τοῦ δόντος ἑαυτὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, h. l. verbo composito παραδιδόναι (suppl. εἰς θάνατον) enuntiatur, *Romm. 4, 25. 8, 32. I. Corr. 11, 23.* et praepos. ὑπὲρ (vd. ad *I. Thess. 5, 10.* obs.). Tantum igitur abfuit, ut Paulus ab adversariis propter suam de lege Mos. per Christum abrogata doctrinam impietatis recte accusaretur, ut impugnanda legis cerim. ad salutem consequendam necessitate ostenderet, quanta pietate atque modestia gratiam Dei summam per Christum patefactam veneraretur. V. 21. Οὐκ ἀθετῶ etc. Sententia primaria haud mutatur, sive ἀθετῶ (de cuius usu ad *I. Thessall. 4, 8.* vid.) verteris: *minime contemno gratiam divinam*, quae mihi per Christum eiusmodi viam salutis munivit qualem ἔργα τοῦ νόμου munire nunquam potuerunt, immo maximi eam aestumo et colo (plus cogitatur quam dicitur, cfr. Borger ad h. l.), sive: *nolo vanam* s. *irritam habere et reddere gratiam Dei*, s. beneficium gratiae divinae. Utrumque faciunt (revera peccantes v. 18.) qui iterum docent, ex observatione legis cerim. veram pendere salutem. Sequitur enim, Jesum Christum qui doctrina vita morte

sua legi cerim. aliud substitueret praesidium, quo homines Deo probati redderentur, temere esse mortuum; εἰ γὰρ διὰ etc. *nam si per legem conditionem impetrare licet hominis, quem Deus sibi probatum reddidit* (quo sensu δικαιοσύνη Romm. *1, 17. 3, 21. sq. 10, 3. II. Corr. 5, 21. Philipp. 3, 9.* usurpatur, cfr. ad v. 16. de vb. δικαιοῦν obs.), *sequitur, Christum sine causa idonea mortem subiisse.* Δωρεὰν proprie valet de eo, qui vel dat aliquid s. omnino facit, quod alteri gratum est et iucundum, vel accipit, etsi nulla appareat hoc largiendi faciendi accipiendi causa, quae ad remunerationem spectet, *II. Thess. 3, 8. LXX. Job. 1, 9. Plato republ.* l. 5. c. 14. p. 232. ed. Ast. al. Cfr. Tittmanni *liber I. de synonymis in N. T. p. 161.* H. l. sensu dic. latiori: causa idonea, cur morereturr (si δικαιοσύνη per legem impetrari posset), non praegressa. *Sirac. 20, 23.* Minus accurate vertitur: frustra, sine effectu. Oecumenius recte: εἴ γε σώζει ὁ νόμος, περιττὸς ὁ θάνατος τοῦ κυρίου.

Caput III.

Exorrando sermone, quo olim Petrum aliosque notaverat, qui Antiochiae Judaeo-Christianis severioribus nimis indulsissent, transierat Apostolus ab illa, quam C. I. tractare coeperat, auctoritatis suae apostolicae defensione ad veritatem doctrinae suae de lege Mosaica per Christum sublata neque iterum Christianis infungenda demonstrandam. Ac primum quidem, sermone qui reprehensionem iustam adfectu paterno plenam eloquitur ad Galatas converso, argumentum profert ipsis maxime in promtu positum, siquidem eos perpendere iubet, beneficia praestantissima Spiritus divini non lege Mosaica observanda sed fide Christo habenda iis contigisse. De his, quae iam seqq. V. 1—20. praeter commentarios totius epist. cfr. Tischeri *scholia in locum Gal. 3, 1—20. Viteb. 1802. 4.*

V. 1—5. Ὦ ἀνόητοι Γαλάται, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανεν, οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος; (v. 2.) Τοῦτο μόνον θέλω μα-

ϑεῖν ἀφ' ὑμῶν, ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; (v. 3.) *Οὕτως ἀνόητοί ἐστε; ἐναρξάμενοι πνεύματι νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε;* (v. 4.) *Τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ; εἴγε καὶ εἰκῇ.* (v. 5.) *Ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν ὑμῖν τὸ πνεῦμα καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν, ἐξ ἔργων νόμου ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως;*

V. 1. *Ἀνοήτους*, *dementes*, parum recte intelligentes et iudicantes (*Luc. 24, 25. ad Titum 3, 3. Xenoph. memor. II, 1, 31. al.*) appellat Galatas, qui temere aures praebeant doctoribus vanis, necessitatem legis cerim. hominibus Christo addictis persuadentibus. De nativa quadam gentis Galatarum vecordia (cfr. Hieron. ad h. l.) parum probabiliter cogitasse existimatur Apostolus. Vb. rarius *βασκαίνειν*, semel in N. F. obvium, satis probabiliter ab antiquo vb. *βάσκειν* derivatum, cui et universa loquendi et angustior garriendi itemque temere reprehendendi et calumniandi potestas competit (vd. Schneider *griechisch-deutsches Wörterbuch ed. III. Vol. I. p. 258.*), diversimode ponitur, *a)* de *calumniante*, *Aelian. V. H. 2, 13. b)* de eo qui vel *incantationem* usurpat, vel eiusmodi *laudationem simulatam* invidiam spirantem, sive adspectum malevolum, cui superstitio veterum vim tribuebat aliis nocendi, quod latine *fascinare* dicebatur, *Ael. hist. anim. I, 35. Theocr. idyll. 6, 39.*, unde etiam de *invidia* ipsa dicebatur (adiuncta, opinor, cogitatione studii nocendi, bono aliquem privandi, quod facile ex invidia sequitur) *Herodian. II, 4, 11.* Irmisch ad *Herodian. T. I. p. 897.* Pierson ad *Moeridem Attic. p. 470, c)* de eo qui *decipit* aliquem s. in errorem abducit, *Diod. Sic. 4, 6.* Nostrum *ἐβάσκανεν* de *invidia* studio nocendi coniuncta Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. interpretati sunt, Apostolum respicere existimantes ad statum praestantiorem, in quo Galatae fuerint, quamdiu libertate evangelica recte uterentur: *quis tandem* (veluti daemon malus) *invidit conditioni vestrae fortunatae?* Attamen, ut taceam *βασκαίνειν* hoc sensu plerumque dativo coniungi cfr. Lobeck ad *Phrynichum p. 462.* (exemplum quidem accusativi *Sirac. 14, 6.*), et praedicatum antec. *ἀνόητοι* et quae seqq. *οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς* suadent, ut verbo *βασκαί-*

τινι h. l. eiusmodi significatio tribuatur, quae magis inserviat *temeritati* Galatarum hac in re conspicuae fortiter exprimendae. Malim igitur vel cum Borgero vertere: *quis tandem vos decepit* (seduxit a veritate Christiana?) vel cum Baumgartenio Flattio Winero aliisque: *quis tandem vos* (veluti) *fascinavit* s. *excantavit?* vel utrumque cum Koppio coniungere: *quis tandem vos veluti praestigiis seduxit?* Egregie lectum est vb. *βασκαινειν*, apprime conveniens iis quae Paulus in eadem epistola C. IV. v. 14. sqq. de studio dixit laudabili, quo Galatae olim Apostolum eiusque praeconium evangelii exceperant. Innuit quippe tales, quales Galatae olim fuerint, nunquam potuisse a veritate deflectere, nisi eiusmodi prodirent homines vani, qui singularem vim in animos exererent, veluti magicis artibus alios decipientes. Cfr. C. I. v. 6. 7. Quae in nonnullis codd. et apud patres quosdam leg. forma aoristi I. bene graeca *ἐβάσκηνα* ex studio corrigendi profecta esse videtur. Post *ἐβάσκανε* vulgo add. *τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι: ita ut verae evangelii doctrinae non* (amplius) *obsequerentur?* Hoc enim sensu usurpatur *πείθεσθαί τινι*, v. c. *Actt. 5, 36. sq. 23, 21. Roman. 2, 8.* itemque apud profanos *Xenoph. memorr. I, 2, 11. Cyrop. IV, 3, 2. al.* Quanquam contendere nolim effata deesse, quibus *πειθ. τινι* significet: fidem alicui habere (*Actt. 28, 24. Plat. Gorgias s. 69. p. 223.* in. ed. Findeisen), prior tamen interpretatio haud dubie praeferenda, siquidem Galatae illi reprehendi omnino non potuerunt propter fidem doctrinae de Christo vero hominum Servatore denegatam, sed ea de causa, quod huic doctrinae probatae re ipsa et facto parum constanter obsequuti fuerant, quum persuaderi sibi paterentur legis Mosaicae observationem professioni Christi Servatoris coniungendam. Sed vbb. explicata in codd. *Alex. Vatic. Clarom.* (a manu prima) *Aug. Boerner.* in verss. *Peschito Arab.* (ed. Erpen.) *Sahid. It. Vulg.* (in codd.) et apud *Hieronymum* (in codd. Adamantii haec defuisse testantem) aliosque patres multos omissa prorsus spuria esse, translata huc ex C. V. v. 7. (quum librarii post *ἐβάσκανε* aliquid desiderassent), recte viderunt Beza Bengel Mill-Griesbach Berger Winer. Quo iure di-

xerit, veluti fascinatos sibi apparere Galatas illos, qui doctoribus vanis obsequerentur, amplius declarat Apost. verbis quae pronomine relativo ad vocem *Γαλάται* referendo adnectuntur: *οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς* etc. *Προγράφεσθαι* dic. apud profanos Graecine auctores, quod *palam scribitur, promulgatur scribendo*, v. c. edictum s. decretum damnatorium in tabula propositum. Cfr. *Plutarch. vita Camilli c. 11. Dio Cass. hist. rom. 53, 24. 61, 21. 42, 12.* ed. Reim. *Aristoph. ares v. 449. Abresch lectt. Aristaenett. in Add. p. 341.* [Quam plures intt. h. l. tenuerunt notionem *depingendi* coloribus vivis verbo compos. *προφράφειν* competere, cum Flattio dubium certe dixerim, neque iis effatis quae vulgo hanc in rem laudantur comprobatum, quanquam *γράφειν* de pingentibus adhibetur]. Eodem sensu *promulgandi*, adiuncta quidem notione cognata *designandi* in *ep. Judae* v. 4. leg. ubi homines *πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τὸ κρίμα* tropice dicc. quorum nomina velut in tabula publica poenam certam iis annuntiante dudum scripta sunt, i. q. divinitus poenae designati. Cetera duo N. F. effata, ubi *προγραφ.* occurrit, *Romm. 15, 4. Ephh. 3, 3.* ita se habent, ut facile pateat, praepositionem *πρὸ* in utroque effato minime loco signif. inservire (ante, coram) sed tempori (dic. aliquid *prius, antea* scriptum fuisse). Nec defuerunt intt. qui eandem significationem cum Grotio ad locum nostrum transferrent: *eos, quibus antea descriptus* (olim institutione mea recte nuntiatus) *est Christus.* Hieron. de effatis cogitat prophetarum V. T. quae Galatis dudum monstraverint Messiam mortem subiturum. Eadem est Hermanni in comm. l. de ep. ad Gal. interpretatio: quibus ante oculos praedictio fuit Christi in crucem sublati (p. 8. sq.). Obstat quod vbb. *ἐν ὑμῖν*, hac ratione probata, minus commode intelliguntur, nec *totum* hoc genus dicendi *οἷς κατ' ὀφθ. προεγράφη* etc. aliis locis, ubi Apost. de oraculis V. T. ad Christum spectantibus loquitur, satis videtur consentaneum. Nam *Romm. 15, 4.* de effatis V. T. quae Christianis edocendis inserviant *simpliciter* dicitur *προεγράφη*. Gravior evadit sententia, et consilio Pauli maxime accommodata, et verbis *κατ' ὀφθαλμοὺς (ante oculos)* coram, perspicuitate summa

et evidentia, *Aristid.* T. I. p. 469., frequentius πρὸ ὀφθαλμῶν), si potestatem vb. supra illustratam hoc modo teneamus, Koppio et Flattio adsentientes: vos, *quibus veluti in tabula publica coram descriptus est Jesus Christus*. De vbb. ἐν ὑμῖν quae vulgo adduntur recte intelligendis magnopere dissentitur. Quo minus praecuntibus Koppio et Naebio (in vers. lat.) hoc sensu cum ἐσταυρωμένος coniungantur: qui *vestra causa* s. *propter vos* cruci est adfixus, usus loquendi impedit. Quod alii praeferunt: tanquam si *inter vos* cruci adfixus fuisset (Chrysost. Theophyl. Theodor. Calvinus Wolf Morus Berger Flatt) necessitatem infert voculae ὡς supplendae, quam h. l. omitti vix potuisse Wineri comment. verissime docet [alius quippe generis sunt exempla illius breviloquentiae, quae *comparationem* s. metaphoram profert sine vocula ὡς, *J. Petri* 2, 4. cfr.: Lamb. Bos *ellipses gr. ed.* Schaefer p. 781. sq.]. Praestat ἐν ὑμῖν una cum οἷς propius referre ad vb. προεγράφη, delato post προεγρ. commate. Nolim tamen οἷς ἐν ὑμῖν cum nonnullis ex hebraismo immo interpretari אֲשֶׁר בָּכֶם (*Jos.* 13, 21. *al.*). Parum commode enim sic dicebatur: vos, in *quorum animis ob oculos* positus est Christus etc. Immo quod verba priora *figurate* enuntiaverant: οἷς — προεγράφη, *explicantur* deinde ac *definitur sermone proprio* ἐν ὑμῖν: *in animis quippe vestris*, quo ostendatur institutionem intelligi apostolicam (cfr. supra C. I. v. 6. sqq.) qua Galatae de Jesu Christo, salutis auctore, eiusque mortis consilio et efficientia, et planissime et auctoritate Dei (principis summi qui veluti tabula publica, promulgatum edictum) fuerint edocti. Institutio *publica ore* facta comparari poterat promulgationi scribendo in tabula factae, neque est quod cum Rettigio: *exegetische Analecten: theolog. Studien und Krit. v. Ullmann und Umbreit 1830. 3. Jahrg. 1. B. p. 96. sqq.* ex vb. προγράφειν colligamus, non posse h. l. nisi de vaticiniis Messianis in V. T. scriptis cogitari. Ingenue tamen profiteor, etiamnum dubium me haesitare, an vbb. ἐν ὑμῖν quae in codd. pluribus (praesertim *Alex. Vatic. Ephr.* rescr.) in versn. *Peschito Arab.* (ed. Erpen.) *Sahid. Aethiop. Armen.* in codd. vers. *Vulg.* et apud *Cyril-*

lum desiderantur, textui recte vindicentur. Speciem quippe prae se ferunt interpretamenti propter vbb. κατ' ὀφθαλμοὺς προεγρ. margini codd. mature adscripti. Delerem, si plura antiquitatis testimonia omissioni addicerent, neque comici posset, versionum vett. auctores illud ἐν ὑμῖν propter antec. οἷς non separatim vertendo exprimendum censuisse. De vb. postremo ἐσταυρωμένος verissime Winerus in fine positum est, ut quod maximam sententiae vim continet. Jam interrogando instat Apost. Galatis, eosque veluti cogit profiteri, saluberrimam quam experti fuerint (quum sacra Christi. amplecterentur) animi mutationem non oriundam fuisse ex observatione legis Mos. sed ex fide Christo habita v. 2. Τοῦτο μόνον etc.: *hoc solum* (ut alia nunc taceam) *a vobis discere velim* (id unum nunc libere profitemini, tanquam hac de re me edocturi), ἐξ ἔργων νόμου etc. Quo sensu Galatae h. l. τὸ πνεῦμα accepisse dicantur, series docet orationis atque consilium Apostoli. Provocat quippe ad eiusmodi argumentum experientiae internae, quod Galatis Christo addictis *omnibus* in promtu sit positum. Quodsi ea tantum animi dona intelligebat a Spiritu profecta, quae vulgo dicc. extraordinaria, non omnibus singulis concessa, facultatem miracula patrandi, donum γλώσσαις loquendi, prophetiam *I. Corr. 12, 4. sqq. I. Thess. 5, 19.* (quae fuit sententia Chrysostomi Theophyl. Hieron.), non poterat ex Galatis *omnibus* quaerere: ἐξ ἔργων νόμου etc. De praestantissimis animi beneficiis professioni veras evangelii coniunctis (cognitione meliori, voluntate emendata, tranquillitate, quae tribui solet πνεύματι ἁγίῳ *II. Corr. 1, 22. Gal. 4, 6. I. Thess. 1, 5. 6. al.*) universe potissimum cogitavit Apostolus. Unde v. 3. huic πνεύματι opponitur σάρξ. Nolim vero negare, insuper etiam cogitasse Apost. de illis Spiritus div. donis extraordinariis. Cfr. v. 5. (καὶ ἐνεργῶν δυνάμεις etc.). Ἔργος νόμου (cfr. C. I. v. 16.) opponitur ἀκοὴ πίστεως i. q. *auditio doctrinae de fide* s. *doctrinae fidem Christo habendam commendantis et postulantis*, eiusmodi quidem auditio, quae animum totum ad rem auditam convertit, ita ut transeat in cognitionem veram et persuasionem, quo sensu ἀκοὴ *Hebrr. 5, 11.* et ἀκούειν

Matth. 13, 16. sq. Plerique interprr. h. l. ἀκοὴ sensu *obiectivo* de *doctrina* accipiunt, vel cum Koppio et Borgero illud ἀκοὴ πίστεως *periphrasin* meram τῆς πίστεως habentes, cui nulla adhaereat emphasis, vel *institutionem* s. *doctrinam de fide* intelligentes (cfr. Winer ad h. l.). Negari quippe non potest, ἀκοὴν subinde dici rem ipsam auditam orationem institutionem, *Jo. 12, 38. Romn. 10, 16.* ubi hebr. שְׁמוּעָה sic vertitur ex *LXX. Jes. 53, 1.* quod plenius effertur λόγος ἀκοῆς *I. Thess. 2, 13. Hebrr. 4, 2.* Nec profanis haec voc. potestas incognita, vd. *Plat. Phaedrus c. 45. p. 239. a. 139. p. 839.* ed. Heindorf. Attamen, quum ἔργων in membro oppos. ἐξ ἔργων νόμου notionem exprimat *subiectivam* ad homines ipsos νόμῳ addictos pertinentem, stadet, opinor, parallelismus membrorum ut pariter ἀκοὴ de eo intelligatur, quod fuerit in hominibus πνεῦμα accipientibus (de *auditione*), πίστις vero, νόμῳ opposita, de doctrina fidem commendante, *Act. 6, 7. Ephess. 4, 5. I. Tim. 3, 9.* Quae quidem signif. obiectiva illi subiectivae (fidei s. persuasionis certae et vivae quam aliquis mente tenet) tam arctis vinculis cohaerebat, ut sermo Apost. facile posset ab una ad alteram transire. Commendatur insuper nostra voc. ἀκοὴ interpretatio loco ep. ad *Romn. 10, 17.* ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς· ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ. Partim differt, si sensum spectaveris, ab ὑπακοὴ πίστεως *Romn. 1, 5.* (obsequio quod praestatur fide habenda doctrinae). Quaestioni propositae lectores Christiani, si verum profiteri volebant, non poterant nisi ita respondere, ut concederent, beneficia Spiritus divini ipsis propterea contigisse, quod animum totum converterent ad doctrinam, quae fidem Christo habendam commendaret, praesertim quum multi Galatarum, quo tempore ad Christum conversi illud πνεῦμα acciperent, ne essent quidem ex genere circumcisorum. Inde porro sequebatur, eos, qui iterum velint legi subesse cerimoniali, nihil nisi hoc agere ut redeant in conditionem deteriorem. Haec sententia iterum interrogatione enuntiatur quae animum graviter pungat v. 3. Οὕτως ἀνόητοι etc. Quum Apostolus participio usus ἐναρξάμενοι haud dubie ad initium conditionis Galatarum Christianae (vbb. v. 2. ἐλάβετε πνεῦμα aperte in-

dicatum) respexerit, totius argumentationis series utique postulat, ut πνεῦμα h. l. non aliter intelligatur quam v. 2. de beneficiis summis, quae hominibus Christo vere addictis per Spiritum div. contigerint. Id quod omnino sensisse videntur qui πνεῦμα de disciplina Christiana, perfectiori quippe, interpretati sunt, ut *Romm. 7, 6.* (cfrr. Baumgarten et Winer ad h. l.). Sequitur, oppositum σάρξ h. l. universe indicare res minus praestantes externas, quae ad carnem s. omnino ad hominem externum pertineant eumque adficiant (qualis est circumcisio), cfr. *Gal. 6, 12. 13. Romm. 4, 1. II. Corr. 11, 18.* Quod alii interprr. πνεῦμα de ipsa Galatarum conditione perfectiori ex illis Spiritus div. beneficiis oriunda *(Romm. 8, 1. 4. 9. Philipp. 1, 27.)* ideoque voc. σάρξ de conditione deteriori, de eiusmodi sentiendi et agendi ratione, imperfecta et manca, quae naturae hominis inferiori accommodata est *(Romm. 7, 5. 18. 25. Gal. 5, 13. 6, 8.)* explicare maluerunt, parum omnino differt ab illa interpretatione, duntaxat sententiam spectaveris primariam. Attamen prior commati 3. accuratius consentit. Ad rem ipsam illustrandam cfr. C. IV. v. 9. 10. Partic. ἐναρξάμενοι absolute ponitur, ita ut (cum Wahlio in *Clavi N. T.* Vol. I. p. 538. ed. II.) ex universa orationis serie cogitando addatur: τοῦ εἶναι ἐν Χριστῷ. Vb. quippe ἐνάρχεσθαι: *incipere*, inchoare, non iungitur dativo sed genitivo rei, cuius initium fecisse aliquis dicitur (v. c. ἐνάρχ. λόγου *Plutarch. vita Cicer. c. 34.)* interdum accusativo *Philipp. 1, 6.*, apud profanos maxime in formula sacrificali ἐναρχ τὰ καινᾶ *Eurip. Iphig. in Aul. v. 1471. al.* Medium ἐπιτελεῖσθαι h. l. *vel* eodem sensu quo act. ἐπιτελεῖν (sequente accus. rei, v. c. *II. Corr. 8, 6. 11. Hebrr. 8, 5. Plat. republ. l. 7. c. 15. p. 334.* ed. Ast.) adhibetur: *ad finem perducere* consummare perficere, ut pariter atque illud ἐναρξάμενοι absolute sit positum, vel sensu intransitivo (vd. Bretschneideri *Lexicon Vol. I. p. 478. ed. II.)* l. q. *finem sibi imponere desinere* (sq. dativo: in aliqua re). Prius concinnius respondet τῷ ἐνάρχεσθαι. Forsitan alludit Apost. ad cursum in stadio strenue peragendum, cui persuasio et vita qualis esse debet hominis Christo vere coniuncti comparatur.

Vb. quippe ἐπιτελεῖν lubenter de ludis publicis et certaminibus usurpatur, *Herodian. 8, 8, 5. 3, 8, 17. 18. 4, 2, 7. Dionys. Halicarn. τέχνη ῥητορ.* C. 1. §. 7. Vd. Wolf *curae* ad h. l. Sententia: *Adeone dementes estis? Quum inchoaveritis* (vestram cum Christo coniunctionem s. veluti curriculum vestrum) *ab illis Spiritus div. beneficiis, nunc consummatis* (vitam vestram Christ. s. cursum vestrum) *studio rerum externarum* Judaismi? Sequebatur inde, nihil iis, si hoc facerent, profuisse (cfr. *Gal. 5, 2.*) quod olim illorum beneficiorum πνεύματος participes redderentur v. 4. Τοσαῦτα etc. Quum vb. πάσχειν pr. re quadam externa adfici non tantum de iis dicatur qui *mala* et adversa patiuntur (vel addito κακὸν s. κακῶς aut simili voce, vel simpliciter *Xenoph. memorabb. II, 1, 18. Hesiodi* ἔργα καὶ ἡμέραι v. 220. *Actt. 17, 3. Hebrr. 2, 18. al.*), sed etiam de iis qui *rem laetam* faustam experiuntur, v. c. beneficia accipiunt (*Herod. 2, 37. Arrian. dissert. Epictt. 2, 1. Joseph. antt. Judd. III, 15, 1.* aliisque locis, ubi ex vocibus adiunctis patet, intelligi aliter non posse), verba per se spectata interpretationem admittunt duplicem. *Alteram* seqq. Peschito Chrysost. Oecumen. Ambros. inter recentiores Grotius Semler Michaelis Morus Rückert alii: *an frustra* (εἰκῇ i. q. sine effectu ad salutem vestram aeternam pertinente, *I. Corr. 15, 2. Gal. 4, 11.*) *tanta subiistis mala?* Cogitare Paulum existimant de vexationibus, quibus Judaei haud raro adfligebant Christianos in Asia minori versantes, *Actt. 13, 45. sqq. 14, 2—5. 19.* Eiusmodi mala propter doctrinam Christi constanter tolerata docebant Apostoli hominem praecipue dignum reddere felicitate regni divini, *Philipp. 1, 29. II. Tim. 2, 12. al.* Quodsi Galatae illi, Judaismo indulgentes, non amplius sequebantur persuasionem veram de salute per Christum solum impetranda, recte omnino dici poterant ipsa illa constantiae specimina, quae olim ediderant malis propter Christum tolerandis, frustra edidisse. [Mira appareret Bolteni coniectura de dolore corporis cogitantis, quem circumcisio adferat, *Genes. 34, 25.*] *Alteram* commendant Kypke (obss. sacrr. ad h. l.) Koppe Borger Flatt Winer alii: *tantane beneficia* (πνεύματος) *frustra accepistis?*

Posteriorem maxime commendat, quod v. 2. 3. 5. de beneficiis divinitus acceptis sermo est, quorum magnitudini exprimendae voc. τοσαῦτα optime inservit. Comminationem haud pauci intt. (cfrr. Baumgarten Borger Flatt Matthies) inesse volunt sequentibus εἴ γε καὶ εἰκῇ supplentes μόνον: dummodo frustra tantum haec beneficia acceperitis, nec adeo cum detrimento (poenam incurrentes divinam)! Quanquam sententia nihil habet, in quo offendas, vocula tamen καὶ, hac ratione probata, parum commode posita. Observatio Rückerti τῷ καὶ h. l. eam vim tribuentis, ut eandem rem quam formula εἴ γε per se spectata tanquam certam pronuntiare videatur dubiam reddat, exemplis probantibus destituitur. [Alio sensu dicitur εἴ γε καὶ *II. Corr. 5, 3.*: siquidem, *quamvis* deposuerimus etc.] Quod Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Ambr. Calvinus (alii) praeferunt: si vere frustra haec vobis contigerunt, quod Deus avertat! (etiamnum resipiscere potestis). aptius conveniret vocula εἴπερ. Malumus cum Fritzschio (*dissert. I. de nonnullis posterioris P. ad Corr. ep. locis Lips. 1823. p. 54. sq.*) verbum ἐπάθετε ex antecedd. duplici modo subintelligere ad εἴ γε et εἰκῇ, tanquam si plena fuisset oratio Apostoli, animos lectorum ad illud εἰκῇ maxime convertere cupientis: (*ita sane est*) *siquidem vere accepistis beneficia summa, eadem* (tamen) *frustra*, si legis Mos. necessitatem iterum urgeatis (quod breviter sic effertur: siquidem adeo frustra accepistis). Quum Paulus v. 3. Galatas perpendere iussisset, quam ineptum et impium foret, relicto statu praestantiori redire ad deteriorem, *iterum* adnectebat interrogationem, qua Christianos supra v. 2. excitaverat, ut profiterentur se olim transiisse in statum perfectiorem per fidem Christo habitam, renuntiantes legi Mosaicae, v. 5. Ὁ οὖν ἐπιχορηγῶν etc. Verbi de re scenica veterum usurpati χορηγεῖν (pr. chorum ducere) potestatem apud atticos scriptores maxime sollennem constat hanc fuisse: *chorum instruere* s. *adornare*, et deligendis ac per artificem (χοροδιδάσκαλον) erudiendis hominibus, qui apte in scenam producerentur, et sumtibus praebendis ad chorum vestibus coronis aliisque rebus ornandum necessariis, vd. *Xenoph. memorabb. III, 4, 3.* Wolf *prolegg.*

ad Demosth. orat. adv. Leptinen (cum scholiis et comment. ed. Halis Sax. 1789.) p. LXXXIX. sqq. Unde latius patebat de iis, qui omnino suppeditant quae ad rem quandam perficiendam pertinent, *Ael. V. H. 4, 19. Polyb. XXII, 26, 2. II. Corr. 9, 10. I. Petri 4, 11.* Eandemque simplicem liberaliter suppeditandis. praebendi potestatem (neglecta haud raro significatione praepositionis ἐπὶ: praeterea, insuper) vb. compositum obtinet ἐπιχορηγεῖν, *Dionys. Halicarn. ad Cn. Pompeium epist. ed. Reisk. T. VI. p. 750. Schol. ad Aristoph. nubes v. 311. II. Corr. 9, 10. II. Petri 1, 11.* De vb. ἐνεργεῖν vd. ad *I. Thess. 2, 13.* obs. Pluralis δυνάμεις sollennis est scriptoribus sacris de factis insignibus, miraculis, *Matth. 13, 54. II. Corr. 12, 12. al.* (גְּבוּרוֹת *Deuter. 3, 24. Ps. 106, 2.*) quanquam etiam de ipsis viribus eiusmodi facta edendi leg. *Matth. 14, 2. Marc. 6, 14.* Quodsi priori significatu acceperis, ἐν ὑμῖν recte vertitur: qui *inter vos* efficit miracula, sin posteriori (cum Borgero): qui *in vobis* efficit sive efficacem reddit facultatem facta edendi insignia. Utrumque bene se habet, siquidem Paulus eidem πνεύματι (auctori cum beneficiorum omnium quae Christianis contingunt, tum huius doni τῶν δυνάμεων, quod separatim commemoratur propter eos qui eiusmodi documentis τοῦ πνεύματος *externis* permultum tribuebant) et facultatem σημείων et singula huius facultatis effecta tribuere recte potuit, cfr. *I. Corr. 12, 10.* Ceterum nolim cum Flattio praesens ἐπιχορ. pro *praeterito* positum habere. Sermo est de *perpetua* Dei spiritum suppeditantis efficacitate, etiamnum in iis maxime Galatarum conspicua qui verae doctrinae maneant addicti: *Num, qui* (et universe) *spiritum vobis suppeditat et facultatem facta edendi insignia in vobis efficacem reddit* (suppl. *haec vobis contingere iubet*) *ex operibus legi Mos. accommodatis, an ex auditione doctrinae fidem* (Christo hab.) *postulantis?*

Adnectitur alterum argumentum, Abraami proavi illustris gentis Judaicae (propter pietatem magnopere celebrati in litteris sacris) exemplum, qui teste scriptura sacra propter fidem habitam Deo fuerit probatus et promissa divina de salute posterorum acceperit. Quo exemplo laudando probatur,

conditionem hominis Deo probati minime ex factis pendere legi cerimon. accommodatis (siquidem conditio illa contigerat Abraamo, priusquam instituta et rite sancita fuerat circumcisio, *Romm. 4, 10.*) neque nisi eos recte haberi posteros Abraami, qui *πίστιν* eius imitentur.

V. 6—9. *Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσεν τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.* (v. 7.) *Γινώσκετε ἄρα, ὅτι οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Ἀβραάμ.* (v. 8.) *Προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφή, ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ θεός, προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ· ὅτι ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη.* (v. 9.) *Ὥστε οἱ ἐκ πίστεως εὐλογοῦνται σὺν τῷ πιστῷ Ἀβραάμ.*

V. 6. Quum Apost. v. 5. contendisset, Galatas, si verum profiteri vellent, beneficia praestantissima in ipsos sacra Christiana amplectentes collata accepta referre fidei Christo (sive, quod idem est, Deo gratiam suam Christo interprete patefacienti) habitae, ad argumentum novum satis commode hoc modo transire poterat: id quod etiam Abraamo olim contigit, quum propter fidem Deo habitam gratiae div. particeps redderetur. Admodum breviter haec enuntiantur, loco ipso V. T. qui fiduciam Abraami commendat statim adferendo: *καθώς* etc.: *quemadmodum Abr. Deo fidem habuit* etc. Nihil est quod nos iubeat vel semicolon cum **Koppio** ponere post *Ἀβραάμ*, vel voci *καθὼς* addere *γέγραπται*, quod nonnulli codd. et verss. *Vulg.* et *Arm.* interpretandi causa adiiciunt. Ex versione Alexandr. et h. l. et *Romm. 4, 3. Jac. 2, 23.* laudatur effatum *Genes. 15, 6.* וְהֶאֱמִן בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה: *iam fidem habuit Jehovae* (qui V. 1—5. Abraamo grandaevo de prole futura iam desperanti filium ex ipso nasciturum et posteritatem amplissimam promiserat), *id quod ipsi* (Jehova) *tanquam pietatem imputavit*, pro documento habuit eius probitatis, sive ex versione **LXX.** *liberiori* (nisi hi interpretes aliam lectionem sequuti fuisse existimentur): *hoc ei imputatum est* etc. Verbi deponentis *λογίζεσθαι* a significatione putandi s. aestumandi ad potestatem *imputandi* (referendi in rationes) translati et forma media sensu activo usurpata et passiva frequens in N. F. Dicitur autem

λογίζεσθαί τί τινι sequente vel accusativo simplici (*Ael. hist. anim. 3, 11.*) vel εἰς τι (*Liban. Opp. T. IV. p. 63.* ed. Reisk. *LXX. Ps. 106, 31. I. Maccabb. 2, 52. Romm. 4, 5. 9.*) qui alteri quod fecit ita imputat (vel laudi vel opprobrio ducit) ut pro aliquo habeatur et talis praedicetur, sive conditionis cuiusdam et sortis vel prosperae vel malae particeps fiat. Cfr. Flatt *Vorles. über den Brief an die Römer p. 94. sq.* Δικαιοσύνη vere, si de sensu verborum loci Genes. quaesiveris, haud dubie *probitatem* s. *pietatem* indicat (qualem Abr. utique probavit, quum crederet promissis divinis), quo sensu cum profanis usurpatur, tum scriptoribus N. F. *Matth. 5, 20. 6, 1. Romm. 6, 13. al.* (hebr. צְדָקָה s. צֶדֶק *Ps. 15, 2. Jes. 33, 15.* cfr. *LXX.*). Ex verbis quidem ipsis loci laud. totaque orationis serie colligi non potest, quod nonnulli intt. scriptorem hebr. dicere voluisse existimant: Abr. propter hoc unum recte factum a Deo tractatus est tanquam plane insons et probus, ratione nulla habita *imperfectae* eius virtutis. Attamen Paulus pro consilio suae argumentationis (cfr. C. II. v. 15. sqq. *Romm. 4, 2. sqq.*) eandem tenuit potestatem vocab. δικαιοσύνη, quam supra ad C. II. v. 16 et 21. illustravimus: conditio hominis quem Deus sibi probatum declaravit. Formula ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσ. non prorsus idem signif. quod ἐδικαιώθη. Etenim, si Deus simpliciter aliquem dicitur δικαιοῦν, praesertim τὸν πιστεύοντα, haec phrasis utrumque involvere potest, et: *reddere* sibi probatum (quum, qui Deo moderante ad veram πίστιν animum adplicuerit, hac ipsa animi adfectione vere probetur Deo, vd. ad C. II. v. 16. obs.), et: *declarare* talem atque *tractare*. Hoc vero: *imputatur* aliquid εἰς δικαιοσ. nonnisi *posterius* exprimit, divinitus aliquem declarari s. haberi Deo probatum, siquidem ea ipa res quae imputata dicitur εἰς δικαιοσ. iam continet aliquam hominis adfectionem internam vel actionem quae eum reddiderit Deo probatum. Quod rem ipsam attinet, facile quidem patet, eam quae Galatis commendetur πίστιν Christianam, ratione *obiecti* πίστεως habita, quodammodo differre ab illa Abraami fiducia laudata. Attamen utraque πίστις ad *eandem* profecto pertinet *adfectionem* ani-

mi fidem habentis gratiae divinae aliquid promittenti. Accedebat, opinor, quod promissa illa Abraamo data, ex Pauli certe aliorumque persuasione, eam *inuebant* salutem, quae per unum ex posteris Abr. *(Messiam)* gentibus terrae exoritura esset. His de Abr. dictis sententia adnectitur prorsus opposita opinioni vanae Judaeorum, qui favorem divinum regnique Messiani consortium veluti *iure quodam* tanquam posteri (*υἱοὶ*) Abraami postulare sibi viderentur, alieni quidem a pietate proavi, immo in sola cum Abraamo cognatione externa et circumcisione corporis ab illo ad posteros translata acquiescentes. V. 7. *Γινώσκετε ἄρα* etc. Qui rei cuidam arcte coniuncti sunt, ad eam toti pertinent (v. c. aliquam animi adfectionem s. virtutem habent), haud raro dicc. *εἶναι ἐκ τινος*, *Romm. 2, 8. 3, 26. al.* Vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 358.* Sic h. l. *οἱ ἐκ πίστεως* maiori cum gravitate sermonis ponitur quam *οἱ πιστεύοντες* h. s. qui toti sequuntur fidem promissis, gratiae divinae habitam, nec alia quaerunt salutis praesidia. *Scitote igitur* (sic enim *γινώσκετε* malim cum plerisque vertere quam indicative accipere, quum eiusmodi *cohortatio* ad sententiam propositam bene perpendendam consilio huius orationis optime conveniat), *eos qui pendeant ab fide, hos* (cum ephasi dic. *οὗτοι*, *Jac. ep. 1, 25. al.* non ceteros qui tantummodo sensu vulgari appellantur *υἱοὶ Ἀβρ.*) *vere esse filios Abraami.* Tantum abesse docet, ut, qui circumcisionem totiusque legis cerimon. observationem non amplius habeant praesidium salutis verae impetrandae, alieni reddantur a cognatione Abraami (cui Judaei plurimum tribuebant, *Matth. 3, 9. Jo. 8, 33. Romm. 11, 1.*), ut iis tantum, qui per solam fidem Christo habitam Deo probari velint, vera competat dignitas posterorum Abraami, ratione nulla habita cognationis externae, quippe qui eandem referant animi indolem, fiduciam piam. *Filius* quippe dic. sensu emphatico, qui animi indole moribusque alicui coniunctus est, ad exemplum eius sese componit, v. c. *Jo. 8, 39.* ubi Jesus in Judaeos cognatione cum Abraamo externa superbientes his vbb. invehitur: *εἰ τέκνα τοῦ Ἀβρ. ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβρ. ἐποιεῖτε ἄν*, et v. 44. *ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ*

etc. Ad sententiam Pauli illustrandam plurimum insuper valent effata simillima *Romm. 4, 11. sq. 9, 7. sq.* Adhibetur hac in re locus V. T. v. 8. *Προιδοῦσα δὲ* etc. In promtu est, *δὲ* h. l. vim habere copulativam argumentationi continuandae inservientem, totiusque sermonis insignem esse brevitatem eamque audaciorem. Siquidem non tantum *τὸ προειδέναι* (rem futuram praevidere, *Actt. 2, 31. Herodian. 7, 1, 21.)*, quod de *auctore* valebat qui effatum divinum litteris consignavit, *scripturae* ipsi tribuitur (more quidem loquendi haud incognito, *Marc. 15, 28. Romm. 9, 17. Gal. 3, 22.)*, sed etiam quod promissum *Deus* minime per litteram scriptam sed alio revelationis modo Abraamo l. l. dedisse legitur (*προευηγγελίσατο*), *scriptura* dicitur ei promisisse, sive potius ille *scripturae auctor* qui effata divina chartae mandaverat. Proprie dicendum: *auctor illius scripturae sacrae* (vates divinus) *qui praevidit, Deum gentes* natalibus suis non pertinentes ad posteritatem Abraami *propter fidem habitam sibi probatas declaraturum esse* (de re illo quidem tempore quo vaticinium laud. edebatur futura, sed certa voluntate divina immutabili decreta praesens adhibetur *δικαιοῖ*), *litteris consignavit promissa quae Deus olim dederat Abraamo: fausta per te contingent omnibus gentibus.* Nolim cum Wahlio (cfr. *Clavis N. T. ed. II. Vol. II. p. 380.)* et Naebio latino interprete praepositionem verbi *προευηγγ.* (in N. F. semel obvii, apud Philonem usurpati vd. Loesner *obss. ad h. l.)* ita urgere, ut Apostolus hoc docuisse existimetur, promissa illa contigisse Abraamo, *priusquam natus esset Isaacus*, ex cuius vita eventus penderet promissionis de felicitate gentibus per Abr. futura. Etenim, Abraamum credidisse verbis divinis iam supra docuerat Paulus v. 6. ratione illius temporis habita, quo Abr. ne Ismaelem quidem habebat filium ex Hagare natum. Nostro commate hoc tantum agit, ut comprobet testante ipsa scriptura sacra eos omnes, qui *πίστιν* Abraami imitentur, veros esse posteros Abraami, qui Deo per *πίστιν* reddantur probati. Neque promissum divinum hoc vs. laudatum eo tantum tempore, quo Sara nondum pepererat, sed etiam posthac *(Genes. 22, 18.)*

contigit Abraamo. Vbb. quippe: ὅτι ἐνευλογηθήσονται etc. (ubi ὅτι verbis quae recitantur indicandis inservit, *I. Jo. 4, 20. Romm. 8, 36. al.*) ad plura respiciunt *Geneseos* effata: *XII, 3.* (Deus loquitur): וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחוֹת דֲּאֲדָמָה *LXX.* καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, *XVIII, 18.:* וְנִבְרְכוּ־בוֹ כֹּל גּוֹיֵי דָאָרֶץ *LXX.* καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν αὐτῷ (Ἀβραὰμ) πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς, *XXII, 18.:* וְהִתְבָּרֲכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי דָאָרֶץ *LXX.* καὶ ἐνευλογηθ. ἐν τῷ σπερματί σου πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς. Cfr. insuper XXVI, 4. XXVIII, 14. Quanquam haec minime continent apertam Messiae olim prodituri descriptionem, recte tamen mihi videor adfirmare, eos interpretes, qui vbb. ἐνευλογηθ. πάντα τὰ ἔθνη s. φυλαὶ τῆς γῆς ad *sola* referant bona et commoda *externa* gentibus terrae per Abr. eiusque posteritatem futura, vim huius form. nimis angustis coercere limitibus. Effata quippe *Genes. 17, 1. 2. 18, 18. 19. 22, 18. 26, 5.* inter se comparata utique docent, eiusmodi salutem populorum externam intelligi, quae coniunctissima sit *religioni* verae eique tanquam fundamento firmissimo innitatur. Cfr. Seiler *die Weissagung und ihre Erfüllung aus der heil. Schrift dargestellt, Erlangen, 1794. p. 13. sqq.* Hengstenberg *Christologie des A. T. 1. Th. 1. Abtheil. Berlin, 1829. p. 53. sqq.* Sic veluti *adumbrata* fuerat locis laudd. felicitas vera per unum ex posteris Abr. (Christum) populis terrae exoritura. Ceterum in oratione Petrina *Actt. 3, 25.* simili modo eadem promissio divina ex locis *Genes.* pluribus conflata exhibetur, memoriter potius quam verbotenus ad textum vel hebr. vel *LXX.* composita. Vb. εὐλογεῖν a notione fausta optandi precandi in sermone sacro, ubi de Deo aut Christo sermo est, etiam ad signif. beneficiis ornandi felicem reddendi transfertur ex usu hebr. בָּרַךְ, *Actt. 3, 26. Ephh. 1, 3. LXX. Genes. 28, 3. Deuter. 15, 14. al.* Praepositio vb. compositi ἐνευλογεῖν quum deinde sequatur ἐν σοι plane abundat. Haec abundantia fecisse videtur, ut lectio ἐνευλογηθήσονται, quam Griesbach. Matthaei Knapp auctoritate codd. praestantiorum et patrum quorundam receperunt, satis mature a librariis corrigeretur, unde scrip-

tura vulg. *εὐλογηθ.* existeret, praesertim quum idem vb. simplex versu proxime seq. deprehendissent. Quae vim sententiae praecipue continent vbb. *ἐν σοὶ* plures quidem intt. (Calvinus Carpzov Michaelis Semler Rosenmüller) verterunt: *tecum* h. s. gentibus omnibus *eodem modo*, quo tibi, et *sub eadem conditione* (*πίστεως*) fausta contingent, parum favente usu loquendi. Etsi enim usus hebr. ב et graeci *ἐν* interdum propius ad hanc signif. accedat, ubi quis venisse, profectus esse, fecisse aliquid dicitur *instructus aliqua re* (*Judd. 11, 34. I. Sam. 1, 24. LXX. Hebrr. 9, 25.*) sive his illisve *comitibus* (*Exod. 10, 9.* ubi *LXX.* vert. *σὺν*), alius tamen generis est quaestio, an voc. *ἐν simpliciter* in quavis orationis serie pro *σὺν* poni potuerit. Alia loca ad hanc rem plane non pertinent. Vbb. quippe *Deuteron. 10, 22.* בְּשִׁבְעִים נָפֶשׁ etc. (*LXX. ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς* etc.) plane ut *Actt. 7, 14.* sic vertenda: patres tui descenderunt in Aegyptum ita ut constarent septuaginta hominibus (70 hominum numero). *Genes. 48, 20.* בְּךָ יְבָרֵךְ יִשְׂרָאֵל, *LXX. ἐν ὑμῖν εὐλογηθήσεται Ἰσραήλ*, hoc sensu dic.: te appellando Israel aliis bene precabitur. Cfr. Flatt ad ep. nostram et Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 334.* Seduxit interpretes ut vbb. *ἐν σοὶ* verterent: tecum, quod Apostolus ipse v. 9. dixit: *εὐλογ. σὺν τῷ πιστῷ Ἀβρ.*, siquidem ex arbitrio magis quam vere ponebant, hanc Pauli conclusionem ex verbis scripturae s. (v. 8.) *sic* intellectis derivari. Sententiam haud dubie recte perceperunt, Oecumenio praeeunte, Rambach Morus Borger Flatt alii vert. *per te* i. e. *per tuam posteritatem*, s. per te tanquam huius posteritatis proavum (non: per imitationem *πίστεως* tuae, quae fuit Theophylacti et Cyrilli apud Oecum. interpretatio, verbis *ἐν σοὶ* minus apta). Cfr. *Genes. 22, 18. 28, 14.* Apostolus ipse v. 16. hoc sensu *ἐν σοὶ* accipi voluit, illamque Abr. posteritatem de uno potissimum (Christo) interpretatus est. Proinde nexum argumentationis Paulinae hunc esse iudicamus: ex iis quae modo dicta sunt (v. 6.) intelligatis necesse est, *eos omnes*, qui Abraami instar fiduciam ponant in gratia divina, *sed hos tantum*, Abraami veros esse posteros. His igitur omnibus, non aliis con-

tingit, quod ex fiducia pia Deo volente sequitur, ut Deo probati reddantur atque declarentur. Testatur hoc sacra scriptura. Nisi enim res hoc modo se haberet, non potuisset Deus promittere Abraamo, fore ut homines omnium gentium (*πάντα τὰ ἔθνη*) per eius posteritatem felices redderentur. Ad *unam* gentem, stirpem ex Abr. ducentem, referri debuisset promissio. Jam vero, quum precatio fausta (felicitas Abraamo promissa) per eum (eiusque prolem) ad homines omnium gentium transitura dicatur velut hereditas (v. 29.), ex ipsa patet scriptura sacra, hos omnes, quatenus *πίστιν* Abraami imitentur (eius indolem referant), Abraami posteros (*υἱοὺς*) heredes esse habendos, *eademque via, quam Abr. ingressus fuerit, perventuros ad conditionem hominum Deo probatorum.* Posterius separatim exprimitur v. 9. *ὥστε* etc. *Itaque* iis *qui ab fide pendent* (iisque omnibus, sive Iudaei sint, seu Pagani) *fausta contingunt una cum Abraamo fidente*, gravius dicitur (ut scite obs. Matthies ad h. l.) *σὺν τῷ πιστῷ Ἀβρ.* quam *ὡς ὁ πιστὸς Ἀβρ. uno quippe eodemque actu divino et illis et Abraamo fausta dicuntur contigisse*, ratione habita eiusdem fiduciae v. 6. Similiter et *μετὰ* (עִם) de iis qui aliis coniuncti sunt ratione vivendi et sorte quam experiuntur, *LXX. Cohel. 2, 16. Ps. 106, 6.* et *σὺν* in vbb. compos. *συναποθνήσκειν, συμπάσχειν, συμβασιλεύειν. Πιστὸς* eod. sensu: qui fidem habet, *Actt. 10, 45. Jo. 20, 27.* Verissime intellexit Rückert, quamvis *εὐλογία* differat a *δικαιοσύνη* (effectu *τῆς εὐλογ.*), h. l. tamen Apostolum *propter effata scripturae usurpata* pro *δικαιοῦν* adhibuisse *τὸ εὐλογεῖν.*

Nec alia esse potest ratio (sic pergit Apost. argumentari) impetrandae conditionis hominum Deo probatorum. Lex enim, cuius observatione Judaei confidunt, nonnisi poenae divinae obnoxios reddit homines.

V. 10. 11. 12. *Ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν, ὑπὸ κατάραν εἰσίν· γέγραπται γάρ, ὅτι ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσιν τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτά.* (v. 11.) *Ὅτι δὲ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ θεῷ δῆλον, ὅτι ὁ*

δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· (v. 12.) ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ζήσεται ἐν αὐτοῖς.

V. 10. *Quicunque enim ex factis pendent legi Mos. accommodatis* (observanda lege sibi videntur favorem div. veluti iure impetraturi, opponuntur τοῖς ἐκ πίστεως v. 7. 9.) *execrationi sunt obnoxii.* Κατάρα, maledictio execratio (*Plutarch. Timol. c. 5. ep. Jac. 3, 10.*) h. l. τῇ εὐλογίᾳ ita opponitur, ut *poenam* indicet *divinam, II. Petri 2, 14.* ex usu hebr. מְאֵרָה *Malach. 2, 2.* s. קְלָלָה *Ps. 119, 17. sq. Deuter. 30, 1. 19. 11, 26. LXX.* Εἶναι ὑπὸ κατάραν eiusdem generis est formula, cuius illa ὑπὸ νόμον εἶναι *Romm. 6, 14.* s. ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι *Romm. 3, 9.* Poenam potius lege constitutam quam salutem iis exspectandam docet Apost. qui toti confidant operibus lege mandatis, nec aliud quaerant salutis praesidium in gratia positum divina, propterea quod legis edicto omnes condemnentur, qui non exacte praestiterint omnia lege praescripta, cfr. *Romm. 4, 15. 10, 5.* [Ponitur, neminem esse, qui legi exacte satisfaciat, *Romm. 3, 9—24.*] Hanc esse argumentationis Paulinae sententiam, docent seqq. γέγραπται γάρ etc. Laudatur *Deuteron. 27, 26.* ita ut sententia satis fide exprimatur, etsi, quod elocutionem attinet, nonnulla et ab hebraicis et a vers. *LXX.* deflectant. Vocula ὅτι, pariter atque v. 8. verbis recitandis praemissam, cum Griesbachio et Lachmanno restituimus textui Paulino, auctoritate et codd. insigniorum et verss. *Armen. Italaeque.* Omissionem corrigendi studio recte, opinor, tribuit Borger in *animadverss. critt.* ad h. l. quum illa citandi formula γέγρ. γὰρ *plerumque* sine voc. ὅτι reperiatur. Ἐπικατάρατος (אָרוּר) i. q. cui κατάρα est imposita, poena gravissima adficiendus, exsecrabilis, *Jo. 7, 49. II. Maccabb. 12, 35.* Pott *exc. I. ad epistt. cathol. Vol. II. p. 276.* De formula bene graeca, constantiam summam obsequii declarante, ἐμμένειν ἐν νόμῳ: *perseverare in lege* cfr. *Liban. T. IV.* ed. Reisk. p. 271. *Epict. enchir. c. 22. c. 50. Xenoph. hist. gr. l. 2. c. 4. ex.* Simil. ἐμμένειν τῇ πίστει de constantia persuasionis Christ. *Actt. 14, 22.* Hebraica

אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה הַזֹּאת (ubi nonnulli codd. a *Kennicottio* et *de Rossio* collati ante דִּבְרֵי adiiciunt כָּל) quae *LXX.* vertt. *ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου*, Apostolus paulo copiosius exprimit *ἐν πᾶσιν τοῖς γεγραμμένοις* etc. *Βιβλίον* de quovis libro s. volumine sive maius sit seu minus usurpatum *(Luc. 4, 17. 20. Jo. 20, 30. Herodian. IV, 1, 1. VII, 8, 5.)* simil. de tabulis legis dic. Hebrr. 9, 19.: *Scriptum enim legitur: execrationi est obnoxius, quicunque non steterit omnibus in legis volumine consignatis:* Explicando *τῷ ἐμμένειν* inserviunt vbb. postrema *τοῦ ποιῆσαι αὐτά: ita ut iis satisfaciat*, universam legem exprimat factis. Respondent hebrr. לַעֲשׂוֹת אוֹתָם, quanquam verissimum est, genitivum articuli *τοῦ* infinitivo praefixum (cum aliis N. F. scriptoribus tum Paulo familiarem) *bene* graecum esse, plerumque consilio indicando inservientem, *Marc. 4, 3. Romn. 6, 6. Philipp. 3, 10.* Valckenar. ad *Eurip. Hippol. v. 48.* interdum vero etiam, ut h. l. de *eventu* positum *(ita ut)*, vel *explicationi* eorum quae ante dicta fuerant praemissum, *Actt. 3, 12. 7, 19. Romm. 7, 3. al.* Cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 268. sqq.* De nexu huius commatis cum v. 11. *Ὅτι δὲ* etc. sic iudicamus. Quemadmodum Paulus v. 10. sententiam primariam: *δικαιοῦσθαι* nemo potest per legem, inde probaverat, quod lege Mosaica, quicunque non singula quaevis praecepta exacte observaverit, poenae divinae obnoxius declaretur (mentione nulla remissionis poenae sub aliqua conditione impetrandae iniecta), ita iam haec argumentatio absolvitur laudando V. T. effato prophetico, quod vitam beatam (*ζωήν*) prorsus ex *πίστει* pendere docuerit, neque, quod in Pentateucho legebatur, ex observatione legis Mos. perfecta derivaverit: *Neminem vero per legem* ab illa execratione (*κατάρᾳ*) absolvi ac *Deo probatum reddi*, re vera obnoxium poenae manere, quicunque in observatione legis praesidium salutis constitui voluerit, *ex eo patet, quod* (suppl. prouti scriptum legitur, *γέγραπται γάρ*, quae vbb. in codd. *Claremont. Sangerman. Aug. Boerner.* et verss. *Peschito Arab. Erp. It.* addita haud dubie interpretamento debentur et recte omittuntur auctoritate cetero-

rum librorum, quum haud allenum fuerit a more scribendi Paulino, ut loca V. T. absque eiusmodi formula laudarentur, *Romn. 9, 7. 10, 13.*) *probus per fidem vivet.* Maluerunt alii (cfrr. Homberg in *parergis p. 281.* et Flatt ad h. l.) voculae ὅτι *priori* quidem loco potestatem tribuere *causae* indicandae ex v. 10. derivatae, ut *posterius* ὅτι vim habeat *declarandi* id, quod inde sequatur: itaque, quum per legem nemo probatus reddatur Deo, manifestum est, quod ibi dicitur etc. Etsi haud negaverim, ὅτι ab initio enuntiationis utique hoc sensu scribi potuisse *(Jo. 15, 19.)*, ipsa tamen, opinor, argumentatio, hoc modo intellecta, manca apparet. Etenim, quod nemo per legem Deo probatus redditur, nondum comprobat, hoc fieri per πίστιν. Colligi etiam sic possit: itaque nemo unquam Deo probabitur. Sed haec conclusio statim removetur ac tollitur, si cum Calvino Baumgartenio Michaeli Borgero Winero Matthiesio aliisque *prius* ὅτι sensu acceperis *declarandi* rem ipsam probandam, cuius argumentum deinde proferatur vbb. δῆλον ὅτι etc. eo, quem supra indicavimus, sententiarum nexu. Vbb. quippe δῆλον ὅτι etc. hoc modo intellecta *simul* aperte profitentur, omnino hoc positum esse in voluntate et consiliis Dei, ut hominibus praesidium contingat δικαιοσύνην θεοῦ vitamque beatam ei adnexam impetrandi. Δικαιοῦσθαι ἐν νόμῳ (per legem) h. l. non prorsus idem, quod δικ. ἐξ ἔργων νόμου 2, 16. Negat Apost. legi poenam comminanti iis, qui non exacte praeceptis satisfecerint omnibus, aliquid inesse, quo homini spes contingat liberationis ab illa κατάρᾳ futurae, cfr. *Actt. 13, 39.* Παρὰ τῷ θεῷ i. q. iudice Deo, cfr. ad *II. Thess. 1, 6.* Similiter δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ *Romn. 2, 13.* δικαιοῦσθαι ἐνώπιον θεοῦ *Romn. 3, 20.* Recte Theophyl. ad h. l. παρὰ γὰρ τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι ἴσως δοκοῦσιν οἱ τοῦ νόμου ἐχόμενοι, οἷοι οἱ φαρισαῖοι etc. Effatum quod argumento inserviat profertur ex *Habac. 2, 4.* secundum vers. Alexandr. nisi quod *LXX.* post ὁ voculam δέ (quam etiam Paulus habet *Romn. 1, 17.* ubi idem effatum laud.) itemque post πίστεως genitivum μου inserunt. Apud prophetam oraculum exhibetur divinum de supplicio futuro

Chaldaeorum, qui tetram gentemque Judaicam vehementer adfixerant. Cui oraculo praefatio brevis praemittitur de eventu certissimo. Hebraica: הִנֵּה עֻפְלָה לֹא־יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה: ecce, tumidus (fastu inani elatus, Chaldaeus hostis), minime modestus illi est animus; sed *probus in veritate* (qui sincere probus est, Judaeus) *vivet*, salvus erit. Hanc esse veram loci diversimode intellecti interpretationem argumentis idoneis doc. Rosenmüller: *prophetae minores adnotatione perp. illustr. Vol. III. Lips. 1814. p. 391. sqq.* LXX. illud בֶּאֱמוּנָתוֹ vertt. ἐκ πίστεώς μου, tanquam si scriptum foret: בֶּאֱמוּנָתִי, fiduciam in Deo ponendam intelligentes, atque hoc (secundum eam accentuum dispositionem, quae deflectit a lectione plerorumque codd.) propius coniungentes verbo יִחְיֶה: probus vivet per fiduciam in me positam. Apostolus lectionem sequitur breviorem in textu Vaticano versionis LXX. expressam: ἐκ πίστεως, sub δικαίῳ intelligens τὸν δικαιωθέντα παρὰ τῷ θεῷ. Utrum vero coniungi voluerit (quod Bengel Baumgarten Semler Morus ad h. l. itemque Storr: *Pauli Brief an die Hebraeer erläutert etc. p. 676.* Knapp in *scriptis varii argumenti ed. II. p. 547.* aliique defendunt) vbb. δίκαιος ἐκ πίστεως: *feliciter vivet is, cui conditio hominis Deo probati per fidem contigit*, an vbb. ἐκ πίστεως ζήσεται (quod inter vett. Hieronymus inter recentt. Borger Winer alii praeferunt): *homo probus*, quem Deus sibi probatum reddidit et declaravit, *feliciter vivet per fidem*, dissentiunt. Posterius recte defenditur. Patet enim, versionem alexandrinam, quam Paulus h. l. ante oculos habuerit, eandem tenuisse verbb. coniunctionem. Accedit, quod Apostolo, si priorem sententiam exprimere voluisset, scribendum fuerat: ὁ ἐκ πίστεως δικ. ζήσεται. Salus aeterna iis, qui conditionem hominum Deo probatorum impetraverunt, parata ab fide pendet promissis divinis habita, testante scriptura sacra. *Jam vero πίστις, tanquam praesidium δικαιοσύνης impetrandae spectata, nihil pertinet ad legem, siquidem lex vitam beatam soli adnectit praeceptorum omnium observationi.* Hac ratione continuatur argumentatio v. 12. ὁ δὲ νόμος etc. atque sic efficitur, quod Apost. v. 11. con-

tenderat, *οὐδένα δικαιοῦσθαι ἐν νόμῳ*. Ex iis, quae supra ad v. 7. de phrasi *εἶναι ἐκ τινος* observata sunt, facile intelligimus, *νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως*: lex minime ex fide nexa est, hoc sensu dici: *legis per se spectatae nulla est cum πίστει coniunctio*, in natura et indole legis minime hoc est positum, ut homini legi addicto spem faciat aliquid per fidem impetrandi. [Minus accurate nonnulli: lex non versatur in iis rebus, in quibus versatur *πίστις*, aut: lex minime est res s. obiectum fidei.] De praeceptis tantum sermo est in lege, iisque strenue observandis salus adnectitur. Hoc docetur effato *Levit. 18, 5.* (repetito *Nehem. 9, 29. Ezech. 20, 21.*) *ἀλλ'* (suppl. *γέγραπται*) *ὁ ποιήσας* etc. Depromta sunt vbb. ex oratione Dei exactam praeceptorum legis observationem severe iniungentis: אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֹתָם וְחַי בָּהֶם *LXX. ἃ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, quicunque his praeceptis satisfecerit, per ea* (iis tenendis) *salvus erit.* Eadem laudd. eodem consilio *Romm. 10, 5.* Etsi hoc *ζήσεται* ex sensu illius scriptoris ad beneficia *externa* potissimum pertineat, Apostolus tamen ad notionem vitae sublimiorem (Christianam) transferre recte potuit. Etenim, si illa quam scriptor V. T. intellexit felicitas nemini contingit, nisi legis praecepta omni ex parte observaverit, multo potius salus aeterna obsequio perfecto legi praestando adnectatur necesse est, nisi omnino aliud suppetat praesidium salutis consequendae. Cfr. Flatt ad h. l. Quod vulgo post *ποιήσας αὐτὰ* in textu Paulino additur *ἄνθρωπος*, spurium iudicamus auctoritate codd. insigniorum, verss. *Syrr. Arab.* (ed. *Erpen.*) *Copt. Aethiop. Armen. Vulg. It.* patrumque multorum, cum Bengelio Millio Griesbachio Winero. Illatum vel ex vers. Alex. vel ex loco parall. *Romm. 10, 5.*

Docetur porro, quod per legem Mos. effici non potuerit, effectum esse per Christum pro hominibus mortuum, ita ut omnibus fiduciam in eo ponentibus fausta illa contingant olim Abraamo fidenti eiusque posteritati verae promissa. De tota sectione seq. v. 13—20. praeter commentarios huius epist. cfr. commentatio inserta promtuario: *neues Archiv für Prediger* (von Bail), *Liegnitz, 1806. 1. B. 1. St.*

V. 13. 14. *Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα· ὅτι γέγραπται· ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου·* (v. 14.) *ἵνα εἰς τὰ ἔθνη ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ γένηται ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως.*

V. 13. ***Christus nos ab exsecratione legis (v. 10.) redemit.*** Copula δέ quae h. l. post Χριστὸς exspectabatur (siquidem haec iis opponuntur quae v. 10. legg. ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων etc.) omittitur, ut *Coloss. 3, 4.* vd. Rückert ad h. l. Quum redemtio rei hominisve (v. c. captivi), quae pretio fit solvendo, eam vim habeat, ut ex potestate eius qui adhuc rem hominemve tenuerit liberetur, verbum de hoc actu sollenne ἐξαγοράζειν (ut alibi λυτροῦν) et h. l. et *Gal. 4, 5.* ad beneficium transfertur, quo Christus morte pro nobis subeunda homines legi Mosaicae (poenam tantum severam iis qui legem transgressi fuerint minitanti nec homines Deo reconcilianti) subiectos ab hoc imperio liberavit. Frequentius hac de re vb. simplex ἀγοράζειν *I. Corr. 7, 23. II. Petri 2, 1. al.* Modus liberationis his vbb. describitur γενόμενος etc. ubi in promtu est, abstractum κατάρα pro concreto poni κατάρατος (quemadmodum ἁμαρτίαν pro ἁμαρτωλὸν, *II. Corr. 5, 21.*), non, quo *plus* dicatur, sed, quo acutior exprimatur antithesis eidem voci inhaerens: liberavit nos ex κατάρᾳ, quam ipse subiit. Christus innocens (*II. Corr. l. l.*) sponte quidem (*Jo. 10, 18.*), Deo patri plane consentiens (*Jo. 10, 30. al.*), poenae quam peccata hominum promeruerant obnoxius factus esse dicitur, s. Deo volente mala sustinuisse quae tanquam poenae peccatorum humanorum spectarentur. Sed de vocc. ὑπὲρ ἡμῶν quaeritur, utrum rectius cum plerisque interpretum antiquiorum, Koppio quoque Flattio Rückerto, vertantur: *loco nostro*, an: *nostra causa* (quod utrumque indoles huius praeposit. admittit, cfr. ad *I. Thess. 5, 10.* obs.). Negari omnino non potest, notionem *mortis* quam Christus subierit *vicariae* h. l. facile adduci et ipso verbo ἐξαγοράζειν, quum pretium quo solvendo aliquis redimatur veluti in locum succedat hominis liberandi, et serie totius effati, siquidem ho-

mines de quibus liberandis sermo est τῇ κατάρᾳ legis obnoxii fuisse dicuntur propter peccata, Christus vero (qui peccati expers non potuit factis suis κατάρατος fieri) ὑπὲρ ἀνθρώπων ipse factus κατάρα. Attamen quod loco *simillimo* exstat *II. Corr. 5, 21.*: Deus Christum τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν ἁμαρτίαν omnes, opinor, concedunt, ad amussim exigi non posse, tanquam si Christus iudice Deo *vere* ἁμαρτωλὸς fuerit loco hominum, sed hoc sensu dici: *Deo volente Christus insons tanquam peccator ab hominibus est tractatus* (malis subeundis, quibus homines peccatores digni fuerant), ita ut ὑπὲρ l. l. pariter verti possit: loco nostro, si usum dicendi rariorem tenere voluerit., atque ex signif. usitata: nostra causa, pro salute nostra, id quod deinde amplius explicetur vbb. ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα δικαιοσύνη etc. Sic etiam *nostro* loco salva manet orationis series, si voculae ὑπὲρ cum Moro aliisque potestatem vindicaveris usitatam: Chr. nos liberavit ab illa miseria lege indicta, s. conditionem hominum Deo probatorum nobis paravit, eo quod ipse (morte in cruce toleranda) conditionem subiit qualis est hominis propter peccata puniti, *salutis nostrae reparandae causa* (id quod uberius explic. vbb. v. 14. ἵνα εἰς τὰ ἔθνη etc.). Hoc certum est, beneficium δικαιοσύνης per Christum nobis paratae *proxime* (immediate) non derivari ex ipsa Servatoris morte cruenta per se spectata, sed ex πίστει, cum doctrina atque vita, *tum morte* Jesu Christi, veniae peccatorum nos certiores reddente, in animis nostris effecta, v. 14. διὰ τῆς πίστεως, cfr. *Romm. 3, 25.* Sententia de morte, quam Chr. subierit, modo enuntiata illustratur loco V. T. ὅτι γέγραπται etc. Sic edidimus cum Lachmanno auctoritate codd. praestantiorum, versionum *Vulg.* et *It.* patrumque Irenaei Hieron. Ambr. Hilar. August. pro vulg. γέγραπται γάρ, quod facile potuit in textum irrepere, quum oculi librariorum ad locum similem v. 10. aberrassent γέγρ. γάρ (ὅτι) ἐπικατάρατος etc. Laudatur *Deuteron. 21, 23.* Praecesserat hoc mandatum: si quispiam peccatum commiserit morte luendum et supplicio traditus fuerit eumque suspenderis in patibulo (s. ex alia interpret. in arbore), non pernoctet cadaver

eius in patibulo, sed eodem die illud sepelias (causa deinde additur: ne terra Jehovae consecrata profanetur; terra quippe praecipue profanari putabatur, si corpora suspensorum per unam noctem insepulta manerent, cfr. *Josuae 8, 29. 10, 27.*). Usus loquendi minus addicit iis interprr. qui verba v. 22. de suspendio hominis vivi intelligere malunt: si quis peccatum commiserit morte luendum, ad mortem infligendam suspendas eum etc. (cfr. Corn. Boot *observv. ad Deuter. 21, 22. sq. et Gal. 3, 13. in bibl. Hagan. hist. – philol. – theologica.* Cl. I. fascic. I. Amstelod. ed. Lugd. Bat. 1768.). Immo de corpore peccatoris alio supplicio (lapidatione v. 21.) interfecti sermo est, *post mortem* palam suspendendo. Vd. Theod. Dassovii *commentat. suspendium hominis lapidibus obruti ad illustr. locum Deuter. 21, 22. et Gal. 3, 13. Vitteb. ed. II. 1736. 4.* Deinde v. 23. haec adduntur: כִּי־קִלְלַת אֱלֹהִים תָּלוּי *nam suspensus Deus exsecratur*, LXX. ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Ex tota serie loci laud. patet, non simpliciter quemvis ex ligno pendentem ideo quod pendeat eiici maleficium, sed qui pendeat propter malefacta. Apostolus haec memoriter laudat, posito ἐπικατάρατος (vd. v. 10.) pro κεκατηραμένος omissisque vbb. ὑπὸ θεοῦ. Nec locus Deuteron. ad Christum eiusque fata pertinet (quam ne de cruce quidem agatur), nec Paulus eodem sensu Christum cruci adfixum ἐπικατάρατον dicere potuit, quo malefici l. l. appellantur Deo maledicti. Similitudinem tenet Apost. in eo posita, quod et crucis supplicium illo tempore turpissimum habebatur, et quod olim apud Hebraeos lege praescriptum erat homicis lapidatione interfecti suspendium eam vim habebat, ut maleficio interfecto nota contumeliae gravissima inureretur, omnesque intelligerent, talem esse Deo invisum et omnibus abominandum. Illustretur verbis ex lege depromtis sententia, Christum nostra causa eiusmodi subiisse conditionem, qua haberetur poena divina adflictus, contumelia publica notatus. Jam vero Apost. illud ὑπὲρ ἡμῶν uberius explicat, docens, liberationem, quam Christus κατάρα γενόμενος hominibus legi Mos. damnationem adferenti obnoxiis praestiterit, Ethnicis quoque ad Christum conversis maxime salutarem exstitisse. Quamquam

enim Pagani non fuerant legi Mos. obligati, aliquam tamen habebant legem divinam mentibus inscriptam, unde factum ut etiam his peccata imputarentur atque miseria esset metuenda, nisi praesidium suppeteret gratiae divinae per πίστιν impetrandae, *Romm. 2, 12 — 16. 3, 9. sqq.* Quodsi hanc sententiarum seriem animo Pauli incunte v. 14. obversatam esse concesseris, non est quod Ethnico-Christianos una cum Judaeo-Christianis v. 13. pronominibus ἡμᾶς et ἡμῶν comprehendi existimemus. Commemoratio quippe τοῦ νόμου *legis Mosaicae* (quo sensu angustiori νόμον h. l. dici vbb. ostendunt ὅτι γέγραπται etc.) efflagitat, ut v. 13. de solis Judaeo-Christt. ex κατάρᾳ huius νόμου liberatis intelligatur. Ad ceteros vero omnes transit oratio v. 14. Ἵνα εἰς τὰ ἔθνη etc. *ut fausta Abraamo nuntiata* (sic ἐπαγγελίαι τῶν πατέρων: promissa patribus data *Romm. 15, 8.*) *gentibus contingerent per Christum Jesum.* Vbb. γένηται εἰς τὰ ἔθνη duplicem admittunt interpretationem. Etenim, si ipsam promissionem (v. 8.) sub εὐλογίᾳ intellexeris (quemadmodum *Hebrr. 12, 17. Jac. 3, 10.* de precatione fausta usurpatur), vb. γίνεσθαι h. l. eam obtinet potestatem qua dicitur γενήσεται ὁ λόγος *I. Corr. 15, 54.* sive θέλημα γίνεσθαι *Matth. 6, 10. al.* i. q. *perfici* s. *vim suam vere exserere*, ita ut praepos. εἰς seqq. τὰ ἔθνη obiectum indicet, in quo evenire εὐλογία: *ut erga gentes vim suam exsereret promissum Abraamo datum.* Sin εὐλογία de beneficiis ipsis accipi malueris (*Romm. 15, 29. Ephess. 1, 3.* ex usu hebr. בְּרָכָה *Genes. 33, 11. Judd. 1, 15. LXX.*), γίνεσθαι signif. i. q. *contingere*, *Matth. 18, 19. Luc. 19, 9. Xenoph. Hiero. c. 1. §. 1. in. c. 3. §. 5. al.* ita ut εἰς inserviat scopo indicando (*Ephess. 4, 15. al.*) ad quem tendat collatio beneficii, h. s. *ut felicitas Abraamo eiusque posteritati promissa contingeret gentibus.* Quanquam sententia *primaria* eadem esse videtur, illa tamen prior interpretatio id commodi adfert, ut discrimen facilius elucescat, quo haec enuntiatio integra: Ἵνα εἰς τὰ ἔθνη — Ἰησοῦ, ab altera: Ἵνα — πίστεως differat. Accuratius quippe vbb. Ἵνα — πίστεως effectus ipse indicatur quem habiturum sit, quod illa promis-

sio vim suam exserat erga gentes. Posterius ἵνα non pendet ex eadem enuntiatione v. 13. ad quam prius pertinet, sed ex membro priori v. 14. Monuimus haec ad removendam difficultatem, quam V. Tischer in comment. supra laud. p. 18. voculae ἵνα bis deinceps eodem plane sensu (ad eandem consequentiam signif.) positae inesse censuit. Interpretatio membri posterioris ipsi probata: si (quando) bona Spiritus div. promissa acceperimus, ex usu voc. ἵνα defendi non potest. Vbb. ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ facilius, opinor, h. l. cum γένηται coniunguntur: *per Jesum Christum*, quam ad vbb. remotiora τὰ ἔθνη referuntur: ut promissa contingerent gentibus, quatenus sunt Christo addictae. Enuntiatio parallela, de cuius nexu cum antecedd. modo diximus, animum lectoris praecipue convertit ad veram illius felicitatis per Christum impetrandae conditionem, πίστιν oppositam νόμῳ, ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν etc. Ἐπαγγελία (cuius loco codd. *Clarom. Aug. Boerner.* versio *It.* et patres quidam exhibent εὐλογίαν, interpretamentum ex vbb. antecedd. enatum) a significatione propria: promissum (*Actt. 2, 39. Romm. 4, 13. 14. Polyb. III, 7, 13.*) h. l. metonymice ad rem ipsam transferri promissam (*Luc. 24, 49.*) aperte docet vb. λάβωμεν. De ambitu substant. πνεῦμα eadem valent, quae supra ad v. 2. 3. observata sunt. Quemadmodum genitivus substantivi praecedente alio substant. haud raro inservit illi accuratius definiendo v. c. *Romm. 8, 23. II. Corr. 1, 22.* ita etiam h. l. ἐπαγγελία dicitur τοῦ πνεύματος: res promissa, quae Spiritus est divinus s. quae versatur in beneficiis Spiritus divini, i. q. (si sensum spectaveris) πνεῦμα τὸ ἐπηγγελμένον, *Actt. 2, 33.* Cfr. Borger et Rückert ad h. l. Vereor enim, ne oratio Apostoli antecedentibus comparata tautologia quadam laborare videatur, si cum Winero aliisque explicueris: ut bona effatis Spiritus divini in V. T. promissa acciperemus. Ceterum, quae Apostolus v. 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν etc. de Judaeo-Christianis, deinde v. 14. ἵνα εἰς τὰ ἔθνη etc. de Ethnico-Christianis enuntiaverat, postremo *complectitur* vb. λάβωμεν: ut nos omnes (utriusque partis Christiani) per fidaciam in

Christo pro nobis mortuo positam Deo redderemur probati (non amplius *ἐπικατάρατοι*) ideoque beneficiorum Spiritus div. promissorum participes.

His obiici poterat ab adversariis doctrinae Paulinae inter Judaeo-Christianos: promissio illa Abraamo data eiusque posteritati per legem Mos. vel prorsus est irrita declarata, vel iis certe limitibus circumscripta, ut salus promissa ab hoc inde tempore observationi exactae legis Mos. tanquam conditioni esset adstricta. Quam dubitationem removet Paulus iis quae sequuntur.

V. 15. 16. 17. *Ἀδελφοί, (κατὰ ἄνθρωπον λέγω) ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται.* (v. 16.) *Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐρρέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. Οὐ λέγει· καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός· καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστιν Χριστός.* (v. 17.) *Τοῦτο δὲ λέγω, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ (εἰς Χριστόν), ὁ μετὰ τετρακόσια καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν.*

V. 15. Quo sensu aliquis *λέγειν* dicatur *κατὰ ἄνθρωπον*, i. e. accommodate ad communem hominum agendi sentiendi loquendi rationem (*Xenoph. memorabb. IV, 4, 24. Aristot. ad Nicom. 3, 10.* vd. Wettsten. ad *Romm. 3, 5.*), ubique ex orationis serie definiendum. Hoc loco: exemplo utor ex vita hominum communi (Chrysost. *ἐξ ἀνθρωπίνων παραδειγμάτων.*). Cfr. *I. Corr. 9, 8.* De potestate subst. *διαθήκη* h. l. accuratius definienda eo magis fluctuant iudicia interpretum, quo latius patet usus vocabuli, quum *διαθήκη* de *pacto* s. foedere mutuo dicatur (v. c. *Aristoph. aves v. 439.*), in scriptura sacra (ex usu hebr. בְּרִית) praesertim de foedere, quod Deus secundum morem loquendi humanum cum patriarchis Hebraeorum itemque cum tota gente pepigisse dicitur, *LXX. Genes. 6, 18. 9, 9. 17, 10. Jerem. 34, 18. Luc. 1, 72. Actt. 3, 25. Romm. 9, 4. al.*, porro de *promissione certa*, quatenus haec est foederis ratio, ut ab utraque parte

aliquid promittatur, *LXX. Deuteron. 9, 5. Ps. 25, 14. Sirac. 44, 18. Romm. 11, 27.*, denique etiam de *legibus quibus adnexa sunt promissa Hebrr. 9, 4. LXX. Exod. 19, 5.*, itemque de *testamento Hebrr. 9, 16. 17.* Quo minus h. l. universam *foederis* notionem primariam esse putemus, et numerus impedit singularis *ἀνθρώπου*, et quod in vss. antecedd. non tam de foedere quam de promissione sermo fuerat. Multo potius h. l. commendatur significatio *promissi*, siquidem, quae v. 17. cum hac *διαθήκη ἀνθρώπου* comparatur *διαθήκη προκεκυρωμένη ὑπὸ τοῦ θεοῦ* eodem versu *ἐπαγγελία* dicitur (cfr. v. 14.). Attamen sola promissionis cogitatio propterea non prorsus sufficere videtur, quod illa quam Paulus h. l. mente tenuit oeconomia divina per Christum perficienda, in libris V. T. adumbrata, minime sola continetur promissione, sed etiam *conditione*, lege, cui satisfacere debeant quicunque illius salutis participes fieri voluerint (*πίστει*, v. 6. 8. 11. 14.). Praestat cum Calovio Stolzio Winero utrumque ita complecti, ut sub *διαθήκη* universe intelligatur *dispositio quaevis rite declarata*, s. voluntas in tabulis perscripta (v. c. testamentum). Haec enim notio dispositionis, praeeunte etymo *διατιθέναι*, omnino prima fuisse videtur huius substant. significatio, cui ceterae omnes supra indicatae facile adnectuntur. Cfr. *Sirac. 11, 20.* ubi *διαθήκη* de vitae ratione certa semel constituta dic. *Sirac. 38, 33. διαθ. κρίματός* i. q. constitutio iudicii. *Κυροῦν* i. q. sancire, publice et rite confirmare, ratum facere et declarare, *II. Corr. 2, 8. LXX. Genes. 23, 20. Levit. 25, 30. Polyb. 1, 17, 1. Lucian.* T. I. p. 457. ed. Reitz. Notionem oppositam exprimunt vbb. *ἀθετεῖν* vanum et irritum habere et declarare (vd. ad *I. Thess. 4*, 8. obs.) et *ἐπιδιατάσσεσθαι*, vb. *ἅπαξ λεγόμενον* in N. F. quod proprie valet: *insuper* (praeter ea quae iam constituta s. praeccpta sunt) *aliquid disponere* s. *praecipere*, cfr. *Dio Cass. l. 62. p. 1013.* ed. Reim. ex usu satis cognito praepositionis *ἐπί*, quo significandae accessioni inservit (*Matth. 25, 20. 22. al.*). Totius argumentationis Paulinae indoles docet, h. l. eiusmodi potissimum conditionem s. praeceptionem, insti-

tutionem insuper additam spectari; *quae dispositioni iam sancitae adversetur eamve prorsus tollat*, ita ut ἐπὶ simul valeant: adversus; contra *Luc. 12, 52. sqq.* Matthiae *ausführl. griech. Grammatik ed. II. T. II. p. 1168.* Sic ἐπιδιαθήκη de testamento secundo apud *Jos. de b. Jud. l. 2. c. 2. §. 6.* ed. Oberthür. Vocula denique ὅμως: tamen, quae magis perspicue post διαθήκην collocata esset (quanquam haec traiectio exemplis minime destituitur, *I. Corr. 14, 7.* Hermann ad *Soph. Aiacem v. 15.*), h. l. per breviloquentiam ad voculam subintell. *etsi* s. *quamvis* refertur, *Thucyd. 7, 77. Lucian. dial. De. 16, 1. al. Dispositionem semel sancitam, quamvis sit hominis* (opponitur ἀνθρώπῳ v. 17. θεὸς), *tamen nemo solet irritam reddere, aut insuper aliquid (ei contrarium) addere.* Sententia universa modo enuntiata ad rem praesentem accommodatur. Docet quippe Apostolus, quod de dispositione humana recte adfirmetur, multo potius valere de dispositione divina v. 16. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ etc. *Jam vero Abraamo data sunt promissa* (pluralis ἐπαγγελίαι ad promissum respicit saepius iteratum, cfr. ad v. 8. obss.) *eiusque semini*, posteritati. Sollennis est hic usus voc. σπέρμα (זֶרַע) scriptoribus N. F. nec profanis incognitus, *Thucyd. V, 16.* Pro vulgari ἐρρήθησαν (*Matth. 1, 22. 2, 15. Romn. 9, 12. 26. al.*) auctoritate codd. *Alex. Ephr.* rescr. *Claremont. Auy. Boerner.* recepimus cum Lachmanno formam ionicam ἐῤῥέθησαν, *Matth. 5, 21. 27. 31. 33. 38. 43. Apoc. 6, 11.* Huic numero singulari σπέρματι praecipue insistit argumentatio Paulina: οὐ λέγει (suppl. ὁ θεὸς s. ἡ γραφὴ, *Ephh. 5, 14. Romn. 15, 10.*) καὶ τοῖς σπέρμασιν etc. Non dubitamus, Apostolum h. l. eadem Geneseos effata (secundum LXX.) ante oculos habuisse, de quibus supra ad v. 8. vidimus, quanquam voc. ἐν ante τοῖς σπέρμ. et τῷ σπέρμ. omittitur. Etenim, quum ineunte v. 16. argumentum illius promissionis divinae pluribus locis Genes. repetitae hac formula indicasset ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι τῷ Αβρ. καὶ τῷ σπέρμ. αὐτοῦ, hanc cogitationem *promissi posteris Abr. dati* etiamnum animo tenens pro formula integra locis Geneseos prorsus accommodata οὐ λέγει, καὶ ἐν τοῖς σπέρμασίν σου ἐνευλογηθήσονται

πάντα τὰ ἔθνη brevierem adhibuit simplici usus dativo: *οὐ λ. καὶ τοῖς σπέρμασιν* etc. Neminem fugit, liberiorem locorum V. T. laudationem haud alienam fuisse a consuetudine Pauli. Aliam difficultatem h. l. ipse probandi nervus facessere videtur, quem Paulus ex numero singul. *σπέρματι* pendere voluit. Numerus quippe singul. זֶרַע quem *LXX.* constanter vertt. *σπέρμα*, universe prolem sobolem indicat, sive (ut plerumque fieri solet) de *multis* sive de *uno* agatur (*Genes. 4, 25. 21, 13. II. Samuel. 4, 8.*). Pluralem nunquam usurpari de posteritate pridem recte observ. Hieron. ad h. l. Quomodo tandem ex voce *σπέρμα* per se spectata colligi potuit, h. l. *unum* intelligi ex posteris Abraami (Messiam)? Diffiteri, opinor, non possumus, Paulum h. l. argumentationem suam quodammodo accommodasse ad indolem et ingenium Judaeorum, quorum doctores haud raro ex numero vel plurali vel singul. ducerent argumenta. Vd. Surenhusius in *βίβλῳ καταλλαγῆς* p. 84. sq. Neque exempla desideramus vocabuli זֶרַע apud scriptores Judd. de Messia potissimum explicati. Cfr. Borger ad h. l. p. 204. Nolim tamen existimare, de *necessitate* quadam huius interpretationis *grammatica* Apostolum cogitavisse, quem haud dubie non lateret usus ille voc. *σπέρμα*, *Romn. 4, 18. 9, 7. Gal. 3, 29.* Immo, quum *aliunde* persuasum haberet, illa Geneseos effata salutem innuere per unum posterorum Abr. (Christum) exorituram, in fervore argumentandi de *emphasi* cogitavit vocabulo *σπέρματι* loco laud. inhaerente. Litteras sacras contendit numerum *singul.* h. l. cum emphasi adhibuisse nec de pluribus multisve posteris intelligi voluisse. *Non dicit scriptura: seminibus, tanquam de multis cogitans* (ἐπὶ sq. genitivo obiecto sermonis signif. inservit, *II. Corr. 7, 14. Ael. V. H. 1, 30.*), *sed tanquam de uno: semini tuo, qui est Christus.* Correctionem redolet lectio codd. *Claremont.* et *Sangerman.* δ' pro vulg. ὅς. Posterius recte se habet ex graecismo nemini incognito, quo genus pronominis relativi generi substantivi seq. quod praedicatum enuntiat accommodatur. Quanquam, si propriam vim verborum Apostoli sequimur, dubitari non potest, Paulum sub illo *σπέρματι* *Jesum Christum* intelligi voluisse (id quod inter anti-

quieres intt. Tertullianus *de carne Chr. c. 22. de patientia c. 6.* Origenes *comment. in ep. ad Romm. 9, 29. et al.* Chrysost. in *homil. ad Gal. 3, 14.* Theophyl. et Theodor. ad h. l. Hieron. ad *Gal. 3, 8.* inter recentiores Grotius Michaelis Koppe Morus Storr *de consensu ep. Pauli ad Hebrr. et Gal. p. 11. sqq.* Süskind *adnotatt. ad locum Gal. 3, 16. Tub. 1804. 4.* Tischer. in comment. laud. p. 21. Borger Flatt Winer ad h. l. aliique agnoverunt); fuerunt tamen haud pauci qui Χριστός mallent *de ecclesia Christiana* interpretari s. de iis Abr. posteris qui πίστιν eius imitantur (v. 7. 9.), cfr. Ernesti *neue theol. Bibl. Vol. II. p. 935.* Noesselt *in exercitt. ad sacr. script. interpretationem p. 145. sqq.* Bengel Bolten Rosenmüller ad h. l. itemque, qui praeeunte Augustino in expositione epist. ad Gal. aliisque locis *Christum eiusque coetum* intelligerent. His 1) opponimus, causam deesse idoneam, quae interpretes h. l. discedere iubeat a potestate verborum Apostoli propria. Etenim, quod parum recte ex numero singulari σπέρμα concludi potuisse observant, loca V. T. laud. ad *unum* respicere *Christum*, id neminem facile movebit, ut Χριστός h. l. de ecclesia interpretetur, dummodo perpenderit, quae supra de causa et indole huius argumentationis disputata sunt. Neque, etsi haec interpretatio probata fuerit, quaestio removetur, quomodo tandem ex singul. σπέρμα probari potuerit, de *uno* tantum *genere* posterorum Abraami (de iis qui sensu morali sic dicerentur propter πίστιν) cogitasse scripturam sacram? An forte, quo minus Χριστός sensu proprio intelligatur, hoc impedit, quod Apostolus dativo usus scripserit: promissa illa enuntiata sunt *semini* eius (Abr.), quum de Jesu Christo potius dicendum fuisset, *per* eum eventu comprobatam esse promissionem olim Abraamo eiusque posteris datam? Concedimus, huic dubitationi facile ansam praebere quae v. 14. legimus. Attamen sermonis Paulini non ubique summa est constantia in usu eiusdem formae cogitationis. Quod Jesu Christo divinitus potestas contigit, homines beatos reddendi, id maxime pertinuit ad felicitatem ipsius Servatoris. Promissio salutis per unum posterorum Abr. (Christum) gentibus exoriturae verissime etiam

appellari potuit promissio *ipsi Servatori* dicta, i. e. sic enuntiata, ut tenderet ad Christum, rem continens quae olim Christo laetitiae summae et gloriae esset futura. Denique quod formula *σπέρμα τοῦ Ἀβρ.* infra v. 29. haud dubie de posteris Abr. tropice dictis (Christianis) usurpatur, neminem iubet voci *Χριστὸς* v. 16. eandem significationem vindicare. Etenim ex iis quae Apostolus v. 26. 27. 28. de hominibus, qui Christum profitentur, *ipsi Servatori arctissime coniunctis* monuit, facile opportunitas exstitit, idem voc. *σπέρμα*, quod v. 16. de Christo explicatum fuerat, posthac v. 29. *transferendi* ad ecclesiam vere Christianam. 2) Desiderantur exempla idonea, quibus probetur, *Χριστὸς* vel de coetu Christ. vel de Christo eiusque ecclesia usquam usurpatum esse. Illud enim, quod vulgo laudatur, Paulinum *I. Corr. 12, 12. οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς* recte vertitur: ita se habet cum Christo, et quamquam negari non potest, si sensum spectaveris, cogitasse Apostolum l. l. de coetu Christiano, cui quotquot adscripti sint comparentur cum membris singulis unius eiusdemque corporis, teneamus tamen necesse est, significationem a sensu distinguentes, hunc *sensum* vbb. *οὕτω καὶ ὁ Χρ.* ex singulari prodire orationis serie, quae loco l. ep. ad Corr. obtineat. In ep. *nostra* v. 16. minime eiusmodi apparet nexus sermonis, qui *Χριστὸς* aliter quam de uno Christo intelligi iubeat. Immo quae posthac v. 27. 28. dicuntur (ubi *Χριστὸς* non potest nisi Servatorem ipsum innuere), versui 16. collata, maxime favent interpretationi plerisque probatae. Denique, si Paulus v. 16. sub *σπέρματι* coetum intelligi voluisset Christianum, hanc sententiam. adhibenda voce *Χριστός* eademque cum numero singulari (quem manifesto urgebat) *σπέρματι* coniungenda, tam parum perspicue declaravisset, ut nemo facile lectorum de *coetu* Chr. cogitaret. Ceterum singularem totius commatis 16. interpretationem tentavit V. Steudel: *Archiv für die Theologie und ihre neueste Litteratur herausgeg. v. Bengel 1. B. 1. St. Tüb. 1815. p. 124. sqq.* Enuntiationem quippe interpositam habet vbb. *οὐ λέγει — σπέρματί σου.* Pronomen vero: *ὅς* (*ὅς ἐστι Χρ.*) ad substantivum remotius *ἐπαγγελίαι* referendum existimat, h. s. *quae quidem res promissa*

est *Christus*. Cui sententiae, ingeniose quidem defensae, quominus calculum addam impedit, quod vbb. postrema ὅς ἐστι Χρ. ab initio commatis ita apparent seiuncta, ut pron. ὅς nemini durius illud ἐπαγγελίαι innuere existimetur (praesertim quum Apost. *pluralem* adhibuisset), et quae sub finem commatis obveniunt καὶ τῷ σπέρματί σου (ex initio v. 16. καὶ τῷ σπ. αὐτοῦ cum emphasi *repetita*) cuivis lectori facile persuadent, verbis postremis eum indicari, quem voc. σπέρματι indicaverit. De hac tota quam breviter examinavimus sententiarum diversitate praesertim cfr. appendix II. libri: *Vorles. über die Briefe Pauli an die Galater und Epheser von* F. v. Flatt *herausgeg. v.* Kling p. 248. sqq. Seriem argumentationis, qua Paulus ostendere voluit, quod de dispositione *humana* valent (οὐδεὶς ἀθετεῖ αὐτήν v. 15.), multo potius valere de dispositione *divina* (de promisso, quale Deus Abraamo dederit, ad gentes per eius progeniem beandas pertinente v. 16.), quodammodo interruptam videmus observatione illa exegetica v. 16. οὐ λέγει etc. Proinde Apost. filum orationis hoc modo retexit v. 17. Τοῦτο δὲ λέγω etc.: *hoc igitur mihi volo*, exemplo v. 15. hoc indicaturus sum, cfr. *Romm. 15, 8. Gal. 4, 1. 5, 16.* Promissio Abraamo data iterum appellatur διαθήκη, *dispositio* (cfr. ad v. 15.), a *Deo quidem* (oppon. τῇ διαθήκῃ ἀνθρώπου v. 15.) *ante* dudum ante legislationem Mosaicam *sancita* (de vb. κυροῦν cuius forma composita προκυροῦν praeter h. l. nusquam legitur in novo foedere ad v. 15. diximus), *spectans ad Christum* obiectum promissionis (quo sensu εἰς *Ephes. 5, 32. Actt. 2, 25. Plato republ. l. 2. c. 10. in. p. 75.* ed. Ast.). Quemquam eadem praepositio haud raro de termino temporis adhibetur: *usque ad, Jo. 13, 1. Actt. 4, 3.*, nolim tamen cum Moro et Borgero interpretari: ita sancita, ut valeret ad tempora usque Christi (usque dum, praesente re ipsa promissa, non amplius esset promissio). Prior quippe interpretatio eo maxime commendatur, quod vbb. εἰς Χριστὸν sic intellecta faciliori sententiarum nexu verbo προκεκυρωμένην coniunguntur. Sed ipsa huius additamenti εἰς Χρ. authentia mihi quidem pariter atque Millio et Lachmanno suspecta videtur. Desi-

deratur in nonnullis codd. (in quibus sunt *Alex. Vatic. Ephr.* rescr.) in *verss. Copt. Aeth. Armen. Vulg.* itemque apud Hieron. Augustt. aliosque patres. Eiusmodi quippe difficultati s. offensioni quae librarios, ut consulto omitterent, movere potuerit, haec vbb. minime sunt obnoxia, praesertim si vertantur: spectans ad Christum. Facilius ea pro glossemate habeas, cui adscribendo vbb. postrema v. 16. opportunitatem dederint. *Dispositionem*, ait, *ante* (legem) *divinitus sancitam lex quadringentis et triginta annis post lata* (γεγονὼς prō voce magis definita δοθεὶς ponitur *Marc. 2, 27. Jo. 1, 17.*) *auctoritate non privat* (quo sensu ἀκυροῦν *Matth. 15, 6. Marc. 7, 13. Diod. Sic. 16, 24.* similiter ἄκυρόν τινα ποιεῖν *Xenoph. hist. gr. l. 5. c. 3. §. 24. p. 298.* ed. Schneider.), *ita ut promissionem* (quae antea diceb. διαθήκη) *aboleat*, irritam reddat, cfr. de vb. καταργεῖν ad *II. Thess. 2, 8.* obs. Irrita quippe facta esset promissio illa, salutem τῇ πίστει adnectens, si verum esset, quod doctores illi Judaismo indulgentes contenderent, salutem pendere ex observatione legis Mosaicae, *Romm. 4, 14.* Ceterum illo 430 annorum numerus (qui auctoritate praestantissimorum codd. et verss. *Pesch. Copt. Vulg. It.* hoc ordine verborum exprimitur: μετὰ τετρακόσια καὶ τριάκοντα ἔτη pro vulg. μετὰ ἔτη τετρακ. κ. τριακ.) veritati chronologicae non prorsus consentit. Etenim, quum Hebraei post Jacobi in Aegyptum migrationem per quadringentos et triginta annos in Aegypto peregrinati esse in litteris sacris perhibeantur *Exod. 12, 40.* (cfrr. *Genes. 15, 13. Actt. 7, 6. Josephus antiqq. Judd. II, 9, 1. de b. Jud. V, 9, 4.* ubi numerus leg. rotundus 400 annorum), patet inde, maius fuisse temporis intervallum, quod promissionem illam Abraamo datam inter et legislationem Mos. intercederet. Attamen in libris V. T. omnino desideratur computatio accurata annorum, *qui post promissionem Abraamo datam usque ad migrationem Jacobi in Aegyptum effluxerant.* Proinde Apostolus, qui h. l. minime id potissimum agebat, ut lectores de spatio temporis ab Abraamo inde ad legislationem usque elapso accuratius edoceret, non dubitavit numerum illum 430 annorum usurpare ex litteris sacris cognitum, omissa computatione an-

norum, qui abitum Jacobi in Aegyptum praecesserant, universe indicaturus (quod recte viderunt Theodor. Oecum. Hieron. ad h. l.), *diutius post ἐπαγγελίαν* Abraamo datam promulgatam fuisse legem Mosaicam. Ante oculos fortasse habuit versionem loci *Exod. 12, 40.* LXX. (cui et Pentateuchus Samaritanorum consentit et computatio *Josephi antt. Judd. II, 15, 2.*) *ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ* (additur quod in textu hebr. deest *καὶ ἐν γῇ Χαναὰν*) *ἔτη τετρακόσια τριάκοντα*. Cfr. de hac quaestione praeter alios Perizonius in l. *Origines Aegypti. c. 20.* Grotius ad Genes. 15, 13. Michaelis et Rosenmüller ad *Exod. 12, 40.* Koppe *progr. quo Israelitas non 215, sed 430 annos in Aegypto commoratos esse efficitur, in syllege commentatt. theoll. a Pottio et Ruperto edd. Vol. II. p. 255. sqq.*

His arcte cohaerent seqq. quae partim modo dictis (v. 17. ex.) illustrandis inserviunt, partim consilium verum et efficacitatem legislationis Mos. patefaciunt.

V. 18. 19. *Εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, οὐκέτι ἐξ ἐπαγγελίας· τῷ δὲ Ἀβραὰμ δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται ὁ θεός.* (v. 19.) *Τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, ἐν χειρὶ μεσίτου.*

Quum Paulus v. 17. dixisset: quam dispositionem Deus olim rite sancivit, eam lex multo serius lata minime privat auctoritate, ita ut promissionem abolest, amplius docere voluit v. 18. ex sententia eorum, qui salutem veram ex observatione legis Mosaicae pendere contenderent, non posso non promissionem divinam abolitam existimari per legem. Subst. *κληρονομία*, נַחֲלָה, a propria significatione *hereditatis* translatum ad notionem latius patentem boni, quod alicui possidendum traditur, dudum quidem destinatum (quo sensu terra Cananaea eiusve partes singulae dico. *κληρονομία* Israelitarum, *Josuae 16, 8. 18, 7. Numerr. 18, 23.* LXX. *Actt. 7, 5.*) haud raro etiam metaphorae inserviit felicitatem significanti in regno Messianno s. divino futuram, quam Deus pater velut hereditatem

filiis suis (hominibus sibi probatis) destinavit, *Ps. 37, 18. Jes. 54, 17. LXX. Actt. 20, 32. Ephess. 1, 14. 18. al.* Haec felicitas, alibi δόξα *(Romm. 2, 10. 5, 2.)* sive ζωή, iam nunc incipiens in animis proborum Dei et Christi cultorum, consummanda et perficienda olim in regno Dei aeterno, effectus est illius δικαιώσεως, quam Paulus supra v. 6. 8. 9. 11. ex πίστει pendere docuit, cfr. *Romm. 8, 30. 5, 18. Etenim* (inquit) *si felicitas futura* efficeretur s. contingeret *per legem observatam* (2, 16), *non ampliùs* contingeret *per promissionem*; sublata esset, quae ante legislationem Mos. valuerat, exspectatio eiusmodi felicitatis generi humano paratae, Abraamo eiusque semini promissae, quae penderet ex libera Dei gratia. [Similiter οὐκέτι *Romm. 11, 6.*] Notionem quippe liberae Dei gratiae, cui salus promissa debeatur, h. l. haud seiungendam esse a cogitatione τῆς ἐπαγγελίας ex iis patet, quae Apostolus v. 8. sqq. docuerat, neminem ita satisfacere legi, ut hac ratione Deo probetur, et propter facta veluti iure suo documenta exspectet favoris divini *Romm. 4, 14.* Apostolus ipse animos lectorum ad illam Dei promissionem tanquam *gratuitam* praecipue convertit vbb. τῷ δὲ Ἀβραὰμ etc. Χαρίζεσθαι (vb. deponens) τινι pr. facere quod alicui gratum sit, *Xenoph. memorabb. 3, 11, 10. 4, 3, 16.* dicitur etiam de *donante* s. *largiente* aliquid, accusativo rei vel addito vel subintellecto, *Herodian. 1, 17, 3. 3, 10, 12.* praesertim in N. F. de Deo hominibus gratis sine ipsorum merito benefaciente *Romm. 8, 32. I. Corr. 2, 12. al.* Plerique huius loci interprr. sensu *donandi* accipientes vel universam supplent notionem beneficii vel κληρονομίαν: *Abraamo autem Deus gratis contingere iussit hereditatem*, spem certam salutis regni Mess. per eius prolem hominibus exoriturae, *per promissum* (h. l. νόμῳ oppositum), ita ut *mera promissio* enuntiaretur, nec circumcisioni observandae, nec aliis Judaeorum statutis adnexa. Nihil prohibet, quo minus haec sine ellipsi intelligantur: *Abraamo autem Deus gratia fecit* (i. e. gratiosum se ei exhibuit) *per promissionem* i. e. ex libera gratia, ratione nulla cuiusdam meriti habita, promissum dedit. Patebat inde, hanc promissionem antiquiorem recte haberi per legem Mosai-

cam abolitam, si recte adfirmatum fuerit, fieri posse, ut homo salutem sibi comparet observanda lege Mosaica. Attamen prius admitti non posse docuerat Paulus v. 15. 17. Unde efficitur, posterius perperam adfirmari. Quaeri iam poterat, quo tandem consilio lata fuerit lex Mosaica, si nihil valeat ad impetrandam conditionem hominis Deo probati? Audiamus Apostolum v. 19. *Τί οὖν ὁ νόμος* etc. Interrogationi excitatae: *quo igitur consilio* (*τί* i. q. *διὰ τί*; s. *εἰς τί*; *Jo. 1, 25. I. Corr. 15, 29. al.*) *lex data est?* sic respondetur: *τῶν παραβάσεων χάριν* etc. *παράβασις* de transgressione legis (peccato) Paulo usitatum *Roman. 2, 23. 4, 15. 5, 14.* nec profanis incognitum *Diod. Sic. 18, 32.* Maluit h. l. *παραβάσεις* scribere, quam *ἁμαρτίαι*, propterea quod *ἁμαρτίαι* (quae pridem fuerunt ante legislationem Mos. *Roman. 5, 13.*), lege accurate cognita, cui iam resisteret cupiditas humana in vetitum nitendi, *maiori evidentia* naturam suam perversam et prorsus damnandam declarabant, quam habent tanquam *violationes voluntatis divinae lege declaratae*. De vocula *χάριν*: gratia, causa, alicuius (orienda ex locutione plena: *εἰς χάριν τινος*), genitivo vel sequente *Eurip. Androm. v. 1225. I. Jo. 3, 12.* vel antecedente *Ephes. 3, 1. 14. al.* cfr. Lamb. Bos. *ellipsi graecae* ed. Schaefer. p. 682. Hermann ad *Vigerum de praecipuis graecae dict. idiot. T. II. p. 700.* Scripturae vulg. *προσετέθη*: *lex addita est promissioni* (sic *προστίθεσθαι Actt. 2, 41.* dic. subintellecta re, cui quid addatur) praeferendam iudicarunt Bengel Mill Griesbach Knapp lectionem *ἐτέθη* in codd. *Claram. Aug. Boerner.* verss. *Arab. Vulg. It.* apud Clementem Alex. *stromm. l. I. p. 350. ed. Sylb.* Iren. 3, 7. Orig. *ad Romm. 7, 7. Philocal. c. 9.* Euseb. *contra Marc. c. 1.* Hieron. Ambros. Pelag. Rufinum expressum. Nisi omnia me fallunt, *ἐτέθη* correctionem sapit vel grammaticorum, qui, bene cognitam habentes phrasin Graecis sollemnem *νόμος τίθεται* (v. c. *Xenoph. memorr. IV, 4, 19.* cfr. Schneider *Handwörterbuch d. griech. Spr.* von Passow *ed. III. Vol. II. p. 862.*), in formula composita *προστιθέναι νόμον* insolita quidem sed h. l. propter nexum quo lex Mos. cum

promissione olim data per Christum eventu comprobanda (v. 23. 24.) cohaereat declarandum egregie posita, offendebant, vel eorum qui Paulum verbo composito propterea h. l. uti non potuisse existimabant, quod supra v. 15. sententiam enunciasset, posthac ad oeconomiam Dei translatam: dispositioni humanae nemo facile *ἐπιδιατάσσεται* (quod posterius sensu utique differre a *προστιθ.* ex iis patet, quae ad v. 15. observv). Minus probabiliter, opinor, Borger in animadverss. critt. ad h. l. *προστετέθη* glossemati inservisse coniecit quo doceretur, legem promissis divinis non adversam esse sed superadditam. Quo sensu Apost. legem promissioni antiquiori *propter peccata* Judaeorum additam esse dixerit, colligere licet ex v. 23. sqq. c. 4, v. 1—3. coll. *Romm. 3, 20. 7, 7. I. Timoth. 1, 9.* Legislationis Mos. consilium hoc fuit, ut partim quodammodo certe cohiberetur et regeretur populus rudior, saepenumero ab illa *πίστει* aberrans, quam Deus Abraamo eiusque posteris tanquam conditionem salutis proposuerat, ad idololatriam et flagitia Ethnicorum imitanda proclivis (quod recte observv. Chrysost. et Theophyl. inter recentt. Grotius Semler Koppe Morus Paulus Rückert ad h. l.), partim peccata tanquam peccata poenis divinis obnoxia magis patefierent (praesertim per sacrificia praescripta, *Hebrr. 10, 3.*) quo homines culpam suam agnoscere cogerentur ac desiderium sentirent liberationis a peccato eiusque culpa impetrandae. De *utroque* legis effectu h. l. cogitavisse Apostolum existimamus cum Flattio Moro aliisque, quanquam Rückerto lubenter concedimus, *prius* illud ex verbis *τῶν παραβ. χάριν* maiori perspicuitate elucescere quam posterius. Non defuerunt qui Apostolum h. l. palam professum esse dicerent: lex Mos. eo consilio data est, ut quam plurimae fierent legis violationes, ut ingravesceret *ἁμαρτία* quo magis sentiretur necessitas restitutionis generis humani. (Usteri *Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffs ed. IV. 1832. p. 65. sqq.*) Similem quippe locum habemus *Romm. 5, 20. νόμος παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*, ubi haud negaverim Apostolum vb. *ἵνα* ita usurpasse, ut *effectum* (inde oriundum, quod, qui legem cognovissent, magis in vetitum niterentur) a *consilio* non accu-

ratius distingueret. Attamen mitius dicebatur: lex insuper *introivit*, ut plus delicti fieret, quam (quod magnam duritiem habet): *data est* (a quonam? Deo) propterea ut delicta existerent. Potuitne Apostolus *hoc sensu* dicere τῶν παραβάσεων χάριν, salva persuasione de praestantia legis morali eiusque fine sancto, quam idem *Romm. 7, 10. 12. 13. 14.* professus est? (De lege enim Mosaica h. l. sermonem esse non dubitamus praeeunte nexu horum vss. cum v. 7.) Breviloquentia usus dicit hanc legem additam esse ἄχρις οὗ etc. *quae valitura* vim suam exseritura esset *usque dum* (ἄχρις οὗ i. q. ἄχρις χρόνου, ἐν ᾧ, *Actt. 7, 18. Romm. 11, 25. Plutarch. de def. orac. c. 13. al.*) *venisset proles* (Christus v. 16.) *cui promissa fuerat salus*, κληρονομία, s. *cui Deus* (v. 18.) *promissum dederat.* Perfectum ἐπήγγελμαι et significatione passiva adhibetur *II. Maccabb. 4, 27.* et activa medii *Romm. 4, 21. Hebrr. 12, 26.* Quo sensu ipsi Christo facta dicatur illa promissio ad v. 16. vidimus. Sic nihil est, quod nos iubeat cum Jo. Schulthessio: *Engelwelt, Engelgesetz und Engeldienst, philologisch und litterarisch erörtert etc. Zürich, 1833. 8. p. 8.* lectionem praeferre in nonnullis codd. minusculis obviam: ὃ ἐπήγγελται h. s. donec veniret posteritas, quam Deus Abraamo promiserat (posteritas sensu morali dicta, societas hominum qui Jesum Chr. profitentur). Scriptura vulg. ᾧ ἐπηγγ. versui 16. egregie est accommodata. Verbis ὁ νόμος προσετέθη propius cohaerent quae modum huius legislationis describunt διαταγείς etc. Διατάσσειν disponere s. omnino constituere, praesertim de iis valet qui aliquid praecipiunt *Actt. 18, 2. I. Corr. 7, 17. 16, 1. Xenoph. hist. gr. l. 1. c. 1. §. 26.*, unde νόμον διατάσσειν: legem ferre, promulgare *Hesiod.* ἔργα καὶ ἡμ. v. 274. Sic med. διατάσσεσθαι de νομοθέταις apud *Philonem de mundi opif. in.* De potestate huius praedicati: δι' ἀγγέλων *promulgata*, diversimode disputatur. Quanquam praepos. διὰ in formula simili *II. Timoth. 2, 2.* διὰ πολλῶν μαρτύρων pr. intervenientibus multis testibus, si sensum spectaveris, proxime abest a significatione: *coram*, nonnullis huius l. interpretibus probata; malim tamen h. l. cum plerisque in usu huius

praepos. maxime sollenni acquiescere. Genii quippe coelestes non *auctores* quidem legislationis Mos. fuisse unquam perhibentur in litteris sacris (cfr. quae huic sententiae Schulthessii *Analekten für d. Stud. d. exeget. u. syst. Theologie von Keil u. Tzschirner. 2. B. 3. St. p. 134. sqq.* et Voigtlaenderi: *Analekten etc. 4. B. 1. St. p. 139. sqq.* recte opposuit Winer in *excursu I.* huic ep. addito). Attamen apud Judaeos seriores traditio invaluerat, angelos interfuisse legislationi Sinaiticae, ita ut ipsi partes quasdam gererent in lege promulganda divinitus iis demandatas, multumque conferrent ad maiestatem divinam splendore huius legislationis externo patefaciendam; siquidem omnino gens Hebraica post aetatem Mosaicam haud pauca angelis Jehovae legatis et interpretibus tribuere solebat, quae olim Jehova immediate fecisse dicebatur. Cuius sententiae vestigia obveniunt in vers. *LXX. Deuter. 33, 2. κύριος ἐκ Σινᾶ ἦκει — ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ*, coll. *Ps. 68, 17. Actt. 7, 53. ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, Hebrr. 2, 2. ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος, Joseph. antiqq. Judd. XV, 5, 3.* itemque in libris talmudicis. Cfr. Koppe et Winer ad h. l. Elsneri *dissert. legem Mos. per angelos promulgatam esse, Lugd. Bat. 1719, 4.* [Sententiam Schulthessii de ipsa legis Mos. *origine* ad *angelos auctores* relata nec illa antiquior comment. modo laud. nec recentior eademque uberior: Engelwelt, Engelgesetz etc. mihi persuasit. Praepositio quippe *διὰ* v. 19. *δι' ἀγγέλων* minime *postulat* ut *ἀγγέλων* de causa principali intelligatur, etsi hoc per usum loquendi rariorem fieri *posse* lubenter concedam, vd. ad I, 1. obs. Verba *Actt. 7, 53. ἐλάβετε τὸν νόμον* etc. etsi cum Schulthessio p. 11. vertantur: accepistis legem pro constitutis angelorum, minime tamen contradicunt persuasioni, angelos hominibus dedisse mandata *divinitus* accepta. Nec facile docetur, quomodo Paulus eam persuasionem amplecti potuerit quam V. Schulthess quovis pacto ei vindicare studuit, legem Mosaicam *omnino non fuisse divinam*, nisi vel Paulum ipsi Jesu Christo contradixisse putaveris, vel ea Servatoris effata, quae legi originem divinam tribuunt, pro arbitrio mero ita explicueris,

ut quae hic dicantur non de lege tanquam Mosaica sed de *lege naturali* Mosaicae insita praedicari existimes. Quod Apostolus abrogationem legis cerimonialis totiusque oeconomiae Mos. per Christum factam fervore summo contendit, minime pugnat cum persuasione de origine eius divina. Ad tempus haec oeconomia Deo volente fuerat instituta per Mosen Dei interpretem, donec veniret institutio et oeconomia perfectior eodem Dei consilio aeterno decreta, per illam adumbrata et praeparata. *Gal. 3, 23. 24.* Neque ipsa legis Mos. natura necessario secum ferebat, ut Judaei, dum legem acriter tenerent, evangelium infestarent. Accidit hoc culpa Judaeorum, quum lege parum recte uterentur, consilium, quod Deus educator generis humani sapientissimus per oeconomiam Mosaicam consequi voluit, non perspicerent, traditionibus Pharisaeorum arbitrariis indulgerent.] Jam vero nolim cum Flattio aliisque coniicere, Apostolum hoc legis Mos. praedicatum: per angelos (angelorum ministerio) *promulgata*, propterea addidisse, ut animos lectorum converteret ad dignitatem *multo* potiorem doctrinae Christianae per ipsum Dei filium promulgatae. Etsi locus *Hebrr. 2, 2. 3.* per se spectatus huic sententiae favere videatur, minime tamen utroque l. idem apparet argumentationis consilium. Hoc enim commate 19. id potissimum agit Apostolus, ut legislationi Mosaicae, qua promissum antiquius tolli non potuisse adfirmaverat, suam vindicet utilitatem atque dignitatem (ne inique et impie sententiam de ea tulisse videatur), doceatque etiam hanc legem arcte coniunctam fuisse cum universa Dei oeconomia ad salutem *hominum* spectante. Huic legis Mos. dignitati declarandae et vbb. inserviunt διαταγεὶς δι' ἀγγέλων et postrema ἐν χειρὶ μεσίτου, *ope mediatoris.* Μεσίτης dicitur, qui inter duas partes aliquid transigit, sive pacem restituat sive foederi sanciendo consulat, *Diod. Sic. 4, 54. Plutarchi Isis et Osiris c. 46.* Cfr. Fischer *probuss. de vitiis lexicorum N. T. p. 351. sqq.* Quum Moses tempore legislationis Sinaiticae et nomine Dei cum populo et nomine populi cum Deo loqueretur *Exod. c. 19. c. 20. c. 34. al. Deuter. 5, 24 sqq.* (qua de re Moses ipse *Deuter. 5, 5.* haec professus est:

equidem inter Jehovam et inter vos stabam eo tempore, ut dicta Jehovae vobis referrem, nam ignem metuebatis nec adscendebatis in montem), verissime poterat *μεσίτης* appellari, ut apud *Philonem in vita Mosis l. 3. p. 678.* ed. Francof. hebr. מַרְמִיר et שְׁלִיחַ apud Judd. seriores. Vd. Schoettgenii *horae hebr. et talm.* ad h. l. p. 738. sqq. Quod ope alicuius (simpliciter *per* aliquem) fieri dicimus, ex usu loq. hebraico בְּיַד *per manum eius* dic. effici, *Haggai 1, 1. Hos. 12, 11. Exod. 9, 35. 35, 29. al. Actt. 5, 12. 7, 35. 15, 23.* Quanquam hic unus est locus N. F. ubi *Moses* appellatur *μεσίτης* (alibi idem de Christo usurpatur, *I. Tim. 2, 5. Hebrr. 8, 6. 9, 15. 12, 24.*), recte tamen exploratum habemus, alium h. l. intelligi non posse. Quo minus enim cum Chrysost. Theoph. Hieronymo (quibus adsentitur Calvinus ad h. l.) coniiciamus, Apostolum de Jesu Christo (tanquam *λόγῳ, πρωτοτόκῳ τῆς κτίσεως Col. 1, 15.* mediatore legislationis Sinait. *invisibili*) cogitavisse, id maxime impedit, quod neque Paulus nec alius Apostolorum unquam docuit, Filium Dei partes gessisse in constituenda ac promulganda lege antiqui foederis. Sententiae vero ingeniose defensae Schmiederi; *nova interpr. loci Paulini ad Gal. 3, 19. 20. Numburgi, 1826.* illud *ἐν χειρὶ μεσίτου* referentis ad theologumenon Judaicum de *uno angelorum*, qui prae ceteris in legislatione Sinait. provinciam gesserit mediatoris, recte opponitur, argumenta deesse quae probent, hanc opinionem tempore apostolico inter Judaeos fuisse divulgatam. Cfr. Lücke: *theolog. Studien u. Kritiken herausg. v. Ullmann u. Umbreit, 1. B. 1. H. 1828. p. 97. sq.* Ceterum qua de causa admitti non possit Steudelii interpretatio totum comma 19. pro interrogatione accipientis adversario Pauli tributa, verissime docuit Winer in *excursu III.* huic ep. add. p. 26.

Sequitur locus, quem fere vexatissimum habemus omnium N. F. effatorum.

V. 20. *Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν.*

Sermonem Apost. h. l. obscuritate quadam premi, ex ipsa potissimum brevitate elocutionis orlunda, nemo facile infitias est iturus, quum post diversissima explicandi tentamina, quorum

numerus ducentas et quinquaginta interpretationes excedit, nondum licuerit eiusmodi sententiam stabilire, quam vel omnes vel plurimi certe intt. satis habeant exploratam. Quanquam haec sententiarum diversitas nequaquam ad eiusmodi molem excrevisset interpreti admodum molestam, nisi inter eos qui in loco vexato tractando vires ingenii tentarent haud pauci exstitissent, qui magis prurita quodam in medium proferendi quae speciem prae se ferrent novitatis, quam studio veritatis ex usu loquendi, ex universa sermonis serie, ex indole doctrinae Paulinae aliunde cognita sincere explorandae ducerentur. Doctores ecclesiae veteres Chrysost. Theophyl. Oecum. Euseb. (*contra Marcellum I, 1.*) Ambros. Augustt. interpretatione totius effati breviter defuncti sunt, non accuratius investigantes ambiguitatem in ipsa vocabulorum quorundam significatione et constructione positam. Successu temporis aliquam exstitisse sententiarum diversitatem ex Oecumenio potissimum cognoscimus. In eo consentiunt, quod effatum de mediatore (ὁ δὲ μεσίτης) universe enuntiatum in hac orationis serie eam vim habuisse existimant, ut aliquid de *Christo* Dei hominumque mediatore praedicaretur (unus Theodor. Mopsu intelligit), atque in vbb. ἑνὸς οὐκ ἔστιν ellipsin admittunt admodum facilem et in promtu positam: mediator non est unius (hominis s. partis) mediator. Recentius qui locum vexatum vel in commentariis epistolarum Paul. vel separatim tractaverunt, tramites ingrediuntur diversissimos, prouti 1) vel Paulum ex sua mente protulisse concedunt quae v. 20. leguntur, vel, nisi toto commate, in membro tamen priori adversarium loquentem induxisse coniiciunt; 2) vel Mosen sub μεσίτῃ intelligunt, vel Jesum Christum, vel universam mediatoris notionem, ita ut sententia enuntietur universa ad rem praesentem transferenda; 3) genitivum ἑνὸς vel sensu accipiunt substantivi, vel quod plerique praeferunt adiectivi ad substantivum tacite supplendum (quod diversimode suppletur) referendi; 4) praedicato, quod mediatori tribuitur ἑνὸς οὐκ ἔστιν, vel de persona, vel de conditione, vel de consilio et negotio huius μεσίτου aliquid enuntiari contendunt; 5) membro posteriori ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν sententiam vel phi-

losophicam s. dogmaticam inesse volunt, vel magis historicam, ad tempora Abraami vel legislationis Sinaiticae spectantem; 6) nexum quo v. 20. sequenti cohaereat vel sic vel aliter definiunt. In hac tanta interpretationum multitudine ex fontibus indicatis oriunda praecipue consulendi sunt, qui diversas virorum doctorum sententias collectas et ad genera certa revocatas examinaverunt: C. F. Bonitz *comment. plurimorum de loco Gal. 3, 20. sententiae examinatae, novaque eius interpretatio tentanta, Lips. 1800.* 8. Eiusdem *spicilegium observatt. ad locum Gal. 3, 20. Lips. 1802.* 8. C. Theoph. Anton *disp. locus Gal. 3, 20. critice historice et exegetice tractatus, Viteb. 1800.* 4. inserta collectioni: Pott *syllogo commentatt. theologg. Vol. V.* Christ. Zäsner *historisch-exegetisch-homiletischer Versuch über Gal. 3, 15—21. Nürnb. 1807.* 8. Theoph. Keil *septem progrr. proponitur exemplum iudicii de diversis singulorum scripturae s. locorum interpretationibus ferendi examinandis variis interpretum de loco Gal. 3, 20. sententiis, Lips. 1809 — 1812.* 4. inserta (cum additamm.) Keilii *opusculis acadd. coll. et ed. D. Goldhorn, Lips. 1821.* 8. *p. 211. sqq.* H. F. Weigand: ἑνὸς *in nobil. Pauli Gal. 3, 20. effato haud genitivo sed nominativo casu esse positum, examinatis aliorum 242. interpretum explicatt. docere studuit, Erford. 1821.* 8. Bened. Winer qui in *excursu III.* epistolae ad Gal. addito (ed. III. a. 1829.) sententias de hoc l. post Keilium prolatas acute examinavit suamque interpret. in comment. p. 88. sqq. breviter proposuit. Ad hos potissimum libros ablegamus eos lectores, qui iudicem desideraverint uberiorem interpretum qui huic effato expediendo operam singularem navarunt. Sufficiat, eos paucis commemorasse, qui, postquam Wineri commentarius prima vice prodierat, sententias novas commendaverunt: F. Lücke *noch ein Versuch über Gal. 3, 20. mit besonderer Rücksicht auf die Auslegungen von D. Winer, D. Schleiermacher* (in libro: Usteri *Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffs ed. I. p. 86. sq.*) *und Prof. Schmieder (nova interpr. loci Paul. Gal. 3, 19, 20. Numb. 1826.* 4.): *theol. Stud. u. Krit. herausg. v. Ullmann. u. Umbreit. 1. B. 1. H.*

1828. W. Hering: *Journal für Prediger Jahrg. 1829. p. 159. sqq.* D. Schulthess *theol. Nachrichten Jahrg. 1828. p. 59. sqq.* Andr. Keller: *Tübinger Zeitschrift für Theol. herausg. v. Steudel, Jahrg. 1830. 3. H.* D. Kern: *noch eine Erörterung von Gal. 3, 19. 20. ibidem.* H. Sack: *Versuch etc. Tüb. Zeitschr. 1831. 1. H.* Matth. Schneckenburger *Beiträge zur Einleitung in das N. T. und zur Erklärung s. schwierigen Stellen, Stuttgart, 1832. 8. p. 186. sqq.* Cfr. eiusd. commentatio: *theolog. Studien etc. v. Ullmann u. Umbreit. Jahrg. 1833. 1. H. p. 121. sqq.* Sententias Steudelii Kernii Sackii diiudicavit Winer: *Zeitschrift für wissenschaftliche Theol. 2. B. 1. H. 1833. p. 31. sqq.* Contra Steudelium et Winerum uberius nuper disseruit Schulthess in l. laud. *Engelwelt, Engelgesetz etc.* Equidem, quo uberius alii in hunc l. commentati sunt, eo maiori utar brevitate, ita ut, definiendis *legibus* certis interpreti h. l. praecipue observandis, argumenta patefaciam quibus persuasio mea iterum iterumque explorata aliisque multorum interprr. sententiis collata innitatur. 1) *Vbb.* ὁ δὲ μεσίτης h. l. *universam notionem cuiusque mediatoris exprimunt,* quemadmodum *Jo. 10, 11.* ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς s. *Romm. 1, 17.* ὁ δὲ δίκαιος dicitur. Cfr. de hoc usu articuli ante numerum singularem ad totum genus translatum Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 91.* Praedicatum enuntiatur quod de toto mediatorum genere valeat. Si Paulus sententiam in animo habuisset de uno Mose mediatore enuntiandam, rectius, opinor, et magis perspicue scripsisset vel: ὁ δὲ ἑνὸς οὐκ ἔστιν (omissa voce μεσίτης propter v. 19.) vel: οὗτος δὲ μεσίτης etc. nec formam praesentis ἐστὶν de Mose usurpavisset. Quo minus de Jesu Christo mediatore Dei et hominum h. l. aliquid praedicavisse existimetur, vbb. proxime praegressa impediunt (cfr. supra ad v. 19. sub finem obss.). *Quamquam vero de quovis* μεσίτῃ *sermo est, sententiam tamen de hoc genere enuntiatam haud dubie Paulus aliquo modo transferri et applicari voluit ad ea quae modo de lege Mosaica per mediatorem disposita dicta fuerant.* Sic enim statui iubet ipsum v. 20. initium verbis postremis v. 19. accurate collatum. Proinde neque cum iis facere possumus

qui vertunt: *hic autem mediator, Moses, non ad unam tantum partem pertinuit* (cuius esset mediator), *sed una (altera) pars fuit Deus* (quod nonnulli existimant obiectionem continere adversarii hoc probaturi, eundem Deum qui per *μεσίτην* legem Mos. promulgaret non potuisse aliquid legi contrarium *pro salute ethnicorum* constituere, cui obiectioni deinde v. 21. respondeatur); neque cum Steudelio (vd. Bengel *Archiv für die Theologie etc. 1. B. 1. St. 1815.* coll. *Tübinger Zeitschrift für Theol. 1830. 3. H. p. 148. sqq*) sententiam v. 19. 20. hoc modo declarante: quo tandem consilio (inquit adversarius) lex Mos. lata? an forte, ut opportunitas esset transgrediendi legem, insuper addita est, donec veniret proles cui promissio facta — illa, inquam, lex per angelos constituta manu mediatoris? (respondet Paulus) *sed hic mediator Moses non fuit mediator unius seminis*, multitudinis collectae eorum qui per *πίστιν* sunt posteri Abraami, *Deus autem est unus*, omnium gentium Deus, non eiusmodi Deus qui Judaeis ita faveat, ut irritum reddatur promissum antiquius [cui interpretationi insuper obstat *a)* ellipsis quam statuit genitivi *σπέρματος*, eiusque de posteris Abr. tropice dictis interpretatio, cfr. ad v. 16. observv.; *b)* quod *ἑνὸς* in membro priori arbitrarie pro *ἑνωθέντος*, in membro posteriori sensu proprio sumitur; *c)* quod versum 20. nihil antecessit, quod notionem illam multitudinis ex diversis partibus in unum collectae adduceret; *d)* quod totum comma 19. pro interrogatione adversarii contortius habetur]; neque cum Kaisero *partic. II. commentationis de apologeticis ev. Jo. consiliis etc. Erl. 1824. p. 7. sqq. nota 8.* sic interpretante: *hic mediator Moses non est unius* (eines Einzigen) *filius, Deus autem* (nempe) *est unus*, non Moses aequiparandus Christo, Dei filio unigenito (ubi durior quoque apparet ellipsis vocab. *υἱὸς*, quum antea de ratione mutua patris et filii omnino non sermo fuisset); neque cum Wilkio *spicil. observatt. ad locum Gal. 3, 20. Cizae, 1814. 4.* vertente: *unius mediator nullus est*, duarum potius est partium, quarum ab altera pendet propositio, ab altera acceptio, mediator duplicem quasi personam agit, sed longe secus se habet in Deo, *Deus est unus* qui et proponit

et ratum facit (quanquam enim haec versio indolem *universalem* enuntiationis: ὁ δὲ μεσίτης etc. recte tenet, minime tamen eiusmodi sententiam exhibet, quae ad legislationem Sinaiticam recte possit transferri, siquidem μεσίτης v. 20. non eodem sensu quo Moses re vera fuit mediator divinae tantum voluntatis precumque populi interpres, sed alio sensu intelligitur de intercessore duas partes sibi contrarias conciliante). 2) *Quae verborum coniunctio primo obtutu lectori sponte offertur* ὁ δὲ μεσίτης *(subiectum)* ἑνὸς οὐκ ἔστιν *(praedicatum) interpreti tenenda, neque cum alia quavis permutanda, necessitate nulla urgente.* Unde v. c. probari non possunt, qui membrum prius hoc modo struunt: ὁ δὲ *(hic vero Moses) non est* μεσίτης *unius* (partis, s. quodcunque h. l. suppleri voluerint). Nec simplicitatis et facilitatis laude eiusmodi interpretatio commendatur: *ille mediator unius non amplius est*, i. q. nihil amplius valet (obstat insuper membrum oppositum ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν ubi in promtu est εἶναι sensu proprio dici), vel: *ille mediator unius non ipse est immutabilis*, ubi facile patet, quam arbitrarie ad vbb. οὐκ ἔστιν suppleatur εἷς, alio quidem sensu intelligendum quam antea dictum fuerat ἑνός. 3) *Genitivus* ἑνὸς *ad genitivum substantivi cuiusdam cogitando addendi referatur necesse est.* Neque enim ἕν in libris N. F. tanquam substantivum usurpatur, ita ut h. l. recte vertatur: *mediator non pertinet ad unitatem quandam*, nec facile cuiquam probatur coniectura Weigandi (in comment. supra laud.) pro ἑνὸς legi iubentis nominativum adiectivi ἕνος h. s. *non amplius exstat mediator ille annuus* sacerdos summus Judaeorum. (Sufficiat cum Winero opposuisse, ἕνος nunquam significare annuum, sed annotinum, heuerig). *Cavendum vero, ne suppleas, quod neque ipsa rei de qua sermo est natura et indoles, nec series orationis sponte adducere videatur.* Durius v. c. cogitando additur τρόπου, quod praeter Harrasium (*Eichhorn Bibliothek der bibl. Litter. Vol. IX. part. 1.*) nuperrime Heur. Sack probavit in comment. supra laud. h. s. *mediator quidem non est unius eiusdemque indolis* (non idem in lege, qui in evangelio), *sed Deus* utriusque foederis auctor *idem est.*

Quo iure hoc potissimum suppleretur, doceri recte non potuit. Nec omnino pertinuit ad consilium argumentationis Paulinae, ut huius discriminis legis et evangelii in diversitate mediatorum positi mentio separatim fieret, quum iam exposita fuissent quae v. 17. 18. 19. legimus. Durius cogitando additur *νόμου* cum Borgero ad h. l. cuius interpretatio Koppianae admodum est similis: (respondet Paulus v. 20. obiectioni hominis Judaei, verbis v. 19. oblique indicatae) *at vero interpres non est solius legis Mosaicae*, suum quoque interpretem habet religio Christiana, *sed unus tamen idemque Deus est*, idem et Mosen et Christum legavit. Quum Paulus in sectione anteced. de una tantum lege (Mos.) disseruisset nec vocem *νόμος* ad doctrinam Christ. transtulisset, omnino non patet, quomodo lectores in vbb. *ἑνὸς οὐκ ἔστιν* de voc. *νόμου* hoc sensu duplici subintelligendo cogitare potuerint. Nec probanda ellipsis *τοῦ σπέρματος*, quae fuit Steudelii loco supra laud. Reussii *animadverss. ad loca sacri cod. difficiliora etc. Gissae, 1817. 4.* aliorumque sententia. Etenim quod v. 19. dicitur Abraami *σπέρμα* idem est *σπέρμα* certum ac definitum, quod Apost. v. 16. commemoraverat hac addita interpretatione *ὅς ἐστι Χριστός*. Quodsi hoc sensu *σπέρματος* ad *ἑνὸς* subintelligi voluisset, scribendum omnino fuisset (quod dudum Bonitz Anton Kell in commentt. laudd. verissime observv.) cum articulo *τοῦ ἑνὸς τούτου* s. *ἐκείνου*. Nec perspicuam dixerim rationem huiusmodi sententiae: mediator (s. ille mediator, Moses) non pertinet ad unum illum ex posteris Abraami, Jesum Christum. Aliter vero quam de persona Christi hoc *σπέρμα* intelligi non posse ad v. 16. docuimus. Facilis est et expedita, veluti sponte profecta ex ipsa cogitatione mediatoris (inter duas quippe partes aliquid transigentis) ellipsis vocab. *μέρους* s. *ἀνθρώπου*: *mediator non est unius tantum partis (mediator), s. non pertinet ad unum tantum hominem. 4) Nexus utriusque membri et indoles argumentationis Paulinae postulat, ut voculae εἷς in utroque membro eadem significatio vindicetur.* Hoc argumentum obstare putaverim interpretationibus Borgeri, de quo supra diximus, Bertholdti (*krit. Journal der neuesten theol. Lit-*

ter. Vol. V. p. 837. sqq.): hic vero mediator, Moses, non fuit mediator Abraami, illius qui unicus in litteris sacris (Ezech. 33, 24. Malach. 2, 15.) appellatur, attamen idem est Deus qui et Abraamo dedit promissum et legem tulit, unde patet, per legislationem Mos. tolli non potuisse promissionem (quae explicandi ratio praeterea his premitur difficultatibus, quod neque legi L. conveniat, neque omissionem articuli ante *ἑνὸς* defendere possit, nec argumentis idoneis demonstret, Abraamum apud Judaeos simpliciter unicum esse appellatum, ut alia taceamus, cfr. Winer exc. III. p. 197. sq.); Bonitzii comment. supra l. (obiectio adversarii) *at enimvero hic mediator, Moses, non est unius partis mediator, nam Deus est una pars*, i. e. non fuit populi tantum mediator, nam Deus est altera pars, Dei quoque fuit interpres, divinam habet auctoritatem legislatio Mos. ita ut nequeat per Christum abrogari Quanquam haec Bonitzii interpr. quod verba *ἑνὸς οὐκ ἔστιν* et nexum v. 20. cum 21. attinet prae aliis multis facilitate sua commendatur, in eo tamen offendimus quod *ὁ δὲ* pro *οὗτος δὲ* accipitur et vocula *εἷς*, in membro quidem priori *de unitate numeri* intellecta, posthac *alterum ex duobus* significare existimetur. *5) Prius membrum pariter atque posterius vel sententiam eloquitur universam ad rem praesentem transferendam, vel enuntiationem continet ad tempora certa pertinentem.* Ipsa enim vocula *δὲ repetita* ususque eiusdem formae temporis praes. *ἔστιν* membrum posterius adfirmans priori neganti ita opponit, ut omnino praestet, utrumque eiusdem habere generis, quam eidem versui 20. partim sententiam tribuere universalem partim historicam. Quo quidem incommodo, praeter aliorum sententias, ipsa premitur Wineri interpretatio: (interposita sunt vbb. v. 20. at legis Mos., cuius auctoritatem Paulus vbb. *τῶν παραβ. χάριν προσετέθη* v. 19. aliquantulum elevaret, origo divina eiusque vis in gente hebraica illustraretur) *mediator non est unius partis* mediator, *Deus autem est unus*, una (altera) tantummodo pars, itaque quaenam est altera pars? gens hebraica; unde efficitur, legem Mos. pertinuisse ad Judaeos huic agendi normae adstringendos. Sic membro quidem priori verissime sententia vindicatur quae ali-

quid enuntiet de toto mediatorum genere; posteriori minus recte sent. *historica*, de ratione qua Deus ad populum se habuerit in legislatione Sinaitica. Recurrit item, quum εἷς in vbb. ὁ δὲ θεὸς etc. pro ἕτερος sumatur, eadem difficultas, quam interpretationi Bonitzio probatae opposuimus. Accedit, quod formae *praes.* ἔστιν in membro posteriori significatio imperfecti tribuitur, nec facile patet, quare Apostolus, si v. 20. docere vellet Judaeos legi Mos. observandae fuisse obligatos, maluerit hanc sententiam lectoribus concludendo intelligendam relinquere quam aperte enuntiare, aut quomodo ex illa enuntiatione: Deus fuit altera pars in foedere per Mosen sancito, *per se spectata* necessario hoc colligatur, *gentem potissimum Israelit.* fuisse alteram partem. *6) Si concessum fuerit, membro priori sententiam inesse universam, quae ex mente Apostoli ad quaestionem de lege Mos. transferri debeat, minime existimandus est Paulus membro posteriori ea dixisse, quae tantummodo ad quaestionem de promissione Abraamo data applicanda essent. Immo verbis* ὁ δὲ θεὸς εἷς ἔστιν *de Deo universe aliquid praedicare voluit, quod vel pariter atque enuntiatio prior ad legislationem tantum Mosaicam, vel ad utrumque et legislationem et promissionem simul transferri deberet. Alioquin minus perspicua evaderet nec accurate sibi constaret quae v. 20. innititur argumentatio.* Haec regula prohibet, quo minus calculum addamus sententiis Keilii (opuscc. acadd. p. 305. sqq.) et Schleiermacheri, diiudicatis in commentatione Lückii supra laudata. *Prior* quidem horum intt. totius effati sensum et argumentationis Paulinae seriem hoc modo exhibet: *mediator non est unius* (duarum certe partium), *Deus autem* qui Abraamo fausta promisit *unus modo fuit.* Docetur his vbb. in legislatione Mos. pactum mutuum Deum inter atque populum Israelit. mediatoris opera intercedente initum fuisse, contra in promissione rem ab unius tantum (Dei qui solus eam dederit) voluntate pendentem transactam, ideoque legi nihil plane rei fuisse cum hac promissione, nec potuisse lege novam huius promissionis implendae conditionem constitui, qua promissio tolleretur. *Posterior* eandem viam ingressus est, nisi quod nexum v. 20.

et 21. facilius expedit, in eo quippe acquiescens quod Paulus docere voluerit, διαθήκην promissionis Abraamo ex gratia libera datae indole sua et consilio prorsus differre a διαθήκη legislationis (foederis mutui), ideoque non potuisse alterum alteri repugnare. Utrique obstat, quod Paulus, si hoc esset demonstraturus, parum perspicue scripsisset ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν, siquidem his vbb. nihil omnino inesse videmus, ex quo lectores colligere possint ac debeant, Apostolum h. l. *de ea tantum Dei virtute et efficacitate* cogitari voluisse, quae vim suam exsereret *in promissione Abraamo data*. Quum verba priora ὁ δὲ μεσίτης etc. collata commati 19. in animo cuiusque lectoris facile excitavissent cogitationem *legis* Mosaicae, alio modo pergere debebat oratio Apostoli, si membro posteriori sententiam esset enuntiaturus, quae veluti antithesis ad *solam* transferretur *promissionem* omnemque legis ac foederis cogitationem amoveret. Immo ne satis accurate quidem legem *tanquam foedus* (pactum mutuum) *opposuisset* promissioni, quae et ipsa *Genes. 15, 18. 17, 2. 7. sqq. al.* formam habuit foederis. Eadem regula *sexta* obstat interpretationi Rinckii: lucubratio crit. in Acta App. epistt. catholl. et Paulinas Basil. 1830. ubi p. 137. haec leguntur: mediator legis et Deus auctor promissionis sibi sic opponuntur: notio mediatoris qui non uni contingit iam discrepantiam quandam inter Deum et homines adesse innuit, sed Deus est unus, cui homines ad divinam unitatem consensumque revocandi neque voluntas nec facultas deest, mediator in dissidiis officio fungitur, Deus ad unitatem tendit. Eundem fere tramitem iniit interpres recentiss. Matthies in comment. p. 74. sqq. *7) Verba priora commatis seq. 21.: ergone lex contraria est promissis Dei? quam interrogationem illico excipit formula graviter negans: absit hoc, utique postulant, ut totum comma 20. eiusmodi sententiam primariam continere existimetur, quae opportunitatem praebuerit interrogationi v. 21. excitatae atque refutatae.* Quaecunque interpretatio huic legi parum satisfacit, facilitatis et simplicitatis laude minus commendatur. Proinde a vera Pauli sententia haud dubie aberraverunt, qui Apostolum v. 20. aliquid putant dixisse, quo *deprimeretur* auctoritas et

dignitas legis Mosaicae, v. c. Chrysostomus et Theophyl. (quum Christus non sit unius sed duarum partium mediator, Dei hominumque, patet inde, legem Mos. per eundem qui dedisset abrogari etiam potuisse) recentius praeter nonnullos, quorum sententias in explicandis legibus ceteris praesertim 1. et 2. impugnavimus, Schmieder in comment. supra laud.: quivis minister vel multorum est vel unius, *atqui mediator* (angelus ille mediator de quo Schmiederum cogitari voluisse ad v. 19. vidimus) *non est unius*, ergo est multorum (angelorum) minister, qui multorum est minister, ad quod genus mediator pertinet, non est unius, *atqui Deus* (absolute) *unus est*, ergo cum multorum sit mediator, non est Dei minister, ideoque lex per angelos eorumque mediatorem promulgata inferior est evangelio. Quodcunque Paulum v. 20. protulisse putaveris ad minuendam legis Mos. auctoritatem, *ex eo* colligere profecto non poterat adversarius, quod v. 21. tanquam *consequens* (οὖν) interrogando enuntiatur, legem utique vim habere pugnandi cum promissione, eamque vel plane tollendi vel immutandi. Eadem de causa nequeo vel Schulthessio adsentiri in comment. laud. vertenti: *ille autem* (Moses) *non unius est* (fuit) *mediator*, siquidem lex per angelos data, *iam vero Deus est unus*, unde patet, Mosen non esse mediatorem Dei habendum (obstat insuper quod partim supra ad legem 2. observavimus partim ad v. 19. contra sententiam de lege Mos. ab angelis profecta), vel Hermanno (*comm. l. de ep. ad Gal. p. 12. sq.*) mentem Apost. sic intelligenti: *interventor non est unius* (ad duos certe pertinet); *Deus autem unus est; ergo apud Deum cogitari non potest interventor* (esset enim qui intercederet inter Deum et Deum), siquidem Deus est veluti testator, cuius unius ex voluntate nemine intercedente hereditatem capiat heres, vel Schneckenburgero in libro laud. explicanti: *eiusmodi vero* μεσίτης qualis in legislatione provinciam suam gessit *non est mediator unius* cuiusdam. *Deus autem est unus*, lex Mos. per angelos data non eiusdem est quam promissio habet originis divinae. Probari porro non possunt eorum interpretatt. quibus Apostolus v. 20. aliquid protulisse videtur, quod eandem sententiam quae v. 21.

demum tractatur, necessario iam involveret, promissionem haud sublatam esse per legem. V. c.: *hic verǫ mediator* (Moses) *non est mediator unius*, i. e. unitatis illius quam Judaei et Ethnici nunc per Christum collecti efficiunt s. *populi* in unum conflati *Gal. 3, 28.*, immo Judaeorum tantum ac Dei, *Deus autem est unus*, idem et Judaeorum et paganorum Deus, unde lex illa cuius causa Moses prodiit mediator non potuit irritam reddere promissionem ad illud ἑν spectantem (vd. Klemm *Versuch über die schwere Stelle Gal. 3, 20. 1794.* Obstat insuper lex 1. et 3.). Sive: *quivis mediator non est unius* hominis s. partis, ubicunque mediator locum habet, duarum partium ratio est habenda, unde patet, quum Moses dicatur μεσίτης, pariter esse de populo Israelitico atque de Deo cogitandum, *Deus autem est unus* Ethnicorum pariter atque Judaeorum, quo efficitur, Deum, etsi cum populo Israelit. foedus per Mosen inierit, minime tamen abrogari voluisse promissionem Abraamo datam (vd. H. Lang *zur Beförderung des nützlichen Gebrauchs des Tellerischen Wörterbuchs des N. T. T. III. Ansbach, ed. II. 1792.* sub v. *Mittler*). Sive: *hic mediator Moses non fuit unius mediator*, siquidem lex per angelos data, *attamen quod Deus dicit sic se habet: unus est ad quem promissio pertinet*, unde cognoscimus, prorsus a vero aberrare si quis putaverit, ipsum Mosen fuisse illam Abraami prolem, de qua promissio ageret divina huiusque promissionis eventum obnoxium factum esse observationi legis Mosaicae (Hering in comment. supra laud. Ea quidem interpretatione nullam facile cogitari posse magis coactam et arbitrariam, non est quod fusius ostendamus, vd. Keller in comm. l.). His omnibus, et quicunque locum vexatum simili modo interpretari voluerunt, recte opinor, hoc opinamur, Apostolum dubitationem illam quae v. 21. profertur 20. *praeparare* tantum, non ipsam vel sermone perspicuo quantitatam vel tacite subintellectam excitare voluisse. Attendamus insuper ad negationem μὴ γένοιτο, quae v. 21. dubitationem illam interrogando excitatam ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ; ita excipit ut pateat, hanc interrogationem nequaquam habere vim negandi, sed meram esse

dubitationem, ex mente hominis prolatam, qui, eiusmodi argumento usus, quale v. 20. continet, vere colligat, promissionem Abraamo datam per legem serius latam tolli potuisse. Hac de causa eorum quoque explicationes minus probandas putaverim, qui Apostolum v. 20. argumentum innuere volunt quo doceri possit, legem minime repugnare promissioni. V. c.: *Mediator unius non est*, mediatoris notio duos requirit, alterum mandantem alterum referentem mandata, *Deus vero unus solus est* qui promisit, atque haec diversitas rationis, qua Deus in promulganda hinc lege hinc promissione usus fuit, utriusque instituti consilium arguit plane diversum (Storr *progr. de consensu epistt. Pauli ad Hebrr. et Gal. Tub. 1791. p. 15. sqq.*). Sive: *Jam vero non unius tantum* (legis Mos.) *fuit mediator*, plures fuerunt mediatores, praesertim Christus, *sed unus tamen idemque Deus est*, qui misit omnes, qui non potest secum ipse pugnare (Koppe ad h. l. cui insuper obstat lex 3.). Sive: *ille vero, Moses, non est mediator immutabilis* rei scil. legis, *at Deus est immutabilis* (Anton in comment. supra laud. cui insuper legem 1. opponimus). Sive: *mediator quivis non est unius* partis, ad duas ubique pertinet, *Deus autem est unus*, ita ut sui ipsius causa nullo μεσίτῃ indigeat; mediatoris illius, per quem lex Mos. promulgata est, provincia ad *duas* pertinuit *partes*, Deum populumque foedere Deo iungendum, attamen, ut *ipsum Dei institutum* (promissio) cum altero unius eiusdemque Dei instituto (lege) conciliaretur. nullo opus fuit mediatore (Keller in comm. supra laud., cuius sententiae simillima est quam supra indicavimus Hermanni interpretatio, simplicior ea quidem ac facilior, quum illa Kelleri plura paulo difficilius cogitando iubeat suppleri). Hi omnes et quicunque simili modo argumentationem Pauli expediunt, interrogationi v. 21. sequenti *negationem* tribuere debent ex v. 20. derivandam (wie sollte oder wie könnte denn also das Gesetz entgegenstehen den Verheissungen?). Sed negatio eademque gravis exprimitur demum vbb. μὴ γένοιτο. Proinde quum interrogatio illa rectius habeatur dubitatio mera ad repugnantiam legis et promissionis asserendam proclivis, necesse est versui 20. sententiam vindicemus ex qua eiusmodi

dubitatio nexu cogitationum facili derivetur. Hoc nomine commendantur omnino interpretandi tentamina, quae Bonitz Winer aliique exhibuerunt. Attamen horum sententiis alia argumenta obstare, supra in explicanda lege 4. et 5. vidimus. Ingeniosa apparet quam nuper V. Kern exhibuit (in comm. supra l.) interpretatio: (vbb. habentur adversarii legem Mos. in perpetuum valituram defendentis) *mediator quivis non est unius tantum partis*, inter duas partes aliquid transigit, quae officiis certis obstringuntur, *iam vero Deus est una pars* in legislat. Mosaica, Deus quoque officium suscepit, homines, si legi Mos. satisfecerint, beatos reddendi. Ex his utique derivari poterat interrogatio v. 21.: siccine lex Mosaica, qua Deus veluti provinciam ipse sibi imposuit homines *propter ἔργα νόμου* felices reddendi, pugnat cum promissione olim data? Verum enimvero nexus quo versus 21. hac ratione probata versui 20. coniungitur mihi quidem minus apparet facilis, quum illa officii cogitatio cui Deus se ipse veluti obligaverit haud dubie magis perspicue exprimi debuisset, quam vbb. *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν*. Nec legi 4. haec ratio satis accommodata videtur. Subiungere paucis liceat meam de loco vexato recte expediendo persuasionem (forsitan hic illic iam propositam, ingenue enim profiteor, me totam illam sententiarum de hoc loco diversitatem mente atque memoria complecti non potuisse). Equidem, septem legibus descriptis obsequutus, consilium Pauli hoc fuisse existimo, ut aliquid diceret de legislationis Sinaiticae, foederibus humanis multum praestantis, auctoritate atque dignitate ex ipsa (non Mosis quidem, sed) Dei auctoris legis Mos. natura intelligenda. Quanquam vocab. *εἷς per se spectatum* non significat rem hominemve immutabilem, facile tamen haec cogitatio *eius qui sibi constat et idem manet* pro certa quadam orationis serie *adnectitur* significationi propriae, cfr. *Romm. 3, 30. Philipp. 1, 27.* De mutatione seu abrogatione dispositionis sancitae s. foederis sermo fuerat v. 15. 17. sqq. His praeeuntibus nemo facile in eo offendat, quod vocabulo *εἷς* in utroque membro v. 20. notionem immutabilitatis s. constantiae adhaerere dicamus. *Εἶναι* vero *τινος* h. l. eodem, opinor, sensu usurpatur quo *I. Corr. 1, 12. 3, 4. a partibus alicuius stare, ei ad-*

dictum esse. Sententia: *Mediator quidem non uni tantum (eidemque immutabili) addictus est* homini s. parti, i. e. in quavis, causa humana quae mediatore indiget *duae* certe adsunt *partes* quibus *μεσίτης* inserviat, sive res inter duos tantum homines singulos transigatur sive multitudo sit ingens eorum qui alterutram vel utramque partem constituant (v. c. populus) — ubi plures immo multi *eiusdem foederis* participes sunt et fiunt (praesertim ubi maxima est singulorum vicissitudo, dum mortuis succedunt posteri), facile etiam, mutatis animorum consiliis atque propositis, foedus mutatur aut tollitur, *μεσίτη* cuius ope constitutum fuerat haud impediente — proinde ex eo quidem, quod lex Sinaitica *ἐν χειρὶ μεσίτου* promulgata est (v. 19.), non sequitur, auctoritatem ei competere perpetuam [his vbb. Paulus corrigere voluit perversam eorum opinionem, qui in defendenda legis auctoritate perpetuum valitura ad personam *Mosis* mediatoris provocarent] — *attamen Deus est unus*, qui semper idem manet Deus immutabilis, foedus legislationis Sinait. non fuit humanae sed divinae auctoritatis, neque ab arbitrio hominum sed a voluntate Dei pendebat immutabilis. His perpendendis quaestio excitabatur (v. 21.), an forte haec legislatio Sinaitica auctoritate *divina* insignis *ipso Deo iubente* promissionem Abraamo datam eiusmodi limitibus circumscribere (mutare) voluerit, ut non amplius esset promissio cuius eventus liberae tantum Dei gratiae adnecteretur? Quanquam etiam haec interpret. postulat, ut nonnulla suppleantur ad integram Pauli argumentationem recte intelligendam (quod adhuc omnes, quantum memini, fecerunt interpretes), nullam tamen vel voculae vel sententiae ellipsin admisisse mihi videor, quae durior posset videri. Nodum dissecare potius quam solvere dixerim eos qui totum comma 20. spurium habent ex glossematibus mature adscriptis oriundum. Etenim quod nuperrime V. Lücke in comment. supra laud. huic coniecturae praecipue favere existimavit silentium, quo Irenaeus Clemens Alex. Origenes hunc versum in iis librorum suorum sectionibus transierint, quae opportunitatem idoneam praeberent versus 20. explicandi et adhibendi, facile potest ex ipsa huius comm. ambiguitate et difficultate intelligi, qua plures antiquio-

rum eccl. doctorum prohibebantur, quo minus vel usum loci facerent in argumentationibus dogmaticis vel dictum ambiguum subtilius et copiosius interpretarentur.

Profertur iam dubitatio ex iis oriunda, quae Apostolus v. 20. de auctoritate legislationis Sinaiticae ex ipsa Dei natura intelligenda monuerat. Quam dubitationem Apost. ita removet, ut doceat, quamvis haec utraque Dei oeconomia (et legislatio et promissio) indole sua et efficacitate ab altera differat, nullam tamen earum repugnantiam esse qua legislatio tollat promissionem, immo utramque alteri cohaerere nexu divinitus instituto quo legislatio oeconomiae Christ. inservierit praeparandae. Ostendit (ut verbis utamur Ambros. ad v. 21.) legem non inimicam esse promissioni sed eam confirmare.

V. 21—24. *Ὁ οὖν νόμος κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ θεοῦ; μὴ γένοιτο· εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, ὄντως ἐκ νόμου ἂν ἦν ἡ δικαιοσύνη.* (v. 22.) *Ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑφ' ἁμαρτίαν, ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῇ τοῖς πιστεύουσιν.* (v. 23.) *Πρὸ τοῦ δὲ ἐλθεῖν τὴν πίστιν ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα συγκλειόμενοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι·* (v. 24.) *ὥστε ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστόν, ἵνα ἐκ πίστεως δικαιωθῶμεν.*

V. 21. *Ergone lex contraria est promissis Dei?* ita ut *τὴν ἐπαγγελίαν* irritam reddere (*καταργεῖν* v. 17.) possit ac debeat? Nota est inter omnes locutio *εἶναι κατά τινος*, adversari, *Matth. 12, 30. Gal. 5, 23. Romm. 8, 31.* Vd. Vigerus *de idiot. graecae dict. ed.* Herm. *1820. Vol. II. p. 630.* De formula graviter negante *μὴ γεν.* ad 2, 17. vid. Argumentum sequitur: *εἰ γὰρ ἐδόθη* etc. Quod Paulus supra v. 8. verbo *εὐλογεῖσθαι*, v. 14. *ἐπαγγελίαν πνευμ. λαμβάνειν*, v. 18. *κληρονομία* indicaverat (participem fieri bonorum promissorum), hoc commate dicitur *vita donari*, ratione quidem habita dicti superioris v. 11. *ὁ δικ. ἐκ πίστεως ζήσεται*, ubi Paulus, quae loco V. T. de salute externa enuntiata fuerant, ad notionem vitae sublimiorem Christianam transferebat. Quemadmodum hebraico חַיִּים haud raro felicitatis notio

adnexa est *Ps. 34, 13. Proverbb. 4, 22. sq.*, ita ζωὴ in sermone sacro Pauli potissimum atque Joannis de vita usurpatur, quae sensu praestantissimo vita dicitur, de conditione felici eorum qui Deo probati sunt redditi huiusque favoris divini conscientiam habent laetificam, ita ut modo de eo cogitetur statu, in quo οἱ δικαιωθέντες in hac ipsa terra versentur, non amplius mortem tanquam poenam considerantes nec miseriam metuentes futuram, sed spem tenentes laetissimam salutis olim futurae, *Jo. 5, 24. I. Jo. 3, 14.*, modo de vita olim in regno Dei futura, praesertim ubi αἰώνιος additur, *Gal. 6, 8. Romm. 6, 23.* aliisque locis permultis et epistt. et evangg., modo de utroque *Jo. 6, 53. sq. Romm. 7, 10. 8, 2. 6.* Proinde ζωοποιεῖν (profanis quoque haud incognitum) proprie: vitam aliquem donare, ubi de mortuis vitae restitutis aut restituendis sermo est, *Romm. 4, 17. 8, 11.*, significat etiam: auctorem esse illius conditionis beatae, in quam transeunt homines Deo probati *Jo. 5, 21.* (ubi distinguitur ab ἐγείρειν τοὺς νεκρούς) 6, 63. *II. Corr. 3, 6.: Etenim si lex Mos. data esset* tanquam eiusmodi lex *quae posset homines* (observanda lege) *reddere felices*, si hoc vere esset in natura et consilio legis positum, ut homines omnibus quae in lege praescripta sunt exacte satisfacientes salutem sibi compararent (quo facto utique per legem sublata esset promissio, tanquam promissio salutem liberae adnectens gratiae Dei), *re vera*, non tantum ex sententia quam vanam dico illorum Judaismo faventium (ὄντως *Luc. 24, 34. Jo. 8, 36. Xenoph. Symp. c. 9. §. 5. Plat. Phaedrus c. 62. p. 259.* ed. Heindorf.), *ex lege oriretur conditio qua Deo probaremur*, cui ζωὴ adnexa est. Δικαιοσύνη ἐκ νόμου i. q. διὰ νόμου c. 2. v. 21. quemadmodum v. 16. δικαιοῦσθαι ἐξ ἔργων νόμου. [Magnopere fluctuant libri mss. in vbb. ὄντως — ἦν. Vulgo: ὄντως ἂν ἐκ νόμου ἦν. Codd. *Aug.* et *Boerner.* omittunt ἄν et ἦν. Cod. *Claremont.* cum aliis quibusdam minoris momenti solum ἄν omittit. Nonnulli ὄντως ἐκ νόμου ἦν ἄν. Codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr.* ordine inverso: ὄντως ἐκ ν. ἄν ἦν, quam script. cum Lachmanno recepimus, quum voc. ἄν commodissime excipiat verba ἐκ νόμου, in quibus vim sen-

tentiae praecipuam esse videmus. Transpositio vocularum ἂν ἦν pariter atque omissio in hac litterarum similitudine ex erroribus calami facile oriebatur. Alioquin non. dubitarem lectionem praeferre brevissimam ὄντως ἐκ νόμου.] Attamen, pergit oratio, secus se habere, neminem legi exacte satisfacere, ideoque legem haud adferre δικαιοσύνην, scriptura sacra ipsa testatur, v. 22. Ἀλλὰ συνέκλεισεν etc. Συγκλείειν proprie significatum obtinet *simul* (una) sive *ab omni parte claudendi, concludendi, includendi*, ita ut vel ad plures multosve referatur, vel ad unum cuius partes cogitentur singulae. Sic adhibetur de iis quae securitatis causa occluduntur, v. c. urbibus s. portis *LXX. Josuae 6, 1. Jes. 45, 1. Herodian. VIII, 8, 18.*, de iis quae colliguntur, et ad usum certum reconduntur *Luc. 5, 6. Sirac. 29, 12.*, de iis qui vinciuntur et vinculis clausi tenentur *Tobiae 8, 4.* Fluit inde potestas verbi συγκλ. his cognata: rem hominemve imperio alicuius tradere, efficere ut ab aliquo pendeat, sequente vel εἰς τι vel ὑπὸ τι, *I. Macc. 3, 18. 4, 31. LXX. Ps. 31, 8. Ps. 78, 50.* (εἰς θάνατον συνέκλεισε) hebr. סָגַר sive הִסְגִּיר sq. בְּיַד s. לְ s. אֶל. Cfr. *Romm. 11, 32.* ubi de Deo dic. συνέκλεισεν τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν h. s. omnes omnino in contumaciam delabi (ei obnoxios fieri) passus est. Neque profanis haec dicendi ratio incognita, *Diod. Sic. 20, 74.* Vitiositas universe spectata ἁμαρτία *(Gal. 2, 17.)* tyranno comparatur qui potestati suae omnes subiecit, cfr. ad sententiam *Romm. 3, 9. sqq. 5, 12. sqq. 7, 8. sqq.* Paulo audacior est locutio Apostoli (similis illi *Hebr. 7, 3.*: Melchisedecus sacerdos manet, pro: mansurus in perpetuum dicitur in litteris sacris): *ipsa scriptura sacra* V. T. *omnes* (πάντα cum emphasi pro πάντας ἀνθρώπους, siquidem genus neutrum praecipue aptum est notioni universalitatis excitandae, *Col. 1, 20. Ephh. 5, 13. I. Jo. 5, 4.*) *sub peccatum conclusit*, i. q. omnes excepto nullo vitiositati obnoxios esse docuit. Plerique hoc posterius referunt ad effata V. T. quae docent omnes peccare, v. c. *I. Regg. 8, 46. Ps. 14. Ps. 53. al.* Ex sententia Hermanni (comm. l. *de ep. ad Galatas p. 15.* ubi plura obveniunt de serie argumentationis Pauliuae acute observata) hoc potius animo Pauli ob-

versatum est, per legem demum recte cognitum esse peccatum et culpam humanam *Romm. 7, 7. 8.* Concedo id *maxime* facere ad rem propositam probandam, legem Mos. non ita se habere, ut hac observanda homines Deo probentur. Sed haec ipsa sententia tam arcte cohaeret illi (in ep. ad *Romm. 3, 9—19.* uberius pertractatae): scriptura sacra testante omnes sunt vitiosi, ut Apostolum h. l. etiam de hoc scripturae testimonio cogitasse existimem, praesertim quum vocem per se latius patentem ἡ γραφὴ (*συνέκλεισεν τὰ πάντα* etc.) adhibuerit nequo scripserit ὁ νόμος. Ipsa V. T. doctrina et oeconomia, Christianam praeparans, vitiositatem hominum (et, quod inde sequitur, miseriam peccato coniunctam vitae ex δικαιοσύνη oriundae oppositam) prorsus patefecit, praesidio nullo impetrandae τῆς δικαιοσύνης monstrato, ἵνα ἡ ἐπαγγελία etc. *ut res promissa* (salus ἐπαγγελία v. 14.) *per fidem Jesu Christo habitam* (vd. 2, 16. 20.) *contingeret fidentibus*, ut ratum esset et palam intelligeretur, conditionem qua Deo probemur et (quae inde pendeat) salutem non effici lege Mos. observanda sed fide Christo praebenda. Gravitatis sententiae causa, quanquam coniunctio salutis impetrandae cum πίστει satis dilucide vbb. ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως Ἰ. Χρ. δοθῇ declarata fuerat, sub finem tamen additur τοῖς πιστεύουσιν, *Romm. 1, 17. Philipp. 3, 9.* Aliter nexum huius commatis explicuit Rückert: scriptura autem sacra testatur, Deum homines omnes vitiositati tradidisse (ita ut etiam Judaeos, quamvis legem accepissent, tamen peccato obnoxios manere pateretur, neque quenquam huic legi prorsus satisfacere) propterea, ut alia quaevis via salutis impetrandae praeter illam per Christum monstrandam intercluderetur. Nisi omnia me fallunt, Apostolus, si h. l. de Deo ipso homines veluti subiiciente peccato cogitasset, scripturus potius fuisset: ἀλλ' ὁ θεὸς *συνέκλεισεν πάντα* etc. Quae in oratione contexta obveniunt: ἀλλὰ *συνέκλεισεν* ἡ γραφὴ etc. facilius adducunt eam quam supra exposuimus sententiam: scriptura s. omnes peccato obnoxios esse docuit. Nexum commodum quo verba sic intellecta ceteris cohaereant haud deesse, ex iis patet quae supra de transitu orationis a v. 21. ad v. 22. bre-

viter diximus. Quo tandem spectaverit institutio legis, et quomodo se habuerit ad *πίστιν* salutis verissimae conditionem, docetur v. 23. *Πρὸ τοῦ δὲ* etc. *Antequam vero haec fides veniret*, locum habere suamque vim (quum Christus ipse apparuisset) exserere posset, sive (quod eandem fundit sententiam) *priusquam doctrina, quae fidem exigit, innotesceret*, vd. ad c. 1. v. 23. obs., *lege circumclusi custodiebamur*, asservabamur, *ad fidem olim manifestandam*. *Φρουρεῖν* i. q. custodire et attente observare (v. c. per milites) vel locum, ne quis effugiat s. ne quis pro lubitu ingrediatur, vel hominem, ne abeat s. ne quid impune committat, *Polyb. XVII, 4, 6. Plato republ. l. 9. c. 5. p. 399.* ed. Ast. *II. Corr. 11, 32.*, unde sensu morali: servare a peccato immunem, integrum, qualis esse debet, *Philipp. 4, 7. I. Petri 1, 5.* Sic de paedagogis apud *Aristaenetum l. 2. ep. 5. §. 30.* Notionem *custodiendi* plures intt. tenendam existimant: *cancellis legis Mos. circumclusi*, i. e. disciplinae legis traditi (cohaerent enim propius vbb. *ὑπὸ νόμον συγκλειόμενοι* (vd. ad v. 22. obs.) neque commate distinguendum post *ἐφρουρ.* siquidem non dicitur *ὑπὸ τινα* sed *ὑπὸ τινος φρουρεῖσθαι*) *nos omnes* Judaei *custodiebamur usque dum* (de quo usu praepos. *εἰς* ad v. 17. dix.) *patefieri deberet fides*. Sic inter vett. Theodor. recentius Koppe Morus Rosenmüller Borger Rückert alii. Attamen quum notio hominis, qui veluti captivus s. inclusus tenetur, participio *συγκλ.* satis perspicue indicata fuerit, malim cum Piscatore Semlero Winero verbo *φρουρεῖν* h. l. significationem tribuere cognatam *servandi* s. *asserrandi* et voc. *εἰς* de *fine* s. *consilio* intelligere *(Gal. 2, 8.)*, ita quidem ut hoc *εἰς τὴν μέλλουσαν* etc. minime pendeat ex partic. *συγκλειόμενοι*, quae Hieronymi et Ambr. fuit sententia, Raphelio in *notis ex Polybb.* ad h. l. Calvino pluribusque probata, in comment. Rückerti bene refutata: conclusi in eam fidem s. sub eam fidem quae revelanda erat, immo (quum *συγκλείεσθαι εἰς πίστιν* minus commode dicatur, cfrr. Elsner et Borger ad h. l. et vbb. *ὑπὸ νόμον συγκλ.* rectius coniungantur, ut supra diximus) ex vb. *ἐφρουρούμεθα*: *lege circumclusi nos servabamur ad futuram fidei patefactionem*. Cfr.

I. Petri 1, 5. τοὺς ἐν δυνάμει θεοῦ φρουρουμένους διὰ πίστεως εἰς σωτηρίαν ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι. [Pro vulg. συγκεκλεισμένοι cum Lachmanno edidimus, quod codd. *Alex. Clarem. Aug. Boerner.* itemque Clemens Al. *paedag. I, 6.* Cyrill. *de adorat. c. 54.* Damasc. suppeditant, συγκλειόμενοι, quod librarii vett. ad praeteritum ἐφρουρ. conformandum existimaverant. Scriptura codicis. *Vatic.* συγκλεισμένοι errorem redolet calami, permutatis litteris *o* et *σ*.] Legis Mos. consilium ex sent. Apostoli hoc fuit, ut homines legi addicti *praepararentur* ad oeconomiam Christianam, eo quod partim vitiositas, quae magis magisque invaluisset, quibusdam certe limitibus coërceretur (legalitatem nostrates appellant), ne homines plane obsurdescerent ad vocem evangelii, partim abunde declaranda peccati natura prava et efficacitate hominumque imperfectione et culpa perpetua magis magisque converterentur animi ad illam liberationis salutisque per πίστιν impetrandae rationem, quae per Christum prorsus esset patefacienda. Cfr. Chrysost. et Theophyl. ad v. 22. De usu verbi ἀποκαλ. supra 1, 12. dix. Vim eius bene intellexit Oecumenius: quae dudum decreta fuerat (προώρισται) oeconomia πίστεως, per Christum demum καταφανὴς γέγονε. Quo gravius sentiretur, quod praedicatum μέλλουσαν innueret, legis Mos. institutionem et quam per saecula multa haberet auctoritatem rei futurae inserviisse, traiectione vbb. usus scripsit Apostolus μέλλουσαν π. ἀποκ. *Romm. 8, 18.* Eandem sent. amplius illustrat imagine paedagogi v. 24. Ὥστε ὁ νόμος etc. Παιδαγωγοὶ dicebb. servi honestiores, quibus domini curam demandaverant filios suos educandi, vitam eorum moresque regendi et ad honestatem conformandi, donec filii sui iuris facti essent, *Ael. V. H. 3, 21. Xenoph. de republ. Laced. c. 2. §. 1. 2. c. 3. §. 2. Plutarch. de puer. educ. c. 7.* J. N. Anton *comment. de paedagogis vett. Romann. Viteb. 1780. 4.* Quemadmodum *I. Corr. 4, 15.* cum paedagogis ii comparantur doctores religionis et praeceptores, qui severitate magis utantur quam caritate quali pater adfectus est erga liberos, ita h. l. lex Mosaica praedagogo confertur, quatenus homines ei subiectos (Judd.), qui nondum eo perve-

nissent, ut regulam honestatis sponte sequerentur, sed rudiores essent ac facile in scelera ruerent impetu cupiditatum, et multitudine praeceptorum rituumque et promittendo pariter atque comminando perpetuo coërcere deterrere impellere regere debuit. Similiter de lege civili loquitur *Libanius oratt. Vol. IV. p. 576.* *Εἰς Χριστὸν* vertere solent: *usque ad tempora Christi.* Malim (praeeunte v. 23.) cum interpretibus antiquis, Luthero Calvino Semlero Winero Matthiesio de *fine* (scopo) explicare. Sic Theophylactus, aliquam partem observationis Chrysostomi repetens: *ὥσπερ γὰρ ὁ παιδαγωγὸς πάσης κακίας ἀπαλλάττει τὸν νέον, καὶ τὰ μαθήματα παρὰ τοῦ διδασκάλου δέχεσθαι μετὰ πάσης ἐπιμελείας καὶ προσοχῆς παρασκευάζει· οὕτω καὶ ὁ νόμος ἀρετήν τε σύμμετρον ἐπαίδευε τοὺς ὑπ' αὐτὸν, καὶ πρὸς τὸν Χριστὸν, ὅς ἐστιν ὁ διδάσκαλος, ἀπῆγε, διὰ τοῦ ἐλέγχειν καὶ ἀποδεικνύναι τὰ ἁμαρτήματα προθυμοτέρους ποιῶν εἰς τὸ ζητῆσαι τὴν ἄφεσιν διδύντα καὶ δικαιοῦντα ἐκ πίστεως.* Cfr. Theodor. et Oecum. ad h. l. Parum quidem probatur quod Theophyl. statuit (consentiente Elsnero *obss. sacrr. p. 185.*), Jesum Chr. eiusque oeconomiam h. l. Mosaicae rationi opponi, qua praeceptores vett. a paedagogis distinguerentur. Quanquam hoc utique pertinuit ad provinciam paedagogorum, ut etiam in ludos et gymnasia ducerent pueros (*Ael. V. H. 3, 21.*), fuerunt tamen inter paedagogos, qui ipsi quum litteras artesque didicissent erudiendis quoque pueris consulerent. Neque caput rei quam Paulus h. l. illustrare voluit in notione doctrinae versatur per Jesum Chr. traditae, sed hoc potissimum universe docetur, homines per fidem demum Jesu Christo habitam, liberatos a vitiositate eiusque miseria, in eiusmodi conditionem transferri potuisse, ut omnino non amplius opus haberent paedagogo, ut sui fierent iuris. *Itaque* (ait) *lex nobis paedagogus fuit ad Christum* (cohibuit nos et peccata nostra coarguit disciplinae severitate ad Christum spectante, oeconomiam Christ. praeparante) *ut tum per fidem Deo probati redderemur.*

Hanc ipsam vero conditionem praestantiorem hominibus per Christum paratam Apostolus laetabundus praedicat vbb. seqq.

I. Petri 1, 5. τ
πίστεως εἰς
vulg. συγκεκ
codd. *Alex.*
paedag. I, 6.
tant, συγκ
ἐφρουρ. co
tic. συγκ
teris *o* et
fuit, ut
Christia
invaluis
nostrat
cem e
et ef
gis
que
sus
v.
b
(

[illegible] τῆς πίστεως οὐκέτι ὑπὸ [illegible] Πάντες γὰρ υἱοὶ θεοῦ [illegible] Χριστῷ Ἰησοῦ. (v. 27.) Ὅσοι [illegible] θητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε. [illegible] οὐδὲ Ἕλλην, οὐκ ἔνι δοῦ- [illegible] ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ· ἅπαντες [illegible] Χριστῷ Ἰησοῦ. (v. 29.) Εἰ δὲ [illegible] τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα ἐστέ, κατ' [illegible]

[illegible] *autem fides s. doctrina quae exigit* [illegible] *non amplius paedagogo subsumus. Εἶ-* [illegible] imperio alicuius subiecti *Romm. 3, 9.* [illegible] nec desunt apud profanos exempla eiusdem [illegible] *VII, 108. Thucyd. I, 110.* quanquam [illegible] ὑπό τινι. *Omnes enim (v. 26.). Dei* [illegible] *Jesu Christo addicti.* Imperium ac dis- [illegible] (hic est commatum nexus, quem voc. γὰρ [illegible] ubi filius ex ephebis excessit, cuiusque iuris [illegible] filiis competit re vera particeps factus. Tales [illegible] habita Dei patris (persona prima v. 25. usur- [illegible] consulto permutatur cum pers. secunda, ne quis exi- [illegible] dignitatem filiorum Dei iis tantum Christianis vindicari, [illegible] legi Mos. obnoxii fuerant), praeteriit tempus quo [illegible] servili metueretis nec ipsum adiretis animo fidu- [illegible] (veluti paedagogo per totum diem traditi); iam [illegible] amorem sentitis paternum quo Deus saluti vestrae [illegible] aeternae, eumque vicissim ea pietate diligitis quae obe- [illegible] non coactam sed spontaneam et laetabundam efficiat. [illegible] sacro N. F. ii omnes appellantur υἱοὶ θεοῦ, qui [illegible] eo modo se habent quo filii bene morati erga pa- [illegible] i. e. qui ita sentiunt ut Deo probentur ac diligantur [illegible] *5, 9. Romm. 8, 14.*, qui ad ipsius Dei similitudinem [illegible], ad sapientiam et veram virtutem *Matth. 5, 45. Luc.* [illegible], ideoque certam habent spem felicitatis aeternae, here- [illegible] instar ipsis a Deo patre promissae ac destinatae *Romm.* [illegible] *9, 26.* Vd. Noesselt *disput. de vera vi nominis filio-* [illegible] *Dei*, in *opusculis ad interpr. sacrarum scripturr. fas-*

ic. II. Hal. 1787. 8. Quod plerique intt. ἐν Χρ. Ἰησοῦ cum διὰ τῆς πίστεως coniungunt: per fiduciam in Christo positam (s. fide ei habenda), ex usu loquendi defenditur *Ephes. 1, 15. I. Tim. 3, 13.* Sed verba commatis 27. 28. quae sententiam v. 26. amplius illustrant (praesertim haec: Χρ. ἐνεδύσασθε, et: ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν Χρ.) suadent, opinor, ut vbb. ἐν Χρ. Ἰησοῦ ad illa referamus priora υἱοὶ θεοῦ ἐστε. Quo sensu illi dicantur filii esse Dei per fidem, definitur his addendis: *in Christo quippe* (ὄντες, cfr. ad *I. Thess. 1, 1.*) i. e. *utpote Christo* (tanquam πιστεύοντες) *prorsus addicti.* Huic coniunctioni cum Jesu Chr. interiori, quae homines ei addictos, quaecunque tandem fuerit eorum conditio externa, veros reddat filios Dei, praedicandae amplius immoratur Apostolus v. 27. Ὅσοι γὰρ etc. Sollennis est scriptoribus N. F. formula βαπτίζεσθαι εἴς τινα de iis qui lotionem sacram ita subeunt, ut hoc ritu alicui coniungantur et obstringantur, in quo fiduciam ponant, cuius auctoritatem credendo loquendo agendo agnoscant et profiteantur, *I. Corr. 10, 2. Romm. 6, 3.* alibi βαπτίζ. εἰς τὸ ὄνομα τινος *Matth. 28, 19. Actt. 19, 5. Quotquot immersionem subiistis* (sacram), *ut Christo addicti essetis*, re vera veluti *induistis Christum.* Ἐνδύειν, ubi intransit. ponitur, praesertim vero medium ἐνδύεσθαι, proprie de vestimentis aliisve rebus externis, quas corpori suo aliquis aptat, induit, *tropice* de *facultate* usurpatur, *virtute, indole*, qua quis instruitur, imbuitur, sive de *conditione*, in quam transfertur, *Luc. 24, 49. Coloss. 3, 10. 12. Ephes. 6, 11. I. Corr. 15, 53.* ut hebr. לָבַשׁ *Job. 29, 14. Jes. 51, 9. 61, 10. Ps. 93, 1.* Tropus audacior idem verbum subinde adhibet sequente accusat. *personae*, de eo, qui huius illiusve hominis sive hominum generis (personae forma induti) indolem ingenium mores assumit, qui suam cogitandi sentiendi agendique rationem ita immutat, ut eam prorsus ad similitudinem illius componat, *Dionys. Halic. antiqq. Romm. l. 11. c. 5. Liban. ep. 956.* Sic latinum: induere, apud *Tacit. Ann. 16, 28. Claudian. cons. honor. l. 3. v. 157.* Argutantur interpretes, qui Apostolum h..l. vel morem Ethnicorum, ubi sacra facerent, vestimenta quae a vulgaribus differrent in honorem Deorum in-

duendi, vel togam Romanorum virilem aetatis maturae praerogativam, vel sacerdotis Judaeorum summi inaugurationem inde ab aetate templi secundi sacerdotali veste induenda fieri solitam, vel consuetudinem Christianorum lotione sacra peracta vestem novam induendi ante oculos habuisse coniiciunt (vd. quos Wolf. in curis ad h. l. laud.). Longius item repetitum videtur, quod nonnulli his vbb. inesse censuerunt, per Christum veluti tectam et obvelatam esse nuditatem animi vera virtute destituti. Simpliciorem suadet totius formulae interpretationem, quod supra de usu vb. ἐνδύεσθαι tropico observavimus. Qui Jesu Christo per lotionem sacram se prorsus addixerunt, iidem Christum veluti induerunt, i. q. deposita indole et vita pristina, erroribus vitiisque obnoxia, novam assumserunt, eamque praestantiorem, prorsus secundum mentem vitamque Christi conformatam, *Romm. 13, 14.* Non amplius ipsi vivunt, sed Christus in iis vivit, *Gal. 2, 20.* Unde sequitur, omnes, qui in eiusmodi communionem animi mentis vitae cum Jesu Christo *filio Dei* sensu eminentiori venerint, etiam hac in re Christo simillimos fieri eiusque vitae participes, ut Deum eadem pietate ac fiducia laeta *patrem* agnoscant, ipsos tractantem *tanquam filios.* Bene Oecumenius ad h. l. (praeeunte Chrysostomo, cui Theophyl. consentit): εἰ γὰρ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐνδεδύμεθα, καὶ οἷον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἠμφιέσμεθα, ἔνδηλον ὅτι καὶ τῆς υἱότητος αὐτοῦ κοινωνοί ἐσμεν, et Theodoretus: ἐνεδύσασθε τὸν Χριστὸν τὸν ἀληθῶς υἱὸν τοῦ θεοῦ. ἐκεῖνον δὲ ἐνδεδυμένοι εἰκότως υἱοὶ θεοῦ χρηματίζετε. Huius dignitatis filiorum Dei *idem* consortium contigit omnibus qui Christum vere profitentur, quaecunque tandem fuerit eorum conditio externa. V. 28. Οὐκ ἔνι etc. De origine et potestate voc. ἔνι in utramque partem disputatur, aliis quidem formam habentibus contractam pro ἔνεστι (cfr. Rambach Morus Koppe ad h. l.), aliis pro simplici ἔστι positum existimantibus (cfr. Phavorinus in gloss. Reitz ad *Lucianum Opp. T. III. p. 90.* Calvinus Baumgarten Borger Flatt ad h. l.), utrumque *negante* Winero (in notis ad h. l. cfr. eiusd. *Grammatik etc., ed. III. p. 73.* ex.), qui formam poëticam in dialecto quidem ionica sermoni

quoque soluto haud inusitatam *ἐνί pro praep. ἐν* (Buttmann *ausf. griech. Sprachl. Vol. II. p. 299.)* in sermonem N. F. transiisse contendit, ita ut tempus finitum vb. *εἶναι* subintelligeretur (h. l. *in* his, qui Christo se addixerunt lotione sacra, non amplius *est* Judaeus etc.). Nisi omnia me fallunt, negari non potest, nisi vel artificiosius effata huius generis plura interpretari, vel contra codd. lectionem mutare volueris, ex vb. *ἔνεστι* utique prodiisse formam contractam *ἔνι*, quae deinde etiam pro simpl. *ἔστι* hic illic usurparetur. Cfr. *Plato* in *Gorgia* s. 63. p. 207. ed. Findeis. *ὅτῳ δὲ μὴ ἔνι κοινωνία, φιλία οὐκ ἂν εἴη. republ.* l. 1. c. 15. p. 34. in. ed. Ast. *ἆρα καὶ ἐν αὐτῇ τῇ τέχνῃ ἔνι τις πονηρία* (post *ἐν αὐτῇ τῇ* s. profecto non fuit, quod praepos. *ἐν* simpliciter absque verbo repeteretur; sed recte scribi poterat, praeeuntibus aliis locis, ubi *ἐνεῖναι ἐν τινι* pleonastice dicitur: *ἔνεστι* s. contr. *ἔνι τις πονηρία*). *Liban.* T. IV. p. 213. §. 5. p. 482. §. 1. (vd. Borger ad ep. nostram.) *Sirac. 37, 2. Jacobi ep. 1, 17. παρ' ᾧ* (*ϑεῷ*) *οὐκ ἔνι παραλλαγή*, ubi non facile dixeris, quid sibi velit *ἔνι* post *παρά*, nisi illud vel pro *ἔνεστι*, neglecta quidem praepositionis potestate, vel pro ipso *ἔστι* acceperis. Consentientem habeo Rückertum praesertim ad *Demosth. Philipp. I. c. 3.* provocantem. .Quod locum nostrum pariter atque parallelum *Coloss. 3, 11.* attinet, sententia primaria prodit eadem, sive *ἔνι* vertatur: *inest* h. s. *nec inest* in Christo s. in coetu vestro, qui Christum vere profitemini, *Judaeus aut Graecus* etc., inter vos Christo consecratos non quaeritur de discrimine Judaeorum Gentiliumque, servorum et ingenuorum, maris et foeminae, cfr. *Romm. 10, 12.* (*οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος*) *I. Corr. 12, 13.*, sive pro *ἔστι* accipiatur, ex usu cognito verbi *εἶναι*: valere, pretium habere s. auctoritatem, *I. Corr. 1, 28.* alibi *εἶναί τι I. Corr. 3, 7.* (cui opponitur *οὐδὲν εἶναι I. Corr. 7, 19.)* h. s. *non est Judaeus aut Graecus* etc. *discrimen Judaeorum Gentiliumque* etc. *non valet*, momentum habet nullum, quod consortium Christi atque salutis per Christum paratae attinet. *Etenim* (pergit) *vos omnes unus estis, εἷς ἐστε*, tam pares habemini iure filiorum Dei, consortio dignitatis et salutis per

Christum paratae, ut veluti unam constituatis personam. Cuius unitatis auctorem esse Christum vbb. postrema indicant ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *Christo Jesu quippe addicti* (suppl. ὄντες) vel: *per Chr. J.* Dubiam vero censemus scripturam huius membri postremi vulgatam. Quanquam enim, quod codd. *Aug.* et *Boern. verss. Slav. Vulg. It.* pluresque patrum vett. pro εἷς exhibent ἕν, manifestam habet speciem interpretamenti aut correctionis (inde profectae quod in N. F. dici non solet εἷς ἐσμεν, ἐστε, εἰσι sed ἕν ἐσμεν), ingenue tamen profiteor, haud parum arridere lectionem breviorem codicis *Alex.* πάντες γὰρ ὑμεῖς ἐστε Χριστοῦ Ἰησοῦ: *etenim vos omnes ad Christum J. pertinetis.* Neminem latet haec formula εἶναι τινος: ab aliquo pendere, ei addictum esse et coniunctum *Actt. 27, 23. Romm. 14, 8. al.* Cfr. Matthiae *ausf. griech. Gramm. ed. II. T. II. p. 620.* Facile patet, quam egregie haec scriptura, initio commatis sq. εἰ δὲ ὑμεῖς Χριστοῦ prorsus accommodata, consuetudini Paulinae conveniat in argumentando eandem constructionem per membra plura continuandi, *Gal. 1, 7. Romm. 8, 30. 34. sq. I. Corr. 3, 22. sq.* Quod vulgo legitur, originem facile duxit partim ex glossemate verbis Χριστοῦ Ἰησοῦ adscripto ἐν Χρ. Ἰησοῦ, partim ex loco *Ephess. 4, 4. 5.* Quemadmodum omnibus, qui per immersionem sacram ad professionem Christi transierunt, quaecunque fuerit conditio eorum externa, interiorem cum Christo coniunctionem vindicamus, ita etiam verissime adfirmamus, his omnibus Christo filio Dei vere coniunctis conditionem beatam filiorum Dei contigisse. Quod posterius sic enuntiatur v. 29. ad hos omnes pertinere hereditatem illam, dignitatem atque salutem, semini Abraami (v. 16.) promissam. *Εἰ δὲ ὑμεῖς* etc. *Quodsi estis Christi* (cfr. ad v. antec. obs.) *etiam Abraami semen estis*, ideoque *secundum promissum divinum* (κατ' ἐπαγγελίαν, *Actt. 13, 23.*) *heredes*, participes felicitatis promissae. Imagini heredis notionem inesse hominis cui certo contingat res legitime in perpetuum possidenda (*Romm. 4, 13. 14.*), ex iis patet quae ad v. 18. de κληρονομίᾳ diximus. Quod Apostolus supra v. 16. de Jesu Christo enuntiaverat, hunc esse σπέρμα, unum illum ex posteris Abraami, ad

quem spectaverit promissio Abraamo eiusque semini data, idem h. l. ad homines transfertur Christianos. Adfirmat, *illam Jesu Christi conditionem, qua fuerit proles Abraami, cui promissio dicta,* transire ad omnes Christo vere addictos et coniunctos, ita ut ipsi iam habendi sint posteri Abraami, i. e. per *πίστιν* qua Abraamum imitati fuerint Deo probati redditi, dignitatis filiorum Dei et exspectationis laetissimae (velut hereditatis) participes. · Cfr. ad v. 7. observv. *Romm. 8, 17. Ephh. 3, 6.* Voculam *καὶ* verbis *κατ' ἐπαγγελίαν* vulgo praefixam auctoritate codd. *Alex. Ephr.* rescr. *Clarem. Sangerman.* versionum *Copt. Armen. Vulg. Damasceni* patrumque latt. omittendam censuimus.

Caput IV.

Ab illa heredum imagine de hominibus qui Christo vere sunt addicti ideoque filii Dei C. III. v. 29. usurpata occasionem sumit Apostolus, quod v. 24. 25. de disciplina severiori dixerat, quam lex Mosaica, donec oeconomia perfectior tempore constituto veniret, paedagogi instar exercere debuerit, amplius persequendi, declarando discrimine heredis (futuri), qui ex ephebis nondum excessit, ab eo qui patrimonio vere fruitur.

V. 1. 2. *Λέγω δέ, ἐφ' ὅσον χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, οὐδὲν διαφέρει δούλου, κύριος πάντων ὤν,* (v. 2.) *ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστὶν καὶ οἰκονόμους ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός.*

V. 1. *Hoc autem mihi volo* (cfr. C. III. v. 17.) *quamdiu* (*ἐφ' ὅσον χρ. Romm. 7, 1. I. Corr. 7, 39.*) *heres puer est, non differt a servo, quanquam omnium* bonorum *est dominus. Νήπιοι* dicc. quicunque sunt impubes, sive infantes sint proprie dicti sive pueri paedagogis iam traditi, *Plutarch. symp. l. 9. quaest. 3. Homer. Odyss. l. 11. v. 448. Il. l. 6. v. 366. l. 9. v. 440. al. Matth. 21, 16. I. Corr. 13, 11.* Quanquam hoc secum fert ipsius rei natura, ut hominem aetate *νήπιον* eundem cogitemus tironem experiundo parum edoctum ac

iudicio et intelligentia imbecillem, nolim tamen Chrysostomo Oecumenio aliisque intt. vett. calculum addere, vocabulo νήπιος hoc versu eam quae ad animum pertinet significationem (*Romm. 2, 20. Hebrr. 5, 13. al.*) vindicantibus. Commate demum 3. ubi exemplum v. 1. 2. propositum rei praesenti accommodatur, cogitatio Apostoli ab aetate immatura ad notionem intelligentiae atque iudicii rudioris transiit. Conditio pueri, quum nondum sui sit iuris nec *usu* hereditatis paternae ipsi destinatae fruatur, nihil differt, quod rem familiarem attinet, a conditione servi, siquidem servi pecuniae aliarumve rerum, quas ipsi vel attulerant vel acquisiverant, non erant domini, immo quae habebant bonis heri adnumerabantur. *Sed* (v. 2.) *procuratoribus subest et dispensatoribus.* De form. εἶναι ὑπὸ τινα ad C. III. v. 25. vid. Admodum late patet subst. ἐπίτροπος i. q. cui potestas demandata est aliquid curandi et gubernandi. Dicitur enim et sensu *civili*, v. c. de procuratoribus provinciarum *Herodian. VII, 4, 5. IV, 6, 8.* de procuratore Caesaris cui in provincia quadam minori imperii Romani reditus mandabantur fiscales, *Epict. enchir.* c. 29. §. 6. ed. Heyne, et sensu *domestico*, ita ut modo procuratores villarum, vinearum aliorumve praediorum (qui plerumque ex servorum genere fuerunt) intelligantur, *Liban. epist.* 322. *Xenoph. Oecon. c. 12, §. 2. Matth. 20, 8.*, totiusve rei domesticae et familiaris, *Luc. 8, 3. II. Macc. 11, 1. Ael. V. H. 3, 26.*, modo qui curam gerebant liberorum, praesertim filiorum domini, vel patre superstite, vd. *Ael. l. l. idem V. H. 13, 44.*, vel post obitum patris (tutores pupilli *Xenoph. memorr. I, 2, 40.*). Quam parum recte Theodor. aliique intt. multi h. l. de tutoribus pupilli cogitaverint, verissime docuerunt Wolf in curis et Michaelis in notis ad h. l. Cogitatio quippe patris vita defuncti ab hoc loco, ubi de filiis Dei heriditatis divinae consortibus agitur, prorsus abhorret. Neque de *tutoribus* dici poterat, quod vbb. sqq. ἄχρι τῆς etc. enuntiatur, eorum regimini subesse puerum usque ad tempus *a patre* destinatum. Quamdiu duratura esset tutela, non testamento patris sed lege civili apud Graecos et Romm. definiebatur. Vd. Christ. Neubour *meditt. iuridico-criticae ad dictum Pauli Gal. 4, 1. 2.*

in *biblioth. Bremensi cl. V. p. 40. sqq.* Polyc. Leyser *specimen iurisprudentiae Pauli Ap. quoad rem tutelarem, Lips. 1736. 4. p. 34. sqq.* Immo de servis nobiliorihus sermo est, qui, dum domini vivebant, ipsorum auctoritate et mandato vel educationem curabant filiorum (quo sensu dicebb. *παιδαγωγοί*, vd. C. III, v. 24.), vel *rem familiarem, patrimonium filio destinatum administrabant*, vel utrique negotio vacabant. Praeeunte versu primo, notionem *heredis* et *hereditatis* tanquam primariam exhibente, non dubitamus, Apostolum h. l. potissimum de genere posteriori *ἐπιτρόπων* cogitasse. Proinde et hanc vocem *ἐπιτρ.* usurpare maluit, quam illam (C. III.) *παιδαγωγὸς* repetere, et veluti rem explicaturus addidit *καὶ οἰκονόμους*. Hoc enim nomine venerunt ii servorum vett. quos heri et famulitio toti regundo et omnino rei domesticae curandae praefecerant, *Luc. 12, 42. 16, 1. LXX. 1. Regg. 4, 6. Plutarch. de liberis educ. Opp. T. II.* ed. Bipont. p. 4. *Xenoph. memorr. II, 10, 4.* Eiusmodi *οἰκόνομον* exhibet Eliezerem Abraami servum historia sacra *Genes. 15, 2. 24, 1. sqq.* Non iidem fuerunt qui *παιδαγωγοί* educatores filiorum (vd. *Plutarch. l. l.*), quanquam omnino filii, quod *rem pecuniariam* attinebat, ab *οἰκονόμοις* pendebant, vd. *Diod. Sic. T. X. p. 156.* ed. Bip. [De iis, qui sensu civili dicebb. *οἰκόνομοι* aerariis praefecti aut quaestores in provinciis constituti, h. l. non cogitatur.] His igitur puer subesse dicitur *ἄχρι* etc. *usque ad tempus a patre definitum*, donec praeterierit tempus, quo elapso pater filium ius filii plenum et perfectum usurpare voluit. Quemadmodum *θεσμὸς* significat, quicquid rite constitutum est, ita *προθεσμία* suppl. *ἡμέρα* (in N. F. *ἅπαξ λεγόμενον*, profanis auctoribus, praesertim Demostheni, admodum familiare) de *tempore* dic. *constituto.* Vd. Wesseling ad *Diod. Sic. T. II. p. 530. Pollucis Onomast. l. 3. c. 9.*

Exempli propositi usum facit Apostolus ad illustrandam mutationem ingentem, qua homines, olim Judaei et Pagani, per Jesum Christum in conditionem longe praestantiorem filiorum Dei transierint.

V. 3—7. *Οὕτως καὶ ἡμεῖς, ὅτε ἦμεν νήπιοι, ὑπὸ*

τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ἦμεν δεδουλωμένοι. (v. 4.) *Ὅτε δὲ ἦλθεν τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον,* (v. 5.) *ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν.* (v. 6.) *Ὅτι δέ ἐστε υἱοί, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν, κράζον· Ἀββᾶ, ὁ πατήρ.* (v. 7.) *Ὥστε οὐκέτι εἶ δοῦλος, ἀλλὰ υἱός· εἰ δὲ υἱός, καὶ κληρονόμος διὰ θεοῦ.*

Negare Apostolus nec volebat nec poterat, ad homines Christo addictos praesertim ex Judaeis nomen *liberorum* s. *filiorum* Dei in V. T. de gente Judaica usurpatum iam ante tempora Christi pertinuisse. Futuri erant heredes (quum Deus *toti hominum generi* salutem per Christum parare decrevisset). Judaeis quidem consortium regni Messiani sub conditione obsequii fidi erga Jehovam impetrandum pridem promissum fuerat per vates divinos. Attamen priusquam Christus venit, neque in ipsa possessione et usu bonorum regni div. promissi versabantur, neque satis recte et perspicue cognitam habebant indolem veram horum bonorum atque immensam amoris divini in hoc Messiae regno manifestandi magnitudinem. Itaque Paulus eos non simpliciter quidem servos, attamen in conditione quadam servili fuisse adfirmat, remotiores a Deo patre, Ethnicos quidem idolorum cultui addictos, Judaeos vero legi Mosaicae obnoxios, cuius disciplina severa populum rudiorem quovis pacto coërcens et timorem Dei perpetuum iniiciens praepararet Judaeos ad bona regni divini, quibus percipiendis tum temporis nondum apti essent, olim vere possidenda et usurpanda. *Sic etiam* (inquit v. 3.) *nos, quamdiu impubes eramus, elementis mundi tanquam servituti fuimus addicti.* Pronomen ἡμεῖς omnes complectitur populares Apostoli, qui ex Judaismo ad Christum transierant. Judaei quippe per Christum a lege Mos. liberati describuntur v. 4. 5. Ad alteram partem, Ethnico-Christianos, quibus per Chr. eadem contigerat conditio praestantior filiorum Dei, oratio Pauli posthac transit persona secunda ἐστέ v. 6. cfr. praesertim v. 8. 11. Vocabulo νήπιοι ex imagine v. 1. 2. proposita h. l. in ipsam

imaginis applicationem traducto in promtu est illam de qua v. 1. diximus adhaerere notionem ad *animum* spectantem. Plurimum vero disceptatum est de form. rariori στοιχεῖα τοῦ κόσμου. Στοιχεῖον, diminutivum substantivi στοῖχος: ordo, series (translati deinde vario modo ad res quae ita collocantur ac disponuntur, ut seriem continuam efficiant, itemque ad ea quae inserviunt ordini certo et successioni definiendae et constanter tenendae), apud profanos invaluit de *litteris singulis* quae *elementa* sunt *orationis*, quatenus earum series est definita (alphabetum); iisque coniungendis syllabae certae ac voces formantur *Plato Theaet. §. 141. p. 482.* ed. Heind. *Dionys. Halic. de compos. vbb. c. 14. p. 78. T. V.* ed. Reisk. unde latius patebat de iis *quae in aliquo genere elementa sunt* ex quibus alia componuntur et constituuntur, v. c. de elementis rerum omnium *Plat. Theaet. §. 139. p. 479.* ed. Heind. *Sapient. 7, 17.*, de corporibus singulis (sole luna stellis) ex quibus coeli constant *II. Petri 3, 10. 12.*; de partibus quibus connectendis oratio quaevis efficitur continua *Dionys. Halic. de compos. vbb. c. 2. in. p. 8. T. V.* ed. Reisk., de locis in arte rhetorica sic appellatis ex quibus argumenta derivantur *Dionys. Halic. iudic. de Lysia c. 15. p. 486. T. V.* ed. Reisk., de capitibus primis disciplinarum artiumque *Quinctil. institt. oratt. 1, 1. §. 5. Plutarch. de lib. educ. c. 16. Hebrr. 5, 12.* Quo sensu hoc loco dicatur, non licet quidem ex genitivo addito τοῦ κόσμου per se spectato accuratius definire, quum κόσμος diversimode usurpetur. Attamen totius orationis series ad veram huius formulae interpretationem propius adducit. Quae nonnullis probatur sententia (praeeunte Augustino *de civ. Dei l. 4. c. 11.*). Apostolum *de elementis physicis ac toto externo rerum ordine* cogitavisse, quatenus Christiani, priusquam ad Christum converterentur, soli lunae stellis sive numinibus singulis sylvarum montium fluminum etc. colendis addicti fuerint (δεδουλωμένοι ὑπὸ τὰ στοιχ. τοῦ κ.), emini facile arridet, nisi Paulum *his* vss. de *Ethnico-Christ.* quantum fuisse existimet. Si recte percepi sententiam Schultessii in l. l. *Engelwelt, Engelgesetz* u. s. w. commendatam p. 113. 129.), concedit hic interpres eruditus, *sidera* sub

στοιχ. τοῦ κ. intelligi, ita tamen ut Apostolum et h. l. et in *ep. ad Col. 2, 8. 20.* de *angelis* cogitasse existimet, quos Judaei superstitiose coluerint. Quod haec interpretatio ponit, Judaeos sidera ipsa pro naturis vita et anima praeditis (angelis) habuisse, neque ex loco *Jobi 38, 7.* ubi sideribus in sermone poëtico vox iubilans tribuitur, nec aliunde demonstraverim. Immo, quum verbis: *δεδουλωμένοι* etc. manifesto homines indicentur, quales fuerint, priusquam per Christum ex servitute redimerentur qua *legi Mosaicae* fuissent obnoxii (v. 5.), et v. 9. 10. sentiendi cogitandique ratio eorum Ethnico-Christianorum, qui una cum Judaeo-Christianis Galaticis redeundum existiment ad *στοιχεῖα πτωχά*, sic describatur, ut praecepta ritualia Christianis non praescripta diligenter dicantur observare; non dubitamus, Apostolum vocem *στοιχεῖα* de *statutis et praeceptis* potissimum intelligi voluisse, *quae lege Mosaica et traditione seriori hominibus ei addictis essent iniuncta*, non prorsus tamen exclusa (quod Koppe recte vidit praeeunte v. 8.) cogitatione rerum *similium* quae in cultu religionis externo apud *Ethnicos* obtinerent. Huic sententiae prorsus addicit locus simillimus *ep. ad Coloss. 2, 8. 20. sq.* Versu quippe 8. iubet Apostolus hos Christt. sibi cavere, ne quis doctor vanus eos decipiat per sapientiam subtiliorem ac fraudulentam [decreta intell. Theologiae Judd. illius temporis, *φιλοσοφία* ex usu loquendi graeco-iudaico] quae non sit Christo accommodata sed traditioni humanae et *κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου*. Ibidem v. 20. 21. tanquam exempla *στοιχείων τοῦ κοσμου* eiusmodi placita proferuntur, *ἐντάλματα καὶ διδασκαλίαι τῶν ἀνθρώπων* v. 22. quae abstinentiam huius illiusve ciborum potuumve generis omnisoque duram corporis tractationem iniungant. Perturbabant tum temporis ecclesiam Colossensem homines Judaeo-Christiani et legis Mos. cerimonialis traditionumque seriorum auctoritatem urgentes, et placita varia admiscentes ex religionis philosophia orientali profecta. Ceterum sententiae nostrae haud parum favet, quod *τῷ δεδουλωμένον εἶναι ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου* v. 3. *opponitur τὸ ἐξαγοράζειν* (quod per filium Dei factum dicitur) *τοὺς ὑπὸ νόμον*. Quaeritur porro, qua de

causa Apost. de statutis ritibusque Judaicis vocem *στοιχεῖα adhibuerit?* Respondent Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Ambros. (quanquam Oecum. inter sententias fluctuat diversas) Judaeos, quum novilunia sabbatha aliosque dies festos lege praescriptos et tempora certa exacte observarent, quam in lotionibus sacris praeceptis usurparent, diebus sabbathi lege vetante ignem non accenderent, pridiana et frigida comedentes, hac ratione *obnoxios fuisse* (*δεδουλωμένους*) *στοιχείοις sensu physico dictis*, aquae igni corporibus coelestibus, quorum cursu et motu dies noctes tempora certa definiantur. Cfr. Guil. Bayer *disp. de elementis mundi, Altorf. 1719.* Sed facile patet, verbis Apost. hoc modo intellectis nihil inesse, quod conditioni, in qua *Judaei potissimum* tanquam legi Mos. subiecti ante Christum versarentur, apte declarandae inserviat, quum *homines omnes*, quatenus aqua igni signis temporum certorum ad negotia vitae indigeant, hoc sensu recte dici possint *τοῖς στοιχείοις* obnoxii esse. Aliam viam iniit Noesselt *comment. de perfectione Christianorum antiudaica et στοιχείοις τοῦ κόσμου* in *opuscc. ad interpret. sacr. script. fascic. II. p. 209. sqq.* qui *στοιχεῖα* h. l. verti maluit: *signa*, cerimonias intelligens Judaicas sensum moventes, quae perfectiorem Dei cultum olim futurum tantummodo adumbraverint. Quanquam *στοιχεῖον* interdum de eiusmodi re dicebatur, quae *signo* v. c. temporis s. ordinis recte tenendi inserviret (cfr. *Aristoph. eccles. v. 652.* ubi de umbra in horologio solari apparente sermo est), multo potius tamen *facilitate totius sententiae* commendatur ea vocabuli interpretatio, *inter* vett. et Hieronymo et aliis quibusdam (cfrr. Theophyl. et Oecum. ad h. l.), recentius plerisque probata, quae *h. l. significationem* tenet magis cognitam et usitatam in libris quoque N. F. (ut supra docuimus) obviam: *capita prima, initia, rudimenta disciplinae.* Egregie enim Paulus homines, quales erant, priusquam ad Christum convertebantur, cum *νηπίοις* comparans, qui in litteris (elementis sermonis) primisque disciplinarum et artium elementis discendis elaborant, placita et praecepta legis Jud. cerimonialis traditionumque seriorum *elementa mundi* appellare potuit, *rudimenta manca et*

imperfecta religionis doctrinae ac disciplinae accommodata tironibus sensuum imperio obnoxiis, ad perfectiorem cognitionem animique indolem educando praeparandis, splendore rituum atque eiusmodi disciplina severiori indigentibus, quae vitam eorum externam praecipiendo multa et comminando coërceret. Miror, quod Schulthess in l. l. p. 107. quamvis concedat στοιχεῖα de initiis s. elementis disciplinae cuiusdam usurpatum fuisse, in eo tamen offendat, quod nunquam apud profanos στοιχ. τοῦ κόσμου de rudimentis dicatur disciplinae sacrae, qualia tironibus (Judd. et Ethn.) accommodata sint. Agitur enim h. l. de usu *biblico* (non profano) vocabuli κόσμος, quem si tenueris, facile patet, phrasin στοιχεῖα τοῦ κόσμου eo quem diximus sensu apud Paulum aeque commode adhiberi potuisse ac σοφία τοῦ κόσμου *I. Corr. 1, 20. 3, 19.* Quemadmodum formula integra ὁ κόσμος οὗτος in sermone N. F. ab universa notione huius praesentis rerum ordinis imperfecti (qui opponitur τῷ αἰῶνι ἐκείνῳ ordini rerum praestantiori tempore Messiae et per Messiam futuro) ad significationem transfertur *hominum huius saeculi huiusque mundi*, et Judaeorum et Paganorum, qui nondum per Jesum Chr. Deo sunt consecrati, erroribus ac vitiis huius saeculi indulgentes rerumque externarum (huius mundi) studio dediti *Jo. ev. 8, 23. I. Corr. 1, 20. 3, 19.*, ita etiam κόσμος simpliciter hoc sensu usurpatur *Jo. ev. 7, 7. 15, 18. sq. I. Corr. 1, 21. 27. sq. II. Petri 1, 4. al.* Quodsi cum effato nostro locum similem *Coloss.* c. II. comparaverimus, negare vix possumus, eandem voc. κόσμος potestatem *emphaticam* etiam h. l. esse tenendam, neque vel cum Rambachio et Storrio (*opusce. acadd. Vol. II. p. 150.*) satis accurate *res* terrenas intelligi (hoc sensu: rudimenta quae tranctant res ad corpus terrenum et infirmum spectantes, v. c. circumcisionem s. ciborum delectum), etsi hoc tandem ad eandem redeat *sententiam* primariam, vel notionem *hominum* universam h. l. prorsus sufficere, quod Morus aliique voluerunt: elementa religionis prima, quae in humano genere fuerunt obvia. Loco enim laud. v. 8. κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κ. coniungitur formulae κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, et v. 20. sqq. parum sibi constare dicc.

Christiani, qui, quum τοῖς στοιχ. τοῦ κ. veluti mortui fuerint (renuntiaverint) cum Christo, iterum tamen ἐντάλματα sequantur τῶν ἀνθρώπων, tanquam si etiamnum prorsus vivant ἐν κόσμῳ, inter profanos, seiuncti a Christo. Cfr. insuper *Hebrr. 9, 10. sq.* Quicunque ab illis pendebant rudimentis disciplinae sacrae ad homines profanos pertinentibus, usurpare nondum poterant egregiam animi mentisque libertatem, qualem usurpant qui sensu vere Christiano cognoscunt ac profitentur se liberos esse Dei. Hoc adfirmatur vbb. ἦμεν δεδουλωμένοι, sive cum praepositione ὑπὸ tantummodo vb. ἦμεν propius connectas: sub potestate elementorum mundi fuimus (sic εἶναι ὑπό τινα *Gal. 3, 10.*) in servitutem redacti (quo sensu δουλοῦσθαι sq. τινι *II. Petri 2, 19. Romm. 6, 18.* nec profanis incognitum), sive utrumque ἦμεν δεδουλ. quemadmodum πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν *Romm. 7, 14.* et supra C. III. v. 23. ὑπὸ νόμον συγκλειόμενοι: elementis mundi tanquam servituti fuimus addicti. Quaestioni ab Schulthessio l. l. p. 109. sqq. excitatae, quomodo tandem Apostolus, si formulam στοιχ. τοῦ κ. eo sensu quem nos defendimus intellexisset, tam parum honorifice et h. l. et in *ep. ad Col.* de iis loqui potuerit (quum, qui in disciplina quadam profecerint, minime tamen elementa prima tanquam res vanas abiicere debeant et damnare), hoc respondemus. Initia disciplinarum, quanquam veritatem habent, admodum manca tamen sunt et imperfecta si comparentur cognitioni initiis illis ut fundamento superstruendae. Deinde in iis quae tironibus cognitioni ampliori praeparandis inserviunt (στοιχείοις) eiusmodi quoque res haud raro obveniunt, quae posthac omnino abiiciantur neque usum amplius praestent homini ulterius provecto. Usurpantur v. c. ut veritas olim perfectius tradenda quodammodo adumbretur, fabulae symbola imagines varii generis. Quodsi homo adultus, qui veritatem perfectius traditam cognoscere *potest*, maluerit tamen illis inhaerere fabularum et symb. involucris, eum omnino dicimus aberrare a tramite recto. Cfr. infra ad v. 9. huius cap. observata. *Quum vero*, pergit Ap. v. 4. 5. *tempus constitutum esset consummatum, Deus demisit filium suum* etc. Πλήρωμα ubi sensu activo adhibetur seq. τινος significat

id quod implet aliquam rem *I. Corr. 10, 26. Marci 8, 20.* sive quod pertinet ad aliquam rem explendam s. consummandam *Marci 2, 21. Plato republ. l. 2. c. 12. p. 82. in.* ed. Ast. Cfr. Storrii *diss. de vocis πλήρωμα vario sensu* in *opuscc. acadd. Vol. I. p. 151. sqq.* Unde *πλήρωμα τοῦ χρόνου* complementum temporis i. q. terminus s. finis temporis constituti, siquidem ubi hic terminus apparuit, veluti impleta s. implendo consummata est illius temporis mensura. Sic *πλήρωμα* apud *Herod.* (cfr. Raphelius in *adnotatt. ex Herod.* ad h. l.) *πλήρωσις LXX. Ezech. 5, 2. Daniel. 10, 3. ἐπληρώθη χρόνος, πεπλήρωται ὁ καιρὸς, ἐπληρώθησαν* s. *πεπλήρωνται ἡμέραι LXX. Genes. 25, 24. 29, 21. Jo. ev. 7, 8.* hebr. מָלֵא et מִלֵּא, vd. Vorst. *de hebraismis N. T. p. 178. sqq. ed.* Fischer, quanquam profanis quoque Graeciae auctoribus non inaudita haec ratio terminum temporis qui iam accesserit describendi (cfr. Borger ad h. l.). Sermonem esse de fine temporis, quod volente Deo elabi debuerit, usque dum Jesus Christus appareret, vbb. seqq. docent *ἐξαπέστειλεν* etc. collata verbis commatis 3. Inter Judaeos seriores hic usus loquendi invaluit, ut tempus quo Messias esset venturus suumque regnum in hac terra instituturus partem ultimam huius saeculi (*αἰῶνος*) praesentis appellarent, *συντέλειαν τοῦ αἰῶνος, καιρὸν ἔσχατον, ἡμέρας ἐσχάτας,* אַחֲרִית דַּיָּמִים, קֵץ דַּיָּמִים, vd. Rhenferdii et Witsii *dissertt.* in Meuschenii *N. T. ex Talmude illustr.* itemque Süskind *Magazin für christl. Dogmatik und Moral 10. St. Tüb. 1803. p. 92. sqq.* Eodem sensu *Ephes. 1, 10. πλήρωμα τῶν καιρῶν* dic. et *Marci 1, 15. πεπλήρωται ὁ καιρὸς καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. Ἐξαποστέλλειν* dic. qui aliquem a se dimittit aliorsum abiturum, praesertim ut mandato satisfaciat, *Polyb. 3, 11. 21, 14. Actt. 7, 12. 11, 22. al.*, de *legato* quoque *divino LXX. Exod. 3, 10. Actt. 22, 21.* De filio Dei, quem Deus legavit, porro haec duo praedicantur: *γενόμενον ἐκ γυναικός* etc. *A) natum ex muliere.* Pro vulg. *γενόμενον* plures quidem codd. (cfrr. Griesb. et Matthaei ad h. l.) exprimunt, quod Matthaei in textum recepit, *γεννώμενον*, eandemque scripturam praeter alios

quosdam patrum vett. Theodoretus habet in comment. ad h. l. quanquam idem passim in operibus suis alteram quoque lect. *γενόμενον* agnovit (cfr. Noesselt in notis ad *Theodor. opp. T. III. p. 381.*). Argumentis internis nihil facile effici ad controversiam dirimendam, verissime intellexit Borger ad h. l., quum eadem correctionis facilitate et *γεννώμενον*, ne forte de generatione Jesu Christi vulgari cogitaretur, antiquitus cum *γενόμενον* permutari, et pro *γενόμενον* propter significatum verbi *γίνεσθαι non omnibus satis cognitum* attamen exemplis haud destitutum: *nasci (Ael. V. H. 3, 36. Herod. l. 9. p. 741.* ed. Wesseling. *LXX. Genes. 4, 26. Romm. 1, 3. al.)* alterum *γεννώμενον* scribi potuerit. Auctoritas vero testium critt. praesertim codd. uncialium suadet, ut in lect. vulg. acquiescamus. Ceterum *γυνή* eodem modo *Matth. 1, 20. Luc. 2, 5.* de virgine sponsa dicitur. *B) legi subiectum*, natum inter Judaeos legi Mos. obnoxios, matris Jud. filium. Haec enim prodit sententia praedicati posterioris *γεν. ὑπὸ νόμον*, sive cum plerisque participium *γεν.* significatu latius patente: *fieri* intellectum proxime referas ad vbb. *ὑπὸ νόμον*, quo sensu *εἶναι ὑπὸ νόμον* v. 5. dicc. quicunque legi Mos. sunt subiecti, sive *γίνεσθαι* etiam h. l. notionem angustiorem *nascendi* obtinere existimes, quae quidem Koppii interpretatio Michaeli quoque probata defendi utique potest, si modo haec per breviloquentiam cum emphasi dicta acceperis: *natum ita* (suppl. *ὄντα*) *ut esset sub lege.* Quaeritur, an Paulus quum haec de Jesu praedicaret innuere voluerit, Servatorem *hac ratione* (*γενόμενον ἐκ γυναικὸς* etc.) prodire debuisse, ut satisfacere posset negotio redemtorio? Id quod ii potissimum statuunt, qui vbb. sqq. *ἵνα — ἐξαγοράσῃ* his praedicatis: *γενόμενον* etc. propius, quam verbo *ἐξαπέστειλεν* coniungunt. Quod prius attinet *γεν. ἐκ γυναικὸς*, negari non potest, in epistolis N. F. hoc doceri, ad homines per Christum, praesertim *per mortem* Christi a miseria peccati liberandos id maxime pertinuisse, ut hic Dei filius totam indueret naturam humanam atque ea conditione uteretur quae ab humana, peccato excepto, nihil discreparet, v. c. *Romm. 8, 3. sqq. Hebrr. 2, 14.* Sed eiusmodi locis diserte additur, quod h. l. deest, Christum indu-

tum fuisse *σαρκὶ καὶ αἵματι.* Quod posterius attinet, *γεν. ὑπὸ νόμον* non memini hoc doceri, Christum *propterea* debuisse *Judaeum* nasci, ut legem Mosaicam abrogaret. Quam parum recte olim haud pauci Theologi his verbis notionem inesse putaverint *obedientiae vicariae* nobis imputandae quam Christus toti legi divinae praestiterit (cfr. *progr. de γενομένῳ ὑπὸ νόμον, Gisae, 1772. 4.)*, inde patet, quod neque vocem *νόμος* in hac orationis serie de *tota lege divina* (morali quoque) interpretari possumus, nec alia loca eiusmodi dogma de virtute, quam Christus *loco nostro* exercuerit, adiuvant. Immo ex more Paulino *antitheses* usurpandi factum est, ut, quum Christus *filius Dei* missus diceretur ad homines *a lege liberandos* (legem tollendam), eidem praedicata tribuerentur quae illis viderentur opposita: *filius mulieris, subiectus legi*, cfr. *Romm. 1, 3.* Quae quidem antithesis utique facit ad declarandam oeconomiam prorsus singularem et admirandam Dei, qui filium (*λόγον*) hominem fieri atque per eum qui natalibus suis legi Mosaicae subiectus esset (unde v. c. puer circumcisus est atque Jehovae in templo Hierosol. consecratus) hanc legem tolli voluerit. Verbo *ἐξαπέστειλεν* propius cohaerent, quae finem legationis Jesu explicant v. 5. *ἵνα τοὺς* etc. *ut homines legi* Mos. *subiectos redimeret*, liberaret, cfr. C. III. v. 13., *ut* per hanc liberationem *conditionem filiorum* Dei *acciperemus.* Substant. *υἱοθεσία: adoptio* (ex form. *υἱὸν ἐσθαι*, filium sibi adoptare, *Herodian. V, 7, 1. 10.)* emphatice dic. de transitu ex statu servili qualis fuerat puerorum (v. 3.) in conditionem filii, qua usum faciat integrum cuiusque iuris et commodi filio competentis. Ut filius sui fiat iuris, cessare debet disciplina paedagogi severior, atque imperium *τῶν ἐπιτρόπων* et *οἰκονόμων.* Similiter nos per Christum (filium Dei sensu eminentiori) in libertatem vindicari debebamus ab iugo legis Mosaicae, ut cum Christo participes fieremus conditionis beatae filiorum Dei, cfr. C. III. v. 26. Hoc sensu Paulus lubenter praedicavit *υἱοθεσίαν* Christianorum, *Ephess. 1, 5. Romm. 9, 4. 8, 15. 23.* quo loco postremo felicitatem potissimum signif. in regno Dei futuram s. manifestationem plenam dignitatis filiorum Dei. Ad rem ipsam illustrandam cfr.

insuper *Ephess. 3, 12. ἐν ᾧ (Χριστῷ) ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν (πρὸς τὸν πατέρα Ephh. 2, 18.) ἐν πεποιθήσει* etc. Aliis locis haec abrogatio disciplinae severae legis Mos. *morti* potissimum Servatoris homines cum Deo reconcilianti tribuitur *Gal. 3, 13. Romm. 7, 4. Ephh. 2, 15. Col. 2, 14.* Ceterum praepositio *ἀπὸ* in vb. *ἀπολάβωμεν* (profanis quoque diversimode usurpato) neque ad recuperationem rei amissae *(Luc. 15, 27.)* respicit neque ad aliquam retributionem veluti mercedis s. praemii *Col. 3, 24. II. Jo. v. 8.)*, siquidem de mero agitur dono liberae Dei gratiae, neque (cfr. Chrysost. Theophyl. Oecum.) ad notionem eius quod debebatur accepti (propterea quod hac de re Abraamo *promissa* divina contigerint, C. III. v. 8. 16.), immo simpliciter nexum huius *υἱοθεσίας* cum opere Jesu Chr. redemtorio indicat (davon haben, davon tragen): *ut inde*, ex illa redemtione, *υἱοθεσίαν acciperemus.* Haec enim, praeeunte usu praepositionis *ἀπὸ*, haud dubie propria fuit potestas verbi compositi, ut notionem accipiendi exprimeret, ratione simul habita illius vel personae vel rei ex qua res accepta (mediate) profecta fuerit, cfr. quae Winer: *Grammatik etc. ed. III. p. 318.* verissime monuit de discrimine formull. *λαμβάνειν* s. *ἀπολαμβάνειν ἀπὸ τινος* et *παρὰ τινος.* Provocat porro Apostolus, sermonem convertens ad omnes qui in Galatia fuere Christianos, etiam Ethnico-Christianos (persona usus secunda *ἐστέ*, cfr. ad initium v. 3. observata), ad argumentum experientiae internae, quo omnes Christo vere addicti cognoscere possint, re vera sibi contigisse conditionem illam beatam filiorum Dei v. 6. *Ὅτι δέ* etc. Praeeunte vers. *Vulgata* haud pauci interprr. (Beza Grotius Bengel Semler Morus Rosenmüller Paulus) nexum utriusque membri ita definiunt, ut quod h. l. dicitur *πνεῦμα* animis immissum tanquam *effectus τῆς υἱοθεσίας* describatur: *quoniam filii estis* (*θεοῦ*, quod nonnulli codd. addunt), *Deus Spiritum filii sui animis nostris immisit.* Sententia quidem haud incommoda, si modo recte intelligatur. Id enim adfirmare non potuit, recte aliquem existimari filium Dei, sensu Christiano, priusquam Spiritus ille in eo vim suam exserere coeperit. Non agitur de altero an-

tecedente, altero consequente. Simpliciter adfirmatur, alterum alteri esse coniunctissimum, non posse quenquam Dei esse filium, nisi qui intus hunc Spiritum experiatur. Attamen, quod nuperrime Rückert huic interpretationi opposuit, voculam ὅτι apud Paulum non facile hoc sensu: *quoniam* initio protaseos poni, mihi quoque persuasit, verum vidisse eos intt. qui πνεῦμα h. l. tanquam *documentum* τῆς υἱοθεσίας praedicari dicerent. Oratio Pauli concisa sic intelligenda: *Vos esse Dei filios, Deus ipse comprobavit Spiritu suo mittendo* etc. Πνεῦμα de praestantissimis animi beneficiis professioni verae evangelii coniunctis universe interpretati sumus loco simill. C. III. v. 2. H. l. vbb. κράζον· Ἀββᾶ etc. docent, fiduciam potissimum laetam intelligi ex persuasione intima de summo Dei amore paterno oriundam, volente Deo, per Spiritum div. in mentibus eorum qui Christo vere addicti sunt excitatam. Originem huius fiduciae divinam metaphorice describit verbum ex v. 4. repetitum ἐξαπέστειλεν (sermone magis proprio idem dic. *II. Corr. 1, 22.*). Quod vulgo leg. ὑμῶν post καρδίας, quum personae secundae ἐστὲ υἱοὶ accurate respondeat, hac ipsa convenientia speciem habet vel correctionis vel interpretationis textui illatae. Praeferendam iudicamus cum Millio Griesb. Winero Lachm. lectionem ἡμῶν auctoritate codd. *Alex. Ephr. rescr. Claremont. Aug. Boerner.* itemque Basilii M. *de spir. s. 19. 24.* Tertull. *c. Marc. V, 4.* Hieron. Ambr. aliorumque patrum. Quo sensu Spiritus ille dicatur πνεῦμα τοῦ υἱοῦ (θεοῦ), utrum: *Spir. quem filius Dei hominibus ei addictis promisit et vere largitus est*, an: *qui fuit in filio Dei* (sic τὸ πνεῦμα Ἠλίου *LXX. II. Regg. 2, 15.*), dissentiunt interpretes. Plerique recte, opinor, probant posterius (sensum intell. fiduciae piae ex amore Dei patris verissimo oriundae, qualem Christus habuit, et sermone pariter atque vita declaravit), quum partim ex tota formula: ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς etc. elucescat, h. l. *Deum* potius, quam Christum auctorem praedicari illius fiduciae piae per Spiritum div. in animis Christt. effectae, partim conditio beata et dignitas qua Christiani gaudent, quatenus υἱοθεσίαν consequuti sunt, maiori evidentia et gravitate hoc modo declaretur, ut eundem Spiritum qui in

Christo (filio Dei sensu praestantissimo dicto) fuit accepisse et in communionem vitae internae huius filii Dei venisse dicantur. Cfr. *Philipp. 2, 5. τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Romm. 8, 9.* ubi Spiritus Dei etiam *πνεῦμα* dic. *Χριστοῦ*. Eximiam brevitatem habent gravitati coniunctam vbb. postrema *κράζον* etc. quae docent, Apostolum de ea cogitavisse Spiritus divini efficacitate, qua Christiani impellantur ad preces pietatis et fiduciae plenas ad Deum patrem fundendas: *qui Spiritus clamat* (i. e. nos vociferari iubet, *ἐν ᾧ κράζομεν*, quae glossa ex *Romm. 8, 15.* depromta in codd. *Aug.* et *Boerner.* pro textu vulg. leg.) *Abba pater.* Vb. *κράζειν* a significatione satis cognita *clamandi* s. *alta* (elata) *voce aliquid enuntiandi (Romm. 9, 27. Jo. ev. 7, 28.)* h. l. ad hominem transfertur qui Deum precibus adit ex animo confidentiae piae pleno oriundis, ita ut intente precetur, et quaecunque intus volvat aperte eloquatur. Bene Calvinus ad *h. l.*: „dubitatio enim non sinit nos loqui intrepide, sed fauces veluti compressas tenet, ut vix semifractae voces titubante lingua exeant; contra vero clamor securitatis est indicium ac minime vacillantis fiduciae.“ Substantivum syriacum et chaldaicum h. l. graece formatum *Ἀββᾶ (Marc. 14, 36.* cfr. Lightfoot *horae hebrr. ad Marci c. 14. p. 655.* et Sturz *prolusio I. de Zonarae glossis sacr. N. T. p. 4. sqq.)* propter lectores idiomatis hebr. ignaros explicatur graece *ὁ πατήρ*, ubi nominativus vim habet vocativi, *Matth. 1, 20. Ephh. 6, 1.*, more profanis haud incognito, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 154.* Qua de causa Apost. vocem syr. *adhibuerit*, diversimode explicatur. Nos cum Flattio et Winero existimamus, respexisse Paulum ad sollennes precum *Judaicarum* formulas sic incipientes, quibus ipse tanquam Judaeus esset adsuetus. Etenim, si repetitio h. l. *adfectui* (quod plures intt. voluerunt) significando inserviret, scripsisset, opinor, Apostolus: *ὁ πατὴρ πατήρ*, sive *Ἀββᾶ, ἀββᾶ*. Ad illustrandam sententiam plurimum facit locus *ep. ad Romm. 8, 14. 15. Ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ θεοῦ· οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλ᾽ ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν.*

Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Cfr. v. 26. et *Ephh. 1, 13. 14.* His Apost. conclusionem adnectit, qua docetur, quem effectum habeat *υἱοθεσία*, cuius testimonio interno hic Spiritus div. inserviat v. 7. *Ὥστε οὐκέτι* etc. Unum alloquitur pro multis, subito transitu facto a persona 2. plur. ad 2. singularem, *Romm. 12, 20. I. Corr. 4, 7. Itaque* (tu, qui hunc Spiritum sentis) *non amplius servus es* (*δεδουλωμένος ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου* v. 3.) *sed filius* Dei. Quicunque vero in hac conditione versatur, persuasione certa imbutus, Deum sibi quoque esse patrem, qualem Jesus exhibuerit, is certam habet spem felicitatis aeternae in regno divino futurae veluti hereditatis divinae (III, 18. 29.). Hoc declaratur vbb. ultimis quae diversimode leguntur. Vulgo: *εἰ δὲ υἱὸς καὶ κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ: sin filius* Dei, *per Christum heres quoque Dei* (felicitatis divinitus promissae particeps futurus). Lectiones breviores vel verba *θεοῦ διὰ Χρ.* omittunt (cod. *Ephr. rescr.*), vel locum post *θεοῦ* finiunt (verss. *Copt. Aethiop. Arm.*), vel vbb. postrema sic exhibent *κληρον. διὰ θεοῦ* (codd. *Alex: Vatic.* vers. *Vulg.* Basil. M. *de spiritu s. c. 5.* Cyrill. in *Jo. p. 48.* Ambros. August. aliique patrum), sive *κληρον. διὰ θεὸν* (codd. *Aug. Boerner.*), ut alias minoris momenti taceamus. Nos cum Borgero et Lachmanno Apostolum scripsisse censemus: *εἰ δὲ υἱὸς, καὶ κληρονόμος, διὰ θεοῦ: sin filius, heres quoque, per Deum* (auctore Deo). Ad utrumque, et: *εἰ δὲ υἱὸς*, et: *καὶ κληρον.* hoc *διὰ θεοῦ* referendum est, ratione habita eorum, quae Apost. v. 4. 5. dixerat: *ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς* etc. unde post *κληρονόμος* commate distinguendum putavimus. Haec enim textus conformatio, auctoritate externa haud destituta, ita se habet, ut origo scripturae vulgatae pariter atque ceterarum lectt. ex insolentia quadam dictionis *υἱὸς (θεοῦ) καὶ κληρον. διὰ θεοῦ*, ex similitudine vocabb. *διὰ* et *θεοῦ* (quae transpositioni facile ansam praebuerit), ex comparatione loci similis *Romm. 8, 17. κληρονόμοι μὲν θεοῦ συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ* intelligatur.

Quo maior fuerit dignitas atque praestantia huius conditionis filiorum Dei, quae Galatis divinitus per Christum conti-

gerit, eo minus ferendam esse temeritatem eorum qui iterum delabantur ad conditionem pristinam servilem, verbis seqq. ita docet Apostolus, ut praesertim ad eam coetus Galatici partem quae olim paganismo addicta fuerit respiciat.

V. 8—11. *Ἀλλὰ τότε μὲν, οὐκ εἰδότες θεὸν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς·* (v. 9.) *νῦν δὲ, γνόντες θεόν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ, πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε;* (v. 10.) *Ἡμέρας παρατηρεῖσθε καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς.* (v. 11.) *Φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῇ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς.*

V. 8. *Sed tum quidem* eo tempore (v. 3.) quo fuistis *δεδουλωμένοι* (parum recte *τότε* synonymum voculae *πάλαι*: *olim*, cum Koppio haberi verissime observ. Winer ad h. l.), *quum Deum verum ignorareris (I. Thess. 4, 5.), serviistis Diis qui minime natura sunt Dii.* Ordo verbb. qualem codd. *Alex. Vat. Ephr. rescr. Clarem. Sangerman. Aug.* verss. *Peschito Coptt. Vulg.* Hieron. aliique patrum vett. exhibent: *τοῖς φύσει μὴ οὖσι θεοῖς* correctionem redolet eorum qui voculam *μὴ* participio rectius quam substantivo praefigi existimaverant (sed vd. *Philipp. 2, 4. I. Thess. 1, 8.*), nisi errori scribarum eiusmodi voces facile transponenti tribuere malueris. Scripturam vulg. *τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς* cum Griesb. et Knappio recte tenuit Winer propter ipsam, quam sermoni Paulino addit vim et gravitatem: qui non natura sed ex vana hominum opinione Dii sunt, *λεγόμενοι θεοὶ I. Corr. 8, 5.* Accedit quod ex hoc verbb. ordine, si primitivus habeatur, origo patet eius lectionis (in nonnullis codd. et in Ambros. comment. ad h. l. expressae) quae vocem *φύσει* prorsus omittit. Cui omissioni similitudo vocabulorum continuo se excipientium *φύσει οὖσι* ansam facile praebuit. Altera lectio: qui pro natura sua (quum vita et ratione careant) non sunt Dii, in commentario Rückerti ea potissimum de causa defenditur, quod Apostolus, si illum (vulgo expressum) verborum ordinem tenuisset, rectius dixisset *οὐ φύσει οὖσι* etc., cuius sententiae argumenta desidero. *Δουλεύειν* quanquam de vero unius

Dei cultu dicitur qualis esse debet *I. Thess. 1, 9. al.*, h. l. tamen adiunctam utique habet notionem *conditionis deterioris (servilis)* animi eorum, qui Deos colunt fictitios, qui sacrificiis donis ritibus multis eiusmodi Numinum iram avertere eorumque favorem sibi conciliare student. Cfr. v. 3. ἤμεν δεδουλωμένοι et v. 9. δουλεύειν θέλετε. Non mirandum quidem (ait) quod, quamdiu Deum verum ignorastis, numinibus fictitiis servitium praestiteritis. Attamen quod, impetrata iam Dei veri patris cognitione, redeundum existimatis ad servitutem illi similem, nullam omnino admittit excusationem v. 9. Νῦν δὲ, γνόντες θεόν etc. Sententia verbis γνόντες θεὸν enuntiata (quae illis οὐκ εἰδότες θεὸν sic opponuntur, ut pateat, γιγνώσκειν h. l. non aliter dici quam v. 8.): *postquam cognovistis Deum*, per formulam μᾶλλον δὲ: *immo vero* s. *ut rectius dicam (Romm. 8, 34.* Raphel. *adnotatt. ex Polyb. et Arr. ad h. l.)* corrigitur atque perficitur. Id enim maxime declaraturus erat Apostolus, conditionem perfectiorem, quae illis, quum Christiani fierent, contigerit Deo vero patre recte cognoscendo, nulli eorum merito sed gratiae Dei liberae esse tribuendam. Proinde haec addit: *sive potius postquam a Deo fuistis agniti* (filii eius per Christum). Participium quippe γνωσθέντες h. l. recte sic intelligi, ut Apostolus a notione *cognoscendi* ad significationem maxime cognatam *agnoscendi* transiisse existimetur, Theophylactus (qui interpret. προσληφθέντες ὑπὸ θεοῦ) Ambros. (Deus advocavit eos ad suam gratiam) Calvinus Grotius Michaelis Zachariae Borger Winer Rückert verissime iudicarunt. Maluerunt alii formam passivam vb. γιγνώσκειν h. l. ad potestatem coniugationis hebr. Hophal. referre: postquam ad cognitionem Dei per Deum adducti fuistis (cfr. Wolf Semler Koppe Bolten Flatt ad h. l.). Desideramus testimonia huius dic. rationis idonea, siquidem quae vulgo laudantur effata *I. Corr. 8, 3. 13, 12.* ita se habent, ut priori quidem loco οὗτος recte possit ad τὸν θεὸν referri: hic, Deus, eiusmodi hominibus recte innotuit, posteriori vero καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην recte vertatur: quemadmodum ipse perfecte cognitus sum Deo. Notionem *agnoscendi* aliquem, qualis vere sit s. qualis haberi

velit ac debeat, verbo γιγνώσκειν usus loquendi omnino vindicat, patetque ex hac signific. quomodo factum sit, ut interdum (pariter atque nostrum: Jemanden anerkennen) adiunctam haberet potestatem *amandi* diligendi aestumandi, instar hebr. יָדַע, cfr. *Luc. 24, 35. Jo. ev. 1, 10. II. Tim. 2, 19. Plutarch. vita Agesil. T. I. p. 597.* ubi de agnoscendis liberis sermo est. Minus perspicua apparet Matthiesii interpretatio, cui γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ sunt homines in quibus quum veritati sint addicti Spiritus divinus, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, se ipse (s. sui ipsius imaginem) agnoverit. *Nunc vero, postquam Deum cognovistis sive potius ab eo fuistis agniti* (filii), *quomodo tandem rursus vos convertitis* (sic πῶς C. II. v. 14.), quomodo fieri potest, ut rursus vos convertatis (cfr. de ἐπιστρ. ad *I. Thess. 1, 9.* obs.) *ad infirma et egena elementa, quibus iterum ad initium redeundo vultis servire?* Non est, quod ἐπιστρέφετε cum nonnullis intt. pro θέλετε ἐπιστρέφειν accipiatur. Loquitur enim Apost. de iis Ethnico-Christianis qui doctoribus vanis indulgentes *hoc iam agebant*, ut exemplum sequerentur Judaeo-Christianorum qui ritus Judaicos repeterent. Neque in eo haerendum, quomodo homines ex *paganismo* ad Christum conversi dici potuerint *iterum* sese convertere ad rudimenta imperfecta religionis doctrinae et disciplinae (στοιχεῖα), qualia essent statuta legis Mos. et traditionum? Teneamus quod supra ad v. 3. innuimus, Apostolum τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, ubi de Judaeo-Christianis loqueretur ita commemorasse, ut *insuper* complecteretur ea paganorum religionis placita et instituta externa, quibuscum Judaica eatenus *comparari* possent, *quatenus etiam haec tironibus essent accommodata imperio sensuum obnoxiis.* [Hoc enim facilius conceditur in explicando Pauli olim Judaei effato, quam quod Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. statuunt, Apostolum h. l. *ipsa paganorum idola*, praesertim astra pro Diis habita, τοὺς μὴ φύσει θεούς, appellavisse στοιχεῖα ἀσθενῆ, quo declararet, dierum rituumque observationem *Judaicam* idolorum cultui *parem* esse habendam.] Nec defuisse videntur inter Ethnico-Christianos Galaticos, qui, priusquam ad sacra transirent Christiana, aliquamdiu essent *proselyti por-*

tae, aliquam certe partem rituum Judaicorum observantes, cfr. Noesselt *opuscc. fascic. I. p. 293. sqq.* Voculam πάλιν quo minus cum Flattio vertamus: *retro* (ut notionem conditionis *deterioris* potissimum exprimat), sequentia impediunt his arcte coniuncta οἷς πάλιν etc. ubi πάλιν eiusmodi interpretationem non admittit. Quemadmodum στοιχεῖα v. 3. dicebb. τοῦ κόσμου, ita h. l. tanquam ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ describuntur, *infirma et egena*, leiuna (ärmlich, dürftig), quae nullam habent vim ad veram salutem homini comparandam, cfr. *Hebrr. 7, 18.* ubi de lege dic. διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές. His non repugnat, quod Apost. loco simili *Coloss. 2, 16. 17.* statutis illis Judaeorum cerimonialibus hanc certe utilitatem vindicat, ut *adumbrationi* (σκιᾷ) rerum futurarum, oeconomiae Christianae, inserviisse adfirmet. Habuerant utique aliquam vim adumbrandi et praeparandi conditionem praestantiorem. Sed nihil amplius iuvabant, immo retardabant homines, qui quum iam pervenissent ad Christum (τὸ σῶμα *Col. 2, 17.*) redire malebant ad elementa prima quam ulterius progredi. Quod vulgo de voc. ἄνωθεν adfirmatur, significasse interdum i. q. *iterum, denuo*, etiamnum negandum existimo (cfr. progr. meum *de prooemio evangelii Lucae etc. Jenae, 1828. p. 12.*) consentiente Bretschneidero in *Lex. man. in libros N. T. T. I. ed. II. p. 108.* et Matthiesio ad h. l. Quoties de *tempore* usurpatur, ubique i. q. *olim* sive *ab initio*, *Luc. 1, 3. Actt. 26, 5. Sapient. 19, 6.* (ubi πάλιν ἄνωθεν vel: iterum eo modo quo a principio, vel: iterum desuper, divinitus). Nec aliter h. l. dicitur. Quicunque rudimentis illis egenis, quibus ante suam ad Christum conversionem addicti fuerant, *iterum* (πάλιν) servire volebant, hoc ita faciebant, ut *redirent ad initia*, elementa prima (ἄνωθεν, quem sensum bene assecutus est Rambach ad h. l.), quae elementa parum accommodata essent cognitioni emendatae et dignitati Christianorum. Species pleonasmi meri fefellit interpretes, qui nostrum πάλιν ἄνωθεν h. l. pro simplici πάλιν acceperunt, comparantes formulas similes πάλιν ἐκ δευτέρου, πάλιν αὖ s. αὖ πάλιν s. αὖθις πάλιν (cfrr. Koppe Flatt Borger Winer ad h. l.). Exemplis declaratur, quale sit

hoc *δουλεύειν στοιχείοις πτωχοῖς* v. 10. *Ἡμέρας παρατηρεῖσθε* etc. *Παρατηρεῖν* mediumque *παρατηρεῖσθαι*, proprie de eo usurpatum, qui adstans rem hominemve attente observat *Xenoph. memorr. III, 14, 4. al.*, sive qui diligenter attendendo curat, ut aliquid recte dicatur aut fiat *Dionys. Hal. περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος* T. VI. ed. Reisk. p. 1118., in hac orationis serie observationem innuit sedulam immo superstitiosam placitorum rituumque ad dies festos celebrandos spectantium, *Joseph. antt. Judd. III, 5, 5.* *Ἡμέρας* quippe emphatice dictum loco simili *Rom. 14, 5. 6.* omnino dies certos statos et sollennes complectitur, vel ieiuniis agendis, vel a laboribus manuum vacando, vel sacrificiis aliisque ritibus distinguendos, quales apud Judaeos fuerunt *sabbatha* (per se quidem recte et utiliter instituta, sed tempore seriori per traditiones Pharisaeorum praeceptis multis arbitrariis et molestissimis onerata) apud Ethnicos permulti dies idolis singulis consecrati. Hoc loco, quum deinde *μῆνες καιροὶ ἐνιαυτοὶ* commemorentur, haud dubie eiusmodi dies intell. sollennes, qui singulis hebdomadibus redeunt, sabbatha. *Μῆνες* vero sunt dies, qui semel quovis mense habentur sollennes, apud Judaeos *novilunia* (hebr. חֹדֶשׁ) *Col. 2, 16. Numerr. 28, 11. 29, 1.* Ab his *καιροὶ* distinguuntur, cuiusque anni tempora certa sollenniter celebranda, quae plures dies complectuntur, apud Judaeos v. c. pascha, festum tabernaculorum, etc. מוֹעֲדִים *LXX. Levit. 23, 4. Numerr. 9, 3.* Causam huius significationis malim ex eo repetere, quod *καιρὸς* omnino de tempore diceb. statuto *(Jo. 5, 4.)*, quam Koppio praeunte ex notione: anni tempestas, quo sensu *καιρὸς Actt. 14, 17.* Postremum *ἐνιαυτοὺς* intt. plures (Zachariae Borger Wahl in *Clavi N. T. philol. Vol. I. ed. II. p. 543.* Bretschneider *Lex. man. ed. II. Vol. I. p. 421.)* cum praeced. *καιροὺς* ita coniungunt, ut tanquam praedicatum voci *καιροὺς* accuratius definiendae inserviat: festa annua. Magis perspicue, opinor, scripsisset Apostolus, si hanc notionem animo volveret: *καιροὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ*, ut *LXX. Exod. 23, 14. 34, 23. II. Chronn. 8, 13.* Cogitavit haud dubie de *iis temporibus festis quae certis tantum annis agebantur*, vel de

anno sabbathico (cfr. Flatt ad h. l. et F. Koehler: *Annalen der gesammten theolog. Litter. u. der christl. Kirche, 1. Jahrg. 2. B. 3. H. Coburg u. Leipz. 1831. 8. p. 249.)* i. e. quovis septimo, quo agri Hebraeorum conseri non debebant, servi manumittebantur, neque cuiquam licebat debita a civibus egenis repetere, *Exod. 23, 10. 11. Levit. c. 25.*, vel de *anno iubilaeo*, i. e. quovis quinquagesimo, de quo praeceptum erat, ut agri omnes Hebraeorum iis qui primi eos possedissent eorumve heredibus gratis redderentur, debita remitterentur, servi libertatem impetrarent, *Levit. c. 25. Jos. Antiqq. Judd. III, 12, 3.*, vel, quod Koppio Winero aliisque praeplacuit, de *utroque*. Nolim vero ex his colligere, annum quo Paulus hanc epistolam exararet fuisse sabbathicum. Verissime impugnavit F. Koehler l. l. sententiam Borgero probatam, qui παρατηρεῖσθε *imperativum* habet, quo Paulus illos doctores vanos (C. I. v. 7.) loquentes inducat: observate dies etc. Nihil enim praecedit, ex quo colligas, v. 10. aliorum verba proferri. Reprehendit Apost. eos qui vere iam coeperant iterum subesse illis στοιχείοις: *observatis dies, menses, tempora stata, annos.* Proinde, quantam sollicitudinem sibi haec defectio a libertate vera evangelica adferat, verbis profitetur v. 11. Φοβοῦμαι ὑμᾶς etc. Servandum putamus ὑμᾶς post. φοβ. quanquam in aliquot codd. in verss. *Peschito* et *Arabb.* in ed. Sixtina vers. *Vulg.* apud Theophyl. et alios quosdam patrum vett. desideratur. Omissio quippe pronominis ex corrigendi studio facile oriebatur, quum *h. l.* minus recte aut perspicue positum videretur. Sed bene se habet ὑμᾶς, quanquam non dixerim cum Winero pronomen, quod proprie tantummodo ad membrum posterius pertineret, simul ad prius fuisse traductum per attractionem: *metuo, quod vos attinet, ne frustra* (εἰκῇ, vd. C. III, v. 4.) *laborem vobis impenderim.* Alius generis esse effata apud Winerum *Grammatik etc. ed. III. p. 432. sq.* laudata, quae vere attractionem contineant, scite obs. Matthies ad h. l. Malim cum Matth. et Flattio illud ὑμᾶς sic intelligere: *a vobis metuo*, (quod explicetur verbis sqq.) ne vos ipsi culpa vestra irritum reddideritis laborem meum, nec mihi am-

plius liceat (quod Apostolus, animo quidem pio et modesto, lubenter faciebat *I. Thess. 1, 2. sqq. 2, 19. sq. II. Thess. 1, 4.*) de conditione vestra Christiana gloriari. Similiter Ambros. interpr. *timeo vos*, ne frustra laboraverim in vobis [sic enim videbat eos in peius prōficere, ut possent etiam a Christo penitus recedere]. De vb. κοπιᾶν vd. ad. *I. Thess. 5, 12.* *Scopum* laboris indicat εἰς sq. ὑμᾶς, *Romm. 16, 6.* Consulto modus *indicat. perfecti* κεκοπίακα post voc. μήπως ponitur, quo luculentius declaretur, Apostolum omnino habere quod existimet, hoc iam factum esse, i. e. laborem suum in pluribus certe Galatarum, quales tum temporis se gererent, apparere frustraneum (donec resipiscerent). Vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 420.* Ad quem loquendi usum minus accurate animum attenderunt intt. vett. (Chrysost. Theophyl. Oecum.) qui Paulum contrarium innuisse existimant: nondum in eo sum, ut vos ad Christum frustra conversos fuisse statuam.

Reprehensionem iustam huius inconstantiae Galatarum cohortatio excipit, qua Apostolus Christianos illos cum adfectu amoris tenerrimo admonet et obsecratur, ut ad bonam frugem redeant ipsiusque exemplum imitentur, memoriam repetens temporis praeteriti, quo Galatae Apostolum doctrinam div. iis praedicantem summa cum reverentia et lubentissime exceperant.

V. 12. 16. *Γίνεσθε ὡς ἐγώ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς, ἀδελφοί, δέομαι ὑμῶν. Οὐδέν με ἠδικήσατε· (v. 13.) οἴδατε δὲ ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, (v. 14.) καὶ τὸν πειρασμὸν [μου], τὸν ἐν τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε οὐδὲ ἐξεπτύσατε, ἀλλὰ ὡς ἄγγελον θεοῦ ἐδέξασθέ με, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν. (v. 15.) Τίς οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν, ὅτι, εἰ δυνατόν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες [ἂν] ἐδώκατέ μοι. (v. 16.) Ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν;*

Cohortatio ad resipiscendum verbis profertur ambiguitati cuidam obnoxiis v. 12. *Γίνεσθε* etc. Quanquam membrum prius nullam habet difficultatem: *fiatis* s. *estote qualis ego*

sum (similiter γίνεσθαι cum adverbio pro adiectivo coniungitur *I. Corr. 16, 10. I. Thess. 2, 10.*), s. imitamini meum exemplum (*I. Corr. 11, 1. Philipp. 3, 17.*); magnopere tamen dissentiunt de ellipsi quae in membro posteriori: ὅτι κἀγὼ etc. apparet recte supplenda et interpretanda. Alterutrum eligendum est, ut vel quod centies deest εἰμὶ suppleatur, vel ex vb. praecedente γίνεσθε imperfectum ἐγενόμην, quemadmodum alibi interdum ex vb. praeced. eiusdem vb. aliud tempus aliusve modus sive persona alia cogitando additur, *Marc. 14, 29. II. Tim. 1, 5.* Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 467.* [Quo minus enim *praesens* γίνομαι repetatur, impedit, quod eiusmodi supplemento h. l. sententia deest idonea, quum γίνομαι nunquam pro simplici εἰμὶ dicatur.] Quodsi *prius* amplecti volueris, quaeritur, quo sensu Apost. dicere potuerit: *siquidem ego quoque sum, quales vos estis?* Haud exiguum quippe discrimen Paulum inter eosque Galatas, quorum defectio a libertate vera evangelica h. l. maxime vituperata fuerat, intercedebat, quum Apostolus ritus Judaicos Christianis non amplius curandos esse strenue assereret, illi vero tum temporis contrarium facerent. Huic difficultati solvendae parum commode ita consulitur, ut (quae videtur Koppii fuisse sententia) pronomen ὑμεῖς ad *Ethnicos omnes*, suo more viventes, a sacris Judaicis alienos referatur, in auxilium vocato C. II. v. 14. ubi Apost. de Petro hanc formulam usurpavit, eum, quamdiu libertate a legibus Judd. ritualibus uteretur, vixisse ἐθνικῶς. Verissime enim intellexit Borger ad h. l. idem cogitandum esse subiectum pronominis ὑμεῖς, quod in membro priori verbo γίνεσθε innueretur (eosdem Christianos Galaticos, qui ad resipiscendum excitarentur). Nec facilius admittere liceat hanc vbb. interpretationem: *siquidem ego quoque talis sum, quales vos olim facti estis*, non amplius me obnoxium sentio legi Mosaicae, quemadmodum vos, quum primum nomen dedissetis Christo, non curavistis statuta Jud. (donec a libertate evangel. deficeretis). Sic enim ellipsis *aliter* supplenda post κἀγὼ (εἰμὶ), *aliter* post ὑμεῖς (ἐγενήθητε). Alium tramitem inierunt qui amoris similitudinem praedicari existimant: *estote mihi (amore mei) similes*, eodem, quo ego vos,

amore me amplectimini (cfrr. Wolf Grotius Cramer Morus al.). Sed neque versus praecedd. qui nullam omnino huius amoris mentionem fecerant eiusmodi interpretationem adiuvant, neque hac ratione probata membrum posterius recte intelligi potest. Contortius quippe et languidius vbb. ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς vertuntur: siquidem ego quoque vobis similis sum amore (quali vos olim me amplexi estis). Nec satis perspicue cum Baumgartenio hanc sententiam eruere licet: siquidem, quae vobis prosunt, unice cogito tanquam si prorsus ad vos pertineam. Facilius interpretari liceat cum Calvino et Rückerto: „mecum paria faciatis; quemadmodum ego nihil aliud quaero, quam me vobis commodum praebere, s. (ut accuratius apud Rückertum definitur) quemadmodum me ad vestram imbecillitatem docendo accommodavi, ita aequum est, vos flecti ad moderationem, ut vos mihi dociles et obsequentes mutuo praebeatis, sive ut vos conformetis ad meum exemplum". Dubitamus, an illud Apostoli studium se accommodandi ad ingenia discipulorum formula brevi γίνομαι s. ἐγενόμην ὡς ὑμεῖς satis dilucide exprimi potuerit. Alia est series effati, quod huic interpretationi omnino favere videtur *I. Corr. 9, 20. sqq.* Qui *posterius* probant (suppl. ἐγενόμην) eorum plures haec ad conditionem Pauli referenda existimant, quae fuerat ante conversionem (Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Ambros. inter recentt. Semler et Matthies): *ego quoque olim fui, quales* (nunc) *estis, eadem plane sentiebam quae vos sentitis*, ζηλωτὴς fui νόμου, C. I. v. 13. sq. Sed hoc argumento Galatae, ut libertatem vere evangelicam Judaismo servili praeferrent, impelli non potuerunt, nisi Apostolus diserte adderet (quod in hac serie argumentationis reticere haud licebat, nisi Paulus admodum ambigue esset scripturus): sed posthac renuntiavi rebus Judaicis. Proinde, ut sententia evadat perspicua, consilio Apostoli accommodata, necesse est, cum Flattio Rosenmüllero aliisque hoc supplementum ἐγενόμην de hac ipsa mutatione insigni interpretemur, quam Paulus subierat, quum doctrinam Chr. toto animo amplecteretur: estote mei similes (decutiendo iterum iugo legis Mos.), *siquidem ego quoque factus sum, quales*

vos (suppl. *ἐγένεσθε*) *facti estis*, quum Jesu Christo nomen daretis, abiecis studia pristina Judaismi pariter atque vos olim abiecistis. Constantiam suam in conditione perfectiori perseverantem opponit inconstantiae illorum. [Merum ingenii lusum dixerim, quod Borger coniecit, *γίνεσθε* h. l. formam esse *praesentis* indic. totaque enuntiatione calumniam refutari impostorum, qui Galatis persuadere voluerint, Apostolum ipsum mutasse sententiam, nec amplius impugnare rituum Judaicorum utilitatem ac necessitatem. Facile quisque videt, quam arbitrarie plura ponantur, et per ambages cogitando addantur, ut tandem prodeat quod Borger his vbb. inesse censuit: vos quidem ut dicere soletis mei estis similes legis Mos. studio, quum ego plane vobiscum faciam legem cerimonialem plurimi aestumantibus — obsecro vos, fratres! utinam verum sit, quod dicitis, vos mei esse similes! Si enim me *re vera* imitemini, lubens confiteor, vos, quum diceretis vos mei similes esse, nullam mihi et famae meae intulisse iniuriam, *οὐδέν με ἠδικήσατε*.] Cohortationi Apostolus preces iungit fraternas *ἀδελφοί* etc. *rogo vos, fratres* (ut *II. Corr. 5, 20. δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ* etc. *I. Thess. 4, 1. ἐρωτῶμεν ὑμᾶς* etc.) Qui contenderint, his *δέομαι ὑμῶν* formulam proferri *obtestandi*, vera esse quae Apost. scripserat *κἀγὼ ὡς ὑμεῖς*, eos omnino destituit usus loquendi N. F. Facilius quidem, Baumgartenio praeeunte, vertere liceat: rogo vos, ut serio perpendatis, quae modo dicturus sim. Sed nihil impedit, quo minus (quae maxime in promtu posita esse videtur interpretatio) ad *antecc.* referatur: estote mei similes etc. Quo nexu his cohaereant vbb. *οὐδέν με ἠδικήσατε*, vulgo sic intellecta: *nulla me adfecistis iniuria* (ex usu cognito vb. *ἀδικεῖν*, *Actt. 25, 10. Philem. v. 18. Xenoph. Anab. I, 4, 9. al.*), diversimode explicant. Argumentum inesse, quo Galatae moveantur, ut precibus Apost. satisfaciant: nunquam alias iniurii erga me fuistis, precibus meis ac desideriis alias nunquam vos opposuistis (cfr. Flatt ad h. l.), propterea negaverim, quod Apostolus, si hanc sententiam animo volveret, minus apte immo languidius scripsisset. Abstinentia quippe ab iniuria alteri inferenda multum differt a voluntate promta et parata ad

vitam secundum monita eius temperandam. Recte, opinor, hoc intellexerunt Koppe Winer aliique intt. eundem amoris fraterni adfectum, quem Apost. vbb. *ἀδελφοί, δέομαι ὑμῶν* professus fuerat, amplius explicari declaranda huius adfectus causa. Non omnino tamen probatur, quod plerique verbo *ἀδικεῖν* h. l. potestatem tribuunt iniuria aliquem adficiendi. Etenim, quo tempore Paulus has litteras exarabat, ii Galatae, qui doctoribus vanis observationem legis Mos. Christianis iniungentibus Apostolo adversantibus aures praebebant, utique *iniurii* fuerant in Paulum libertatis vere evangelicae strenuum defensorem. Nec dixerim Apostolum de tempore tantum *praeterito (donec deficerent)* hoc *οὐδὲν ἠδίκ.* enuntiasse. De iis quippe quae Galatae *olim* fecerint versu demum sequente aperte loquitur. Praeferenda Ambrosii interpretatio: *nihil mihi nocuistis* (deficiendo a libertate evangelica), vobis tantum hoc obfuit. Quo sensu nocendi, damnum inferendi *ἀδικεῖν* leg. *Luc. 10, 19. Apocal. 6, 6. 7, 2. 3. Plat. Gorgias s. 11. p. 56. s. 15. p. 66.* ed. Findeis. Fratres, ait, *precando* vos admoneo (animo haud iracundo, sed etiamnum caritatis pleno, de salute vestra sollicito), nec mirum, quod ita faciam, vos enim nihil mihi nocuistis, et olim quidem caritatem summam mihi exhibuistis v. 13. *οἴδατε δὲ* etc. Quum vocula *δέ*, inter syllabam postremam vb. *οἴδατε* et seq. *ὅτι*, errore scribendi *omitti* facile potuerit, nolim pro additamento habere librariorum, quanquam in codd. *Clarem. Aug. Boerner.* vers. *It.* apud August. et Ambr. desideratur. Inservit antithesi, s. gradationi: nihil mihi nocuistis, immo contrarium olim fecistis, *ipsi meministis* (sic *οἶδα I. Corr. 1, 16.*) *me per imbecillitatem carnis olim vobis tradidisse doctrinam laeta nuntiantem.* De usu voc. *σάρξ* ad C. I. v. 16. vid. *Ἀσθένεια* vero simpliciter positum partim de *corporis* infirmitate et aegritudine usurpatur *Matth. 8, 17. Luc. 13, 12. Xenoph. memorr. IV, 2, 32. Plat. Timaeus p. 3.* ed. Lindau (Lips. 1828.) itemque de alia adflictione *externa* varii generis *II. Corr. 11, 30. 12, 5. 9.*, partim de *animo* et *mente*, vario sensu, ita ut modo eruditionis atque facundiae, qualem homines captant et laudant, defectum significet *I. Corr. 2, 3.*, modo eiusmodi

imbecillitatem iudicii et cognitionis qualem secum ferre solet indoles hominis imperio sensuum obnoxii *Romm. 6, 19.* (ubi ἀσθένεια τῆς σαρκὸς dic.), modo timiditatem animi inter aerumnas de salute facile desperantis *Romm. 8, 26.*, modo universe proclivitatem humanam ad errores et vitia *Hebrr. 5, 2. 7, 28.* Proinde formula composita ἀσθένεια τῆς σαρκὸς universe quidem imbecillitatem quandam innuit s. conditionem deteriorem, ad naturam hominis quatenus in hac terra vivit carne et sanguine praeditus pertinentem sive ex hac natura oriundam. Cogitavisse Apostolum h. l. de *sua* quadam non Galatarum ἀσθενείᾳ σαρκὸς, ex v. 14. elucescit, nec facile docetur, quomodo Paulus scribere potuerit δι' ἀσθένειαν σαρκός, si hoc dicturus esset, quod nonnulli verbis inesse existimant (cfr. Hieron. ad h. l. Hug. *Einleit. in die Schriften des N. T. Vol. II. p. 315. ed. II.* Rettig: *theolog. Studien und Krit. von Ullmann u. Umbreit 1830. 3. Jahrg. 1. B. p. 109. sqq.*), se olim Galatis doctrinam div. ita tradidisse, *ut eorum mentis imbecillitati institutionem accommodaret.* Scribendum fuerat κατὰ τὴν ἀσθεν. σ. etc. Qualem vero intellexerit *suam* imbecillitatem et quam vim διὰ h. l. habeat, disputatur. Qui huic praeposit. potestatem sollennem vindicant, ut rationi s. causae vel efficienti vel moventi significandae inserviat (sq. accus.), sententiam Pauli sic interpretantur: imbecillitate corporis, quae me diutius in regione vestra detinuit, opportunitatem praebente doctrinam div. vobis exposui, cfr. Flatt ad h. l. Storr *opuscc. acadd. Vol. II. p. 366.* Putabimusne, Apostolum suam evang. praedicationem ita commemorasse, ut tantummodo calamitate externa veluti coactus inter Galatas docuisse videretur? Maluerunt plerique hoc δι' ἀσθεν. ad *conditionem* indicandam referre (i. q. ἐν ἀσθενείᾳ). Intelligunt quippe *a) vel* cum Semlero *timiditatem*, quae Paulum illo tempore prohibuerit, quo minus aperte et fortiter se opponeret defensoribus Judaismi (parum probabiliter vero Paulus, post conversionem, eiusmodi hominibus unquam *timide* cessisse existimetur, neque auctor libri: *P. Sendschr. an die Gal. u. Jo. 1. Brief übers. Neustadt a. d. O. 1827. p. 87. coll. p. 101.* ex loco *Romm. 7, 14. sqq.* unquam probaturus est, Apostolum quo

tempore Galatas ad Christum converteret etiamnum adhaesisse legi cerimoniali), *b) vel eruditionis* humanae et *ingenii tenuitatem*, quam prae se tulerit inter Galatas (quaeritur, qua de causa Apost. hoc potissimum nunc Galatis in mentem revocandum esse putaverit?) *c) vel*, ut Chrysost. Theophyl. Oecum., *vexationes ab adversariis* sive Judaicis sive Ethnicis *Paulo illatas*, quibus graviter adflictus Galatas adierit doctrinam Christ. iis traditurus (sed nihil perhibet Lucas *Actt. 16, 1—6.* de eiusmodi adflictione quae Paulo tum temporis evenerit, neque huc pertinent quae *Actt. 14, 5. 6.* leguntur, quum probari omnino non possit, Apostolum in hoc itinere cuius historia *Actt. c. 14.* enarratur Galatiam adiisse, cfr. prolegg. §. 3.), *d) vel*, ut Hieronymus (quanquam hic inter sententias diversas fluctuat) recentius Bolten Rückert Matthies aliique, *dolores et molestias ex quadam corporis infirmitate et aegritudine oriundas* inter quas olim docuerit Galatas, *e) vel universe* (cfr. Calvin.) *quicquid cum poterat vilem reddere et contemtum* ex vulgari hominum indicio, sive (Rosenmüller Borger Koppe Winer al.) *res adversas quae corpori rebusque hominum externis eveniunt.* Dubio caret, διὰ seq. *genitivo* ita adhiberi, ut aliquis sic vel aliter adfectus, *in hoc illove statu* vel externo vel interno aliquid fecisse dicatur, Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 325.* Sed prorsus desideramus exempla *accusativi* hanc praeposit. *sic* positam excipientis. Unam video rationem expediendae difficultatis, ut concedamus, διὰ h. l. significationem habere aliunde satis cognitam (*I. Corr. 7, 5. Hebrr. 5, 14. II. Petri 3, 12. al.* vd. Wahl *Clavis Vol. I. ed. II. p. 276.* Winer *Gramm. p. 339.*) *rei per quam* s. cuius ope *aliquid fiat.* Non sufficiebat Paulo dixisse: doctrinam laeta nuntiantem prima vice ita vobis tradidi, ut valetudine essem adfectus. [De valetudine adversa quacum Apostolo saepius conflictandum fuerit cfr. *II. Corr. 12, 7. 10.* Quem fuisse *oculorum* morbum atque dolorem ex iis quae in conversione Pauli *Actt. 9, 3. 8. 9.* acciderant oriundum, huiusque potissimum morbi ratione habita dixisse Paulum v. 15. ὅτι, εἰ δυνατόν, τοὺς ὀφθαλμοὺς etc. haud improbabiliter coniecit Lomler: *Anna-*

len der gesammten theol. Litter. 1. Jahrg. 1 B. 3. H. Coburg u. Lpz. 1831. p. 267.] *Graviorem* sententiam eloqui voluit, cum acumine singulari: *per ipsam aegritudinem carnis* doctrinam div. vobis tradidi (ad Christum vos perduxi). Id ipsum, quod *assidue* et *alacriter* inter Galatas praeconio evangelii fungeretur, *quamvis imbecillitate et aegritudine corporis laboraret,* haud exiguam vim exseruisse dicit in animos Galatarum, atque *permultum eo contulisse,* ut doctrinam div. successu felici traderet. Hanc Pauli sententiam bene assequutus est A. Neander: *Gesch. der Pflanzung und Leitung der christl. Kirche durch die Apostel Vol. I. Hamb. 1832. p. 214. sqq.* Quam promte et benevole Galatae illo tempore eum exceperint, amplius docet v. 14. καὶ τὸν πειρασμὸν etc. quae verba etiamnum ab initio v. 13. οἴδατε δὲ pendere existimamus cum Koppio et Borgero: *atque* (ipsi nostis) *vos hanc tentationem meam, quae carnem meam adficeret, non sprevisse nec respuisse, sed tanquam nuntium Dei me excepisse, tanquam Christum Jesum.* Subst. πειρασμὸς (apud profanos potius πεῖρα s. πείρασις): tentatio, exploratio *Matth. 6, 13. I. Petri 4, 12.*, haud raro ad calamitates s. mala externa transfertur, quatenus eam habent vim, ut fides constantia virtus hominis tentetur *Luc. ev. 22, 28. Actt. 20, 19. I. Petri 1, 6.* Eodemque sensu h. l. recte intelligi verba docent seqq., sive scripturam teneamus vulgarem τὸν πειρ. μου etc. sive μου quod propter vbb. sqq. supervacaneum videtur deleamus auctoritate verss. *Peschito Arab.* ex ed. Erp. *Armen.* quibus et codd. quidam (non insigniores quidem) addicunt et Basilius ac Theophyl. Rem universe enuntiatam magis definiunt haec τὸν ἐν τῇ σαρκί μου: *tentationem quae tantummodo naturam meam inferiorem adfecit* (vitam meam externam molestiis ac doloribus obnoxiam reddidit) attamen vim nullam habuit ad consilia et proposita animi immutanda et infringenda. Nequeo enim calculum addere Rettigio in comment. supra l. eonilicienti, Apostolum h. l. de pristina sua Christianorum persequutione cogitavisse; siquidem haud facile dixeris, qua de causa Apostolus, quod alibi (cfr. ad C. I. v. 13. obs.) diserte et perspicue professus est, se olim

fervore coeco abreptum ecclesiam Christianam infestasse, h. l. formula enuntiaverit quae vitam ante conversionem actam *parum perspicue ac definite* innueret; nec facile Galatae (quod interpretatio Rettigii ponit) perpendendis iis quae Paulus ante conversionem fecerat impediri potuissent, quo minus lubenter eum exciperent, quum eo tempore quo Paulus prima vice Galatas adiit satis constaret, eum toto animo deditum esse Christo. Quo luculentius declaretur veritas atque praestantia amoris Galatarum qui in hac Apostoli conditione extrinsecus adficta ne minimum quidem offenderint, cum emphasi dicitur: non sprevistis *τὸν πειρασμόν μου* i. q. *πεπειρασμένον με τῇ σαρκί μου οὐκ ἐξουθενήσατε* etc. Paulo aliter sententia conformatur, si Millio et Lachmanno praecuntibus lectionem praeferre volueris codd. *Alex. Vatic. Ephr.* rescr. *Clarem. Aug. Boerner.* verss. *Vulg. Copt.* (memphit.) *It.* Cyrilli Alex. (T. V. Opp. P. I. p. 279.) Hieron. Augustin. Ambros. qui pro *μου τὸν* exhibent *ὑμῶν*. Qua probata in promtu est, Paulum calamitatem qua illo tempore adfligeretur *tentationem* appellavisse *Galatarum*, siquidem quae Apostolo evenerant vim habebant ad explorandum Galatarum in Paulum amorem. Reciperem ipse *ὑμῶν* auctoritate externa satis munitum, nisi sententia appareret argutior, ceteris quae hoc commate dicuntur minus accommodata. Illud quippe: non sprevistis, obiecto *πειρασμὸν* multo aptius convenire putaverim, si rem qua ipse Paulus tentaretur intellexeris, quam si de tentatione cogitaveris Galatarum. Ceterum haec ipsa lectionis inconstantia (cfr. quae supra de *omisso μου* observ.) mihi pariter atque Winero fere persuasit, scripsisse Apostolum *καὶ τὸν πειρασμὸν τὸν ἐν τῇ* etc. Prius quippe additamentum *μου* speciem habet glossematis. Posterius *ὑμῶν* (difficilius quidem quam quod glossemati tribuatur) originem ducere potuit ex antiquo scribendi errore, cui vel ipsa scriptio continua litterarum uncialium *MOYTON* ansam praebuerit, vel lineola similis ad quam librariorum oculi facile aberrarent v. 15. *μακαρισμὸς ὑμῶν*. De vb. *ἐξουθενεῖν* ad. *I. Thess. 5, 20.* vid. Eandem notionem *spernendi, contemnendi* verbum exprimit efficacius, in N. F. semel obvium, profanis haud incog-

πάντα ἐφ' οἷς ἐμακαρίζεσθε παρὰ πάντων, ὡς φιλοδιδάσκαλοι; etc. Theodoreti verba Oecum. repetit, non omissa quidem interpretatione aliis probata. Proinde Paulum scripsisse censemus: τίς οὖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; Quod quum haud pauci sic fuissent interpretati: quae tandem *nunc* est felicitatis (sive conditionis laudabilis) vestrae praedicatio? i. e. quae olim fuerat, evanuit; mature adscriptum est *glossema* ποῦ (ubinam est μακαρ.?) quo lectio vera ex pluribus librorum antiquiss. expelleretur. Accessit deinde in nonnullis horum librr. post. οὖν supplementum ἦ s. ἐστίν, interpretationi inserviens. Contra qui lectionem veram τίς hoc sensu acceperant: qualis s. quanta *olim fuit* felicitatis vestrae praedicatio! (cuius interpretationis apud Oecumen. mentio facta) eorum plures locutionem Paulinam post οὖν suppleverunt glossemate ἦν. Nos quoque *cogitando* supplemus ἦν eo sensu quem supra explicuimus. Quo iure quaesiverit: quid igitur erat, quod felices vos (*olim*) praedicaretis? iterum declarat Apostolus, admodum lubenter inhaerens recordationi illius temporis: μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν etc. *testor enim, vos, si fieri potuisset,* *oculos vestros evulsos* (ἐξορύσσειν, *eruere, Marc. 2, 4.* de oculis potissimum dic. *Herod. l. 8. c. 116. Lucian. dial. De. 1, 1. al.*) *mihi daturos fuisse.* Constat, oculos symbolo inservire eiusmodi rei quae homini prae aliis multis cara sit (ut apud nostrates Augapfel) *Deuter. 32, 10. Proverbb. 7, 2, Ps. 17, 8. Zachar. 2, 8.* Broukhus. ad *Tibull. III, 6, 47.* unde locutio proverbialis: oculum dare *Horat. Sat. II, 5, 35. Terent. Adelph. Act. IV. sc. V. v. 67.* Proinde vulgo existimant, sententiam Pauli hanc fuisse: *illo tempore, si vel carissima a vobis expetiissem, mihi non denegassetis,* sive (quae Koppii fuit interpret.) *parati fuissetis meo commodo vel durissima perpeti.* (Similiter ὀφθαλμὸν ἐκβάλλειν *Marc. 9, 47.*) Sed recte, opinor, cum Rückerto quaeritur, quid tandem fuerit quod Apostolus, si vocem ὀφθαλμὸς sensu tropico usurparet, hanc adderet conditionem: εἰ δυνατόν, nec potius scriberet: si necessarium fuisset, vel: si petiissem ex vobis? Cogitavit Apostolus de oculorum aegritudine molestissima qua apud Galatas laboraverat: si fieri posset, ut quis oculum suum bene

valentem amico oculis laboranti insereret, vos utique parati fuissetis, mihi dare oculos sanos. Cfr. ad v. 13. obs. Vocula ἄν haud raro desideratur post indicativum imperfecti et aoristi latinorum coniunctivo imperf. aut plusquamperf. respondentem, ubi vel adfirmatur aliquid vel negatur modo minus dubio, *Jo. ev. 9, 33. 15, 22. 19, 11. Acti. 26, 32.* vd. Matthiae *ausf. griech. Grammatik ed. II. Vol. II. p. 967. sqq.* Haud contemnenda igitur lectio codd. *Alex. Ephr. rescr. Claremont.* aliorumque qui omittunt ἄν vulgo post ἐξορυξ. obvium. Sed aeque patet, quam facile eiusmodi vocula calamo festinante in codd. transiliri potuerit. Interrogationi modo explicatae, admirationem aegre ferentem exprimenti: quid erat quod *olim* vos felices praedicaretis, me doctorem habentes (nunc aliter adfecti)? Coniunctissima est responsio vbb. sqq. enuntiata, quae docent, causam, quare Galatae nunc aliter sentiant, succensentes Apostolo ipsumve sibi infestum habentes, vix posse aliam cogitari, quam quod ipse veritati libere profitendae studeat. Sed etiam haec sententia profertur interrogatione, quae vim habet per εἰρωνείαν quandam declarandi, quam parum eiusmodi causa aliter sentiendi deceat homines Christianos v. 16. Ὥστε ἐχθρὸς etc. *Ergone* (sic ὥστε consecutioni indic. inserviit v. 7. C. III. v. 9. 24.) *inimicus vobis factus sum*, me vobis adversari existimatis, *propterea quod vobis dicerem vera?* Ἐχθρὸς recte, opinor, Koppe Flatt Borger Rückert alii h. l. sensu *activo* quo frequenter in N. F. dicitur (vel absolute positum vel addito genitivo rei aut personae quam quis odio habeat) intelligere maluerunt quam passivo: ergone vobis invisus redditus sum (odio vobis habeor) etc. Quanquam ἐχθρὸς sensu *passivo* uno certe loco N. F. adhibetur *Romm. 11, 28.* (ubi cogitatio eius cui Judaei dicc. invisi supplenda), alia tamen docent effata scriptorum graecorum, *invisum* alteri non dici ἐχθρὸν τινος sed τινι, v. c. ἐχθροὶ θεοῖς, vd. Wahl Clavis T. I. ed. II. p. 665. Commendat insuper illam verborum interpretationem comma oppositum 17. ubi de doctoribus falsis, qui animos Galatarum a Paulo abalienare studuerunt, hoc dicitur: ambiunt vos etc. Ἀληθεύειν i. q. veritati operam dare, sentiendo, loquendo,

agendo, *LXX. Genes. 42, 16. Epheas. 4, 15. Ael. V. H. 12, 59. al.* Dissentiunt interpretes, participio *αληθ.* significationem vel temporis *praesentis* (Koppe Flatt al.) vel *praeteriti* (cum Borgero et Winero) vindicantes. Res ipsa impedire videtur, quo minus Paulum hoc sibi voluisse dicamus: vobisne inimicum me habetis propterea, quod vobis nunc veritatem dico (errore vestro *his litteris* refutando)? Etenim quo tempore hanc epistolam exarabat non poterat exploratum habere, Galatas admonitionem et institutionem hac epistola traditam aegerrime esse laturos. Cogitavit, opinor, de tempore quo altera vice Galatas adierat *Actt. 18, 23.* Licet enim haud improbabiliter coniicere, non latuisse Paulum iterum apud Galatas commorantem semina iam sparsa errorum quos doctores ad Judaismum procliviores Christianis illis perperam persuaderent, ideoque Apostolum, *ἐπισυηρίζοντα τοὺς μαθητὰς (Actt. l. l.)* studiosius hoc egisse, ut libertatem Christianorum a lege cerimoniali inter Galatas *magis urgeret* illisque erroribus opponeret, quam olim quum prima vice Galatas institueret necessarium existimasset.

Sibi amorem Galatarum mutabilem experto propter ingenuam veritatis professionem opponit Apostolus vanos illos doctores, Galatis fraudulenter persuadentes, ut ipsos habeant doctores et amicos veros eorumque placita amplectantur.

V. 17—20. *Ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς, ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε.* (v. 18.) *Καλὸν δὲ (τὸ) ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε καὶ μὴ μόνον ἐν τῷ παρεῖναί με πρὸς ὑμᾶς,* (v. 19.) *τέκνα μου, οὓς πάλιν ὠδίνω ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν.* (v. 20.) *Ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου, ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν.*

V. 17. Diversimode dicitur *ζηλοῦν* seq. accusativo personae *a)* de iis, qui magno feruntur hominis cuiusdam studio, amore praecipuo eum prosequentes, consuetudinem eius et familiaritatem appetentes, adiuncta cogitatione zelotypiae cuiusdam quae alterum sollicite veluti custodiat atque observet. *II. Corr. 11, 2. LXX. Proverbb. 24, 1. Sophocl. Aiax.* v. 552. *b)* de aemulantibus aliquem, et sensu bono i. q. dotem alicu-

lus et virtutem laudabilem imitari, contendere ut aequemus, vel si fieri posset superemus, *Xenoph. memorr. II, 1, 19. Plato republ. l. 8. c. 8. p. 359.* ed. Ast., cui coniunctissima est signif. felicem praedicandi *Xenoph. Hiero c. 1. §. 9. c. 6. §. 12. al.*, et sensu malo i. q. invidere alteri *Actt. 7, 9. LXX. Genes. 30, 1. Hesiodi ἔργα καὶ ἡμ. v. 23. al.* Unde varia prodiit vbb. ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς interpretatio: 1.) doctores illi vani (C. I. v. 7. sq. III, 1. ex orationis serie subintell. praesertim ex opposita Pauli ipsius persona v. 6.) *invident vobis* libertatem vestram evangelicam, conditionem laudabilem Christianam, *male* i. e. non ea mente ut ipsi vobis similes fieri studeant, sed animo vere invido, nocendi cupido (Theodor. Ambros. Hieron. Koppe). Premuntur hi intt. incommodo duplici, *a)* quod sententia parum recte se habet, etenim (ut verbis Wineri utar) si conditio, in qua Christiani versabantur Galatici, quamdiu libertatem a lege cerimon. retinebant, illis doctoribus vanis felicitas vera videbatur, cui inviderent, cur non ipsi potius ad eam se contulerunt? *b)* quod idem vb. ζηλοῦν in membro huius comm. posteriori ἵνα αὐτοὺς ζηλ. haud dubie alio sensu dicitur. *2) illi vos imitantur consilio inhonesto ut vicissim illos imitemini* (Borger ad h. l. Simil. Oecumenius: τὴν αὐτὴν ὑμῖν εἰς Χριστὸν πίστιν ἀσπάζονται, eandem fidem Christo habendam vobiscum amplectuntur). Astutiam describi putant illorum doctorum, qui nonnulla quidem placita religionis Christ. oris professione probaverint, animos Galatarum hac ratione sibi conciliantes, quo facilius eos traducerent ad statuta Judd. professioni Christ. coniungenda. Parum perspicue, opinor, Apostolus de iis, qui ex parte eandem cum Galatis persuasionem profitebantur, hanc formulam latius patentem: vos imitantur, adhibuisset. Nec patet, quomodo Christiani Galat. seduci potuerint nisi per eiusmodi homines, qui re vera prius ex Judaismo ad sacra Christt. transiissent (non aliqua tantum placita Christt. sed evangelium professi). *3) ambiunt vos*, studiosos se vestrûm gerunt, amorem vestrum et observantiam captant, *non bona mente* (sic verrissime interprett. Calvinus Morus Rosenmüller Bolten Flatt Winer Matthies Rückert, cui Apostolus

h. l. comparationem ecclesiae cum virgine quam amatores expetant animo volvisse videtur, praeeunte loco *II. Corr. 11, 2.*) *immo vos excludere volunt.* Scriptura olim recepta ἡμᾶς; post. ἐκκλεῖσαι, per Theod. Bezam ex nonnullis codd. illata, forsitan ex correctione antiqua eorum profecta, qui de scriptura ὑμᾶς recte interpretanda haesitabant, in editt. Griesbachii Matth. aliorumque recte cessit lectioni ὑμᾶς, in codd. *optimis* expressae nec auctoritate verss. patrumque destitutae. Ἐκκλείειν constat universe notionem exprimere *removendi rem hominemve a consortio quodam* s. *prohibendi, arcendi,* cfr. Raphel. in *adnott. ex Polyb. et Arr.* ad h. l. *Romm. 8, 27.* De quonam consortio sermo est? De communione ipsius Pauli cogitasse Apostolum plerique contendunt (cfrr. Cramer Rambach Winer Rückert): abstrahere vos moliuntur ab amore mei, secludere ab amicitia mea. Quanquam haec sententia opposito ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε bene respondet, offendimus tamen cum Koppio in ellipsi pronominis μου. Nec solet vb. ἐκκλείειν ex usu loquendi ad consortium *unius* referri hominis. Maluerunt Koppe et Bolten consuetudinem intelligere, sive circulos ipsorum qui h. l. notantur doctorum: arcere vos volunt a consuetudine sua et familiaritate, ut cogant vos ad se ipsos sectandos aemulandosque. Non facile patet, quomodo illi animos Galatarum ita sibi potuerint conciliare, ut eos, nisi ipsorum placita admitterent, a coetibus suis excluderent. Nec omni duritie et obscuritate caret omissio pronominis ἑαυτῶν. Durius quidem Chrysost. et Theophyl. sententiam hoc modo supplent: deiicere vos volunt ex conditione in qua versamini cognitione evangelii recta imbuti. Similiter Oecumenius: ἀποκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσι καὶ ἀπαγαγεῖν τῆς ἀληθοῦς γνώσεως. Propius ad veritatem accedunt Borger de Wette Flatt, vert.: excludere vos volunt a societate Christiana. Similiter Matthies: a regno veritatis. Quanquam nolim cogitando addere vel τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ vel notionem definitam totius ecclesiae. Immo oratio Pauli simpliciter hoc modo supplenda: *secludere vos volunt ab aliis omnibus.* Sub his vero (ceteris) res ipsa docet non posse nisi ceteros omnes intelligi Christianos aliter sentientes,

libertatem veram evangelicam qualem Paulus defenderet retinentes. Quod nonnulli codd. gr. itemque verss. *Peschito* et *Arab. ex. ed. Erp.* exprimunt ἐγκλεῖσαι: volunt vos includere, sibi obstringere s. devinctos reddere, sententiam exhibet minus gravem ceterisque aptam. Egregie respondet ἐκκλεῖσαι eo quem diximus sensu intellectum verbis seqq. ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε: selungi vos volunt ab aliis omnibus Christt. doctoribusque evangelii quí legi Mos. renuntiarant, *quo maiori studio vos ambiatis illos*, quo vos applicetis totos ad illos Judaismi defensores, nemini amplius qui aliter sentiat aures praebentes. [Sic in utroque membro eandem tenemus significationem vb. ζηλοῦν.] De *indicativo* ζηλοῦτε post voculam ἵνα consilium indicantem *(ut)* consentimus quidem Winero, rectius hoc referri ad linguam cadentem, quam ἵνα contra omnem loquendi usum sic intelligi: *quo quidem in statu* (a me abalienati) illos appetitis. Attamen quum huius solocismi exemplum in N. F. praeter hunc locum non recurrat nisi *I. Corr. 4, 6.* ἵνα φυσιοῦσθε, malim utrumque errori tribuere librariorum, qui in exemplaribus vetustis acciderat litteris similimis ω et ου permutandis. Quae Apost. modo de doctoribus illis vanis conquestus fuerat: ambiunt vos οὐ καλῶς, sponte adducebant sententiam oppositam de ambitione quae sit honesta v. 18. Καλὸν δὲ etc. Tenemus h. l. lectionem vulg. ζηλοῦσθαι. Pauci codd. (in quibus *Vatic.*) verss. *Aethiop.* et *Vulg.* itemque Damascenus Hieron. Ambros. Pelag. habent: καλὸν δὲ ζηλοῦσθε etc.: bonum vero aemulemini s. imitemini in bono semper. At neque probabile est, Paulum h. l. *medium* adhibuisse vb. ζηλοῦν, ut notionem activam exprimeret, quam modo (v. 17.) iterata vice forma activa enuntiasset, nec omnino placet haec tota sententiae conformatio languidior: bonum in bono aemulamini. Quod autem vulgo ante ζηλοῦσθαι leg. τὸ (non tantum apud illos testes crit. qui ζηλοῦσθε habent, sed etiam in cod. Alex. omissum) spurium existimaverim orationis complendae gratia additum. Absque articulo infinitivus post καλὸν s. οὐ καλὸν leg. *Matth. 15, 26. 18, 8. I. Corr. 7, 1. Hebrr. 13, 9.* Si lectio antiquissima haec fuisse existimetur: καλὸν δὲ ζηλοῦσθαι etc. facilius inde

explicatur origo scripturae correctionis speciem habentis ζηλοῦσθε. Ex interpretatione varia vb. ζηλοῦν in commate praeced. diversitas pendet sententiarum de vbb. καλὸν δὲ ζηλοῦσθαι recte intelligendis. Quodsi illud ζηλοῦσιν v. 17. de adfectu invidiae interpretari volueris, sententia huius membri prioris v. 18. eidem interpret. accommodati haec prodit: *optabile quidem, ut quovis tempore vobis invideatur in rebus bonis*, ut conditione vestra vere laudabili (Christiana) invidiam illorum hominum semper excitetis. Parum differt sententia, quam significatio aemulandi (laudabilia imitandi) exhibet: bene quidem se habet vobiscum, si quovis tempore tales sitis, quos alii aemulentur in rebus quidem honestis. Repetere nolumus, quae contra Koppium et Borgerum ad v. anteced. observavimus. Sententiam lucramur satis commodam, si Winerum sequamur, qui τὸ ζηλοῦσθαι (formam *pass.*) absolute dictum intelligit de studio s. fervore: *laudabilis quidem est fervor in quavis re honesta*, dass sich beeifert wird (dass man sich beeifert) im Guten, ist rühmlich. Attamen nihil impedit, quo minus cum Wahlio in *Clavi N. T. T. I. ed. II. p. 686.* ζηλοῦν prorsus eodem sensu accipiamus quo v. 17. intelligendum esse vidimus: *bona quidem semper est ambitio in re bona*, laudabile est (quo sensu καλὸν *Matth. 15, 26. Romm. 14, 21. al.*) quovis tempore appeti vel trahi ad partes alicuius, si agitur de bono et honesto colendo, sive (ἐν καλῷ i. q. καλοῖς) consilio honesto. Commendat Apost. his vbb. non tam universe amorem mutuum Christ. quam studium illud honestum ex religione vera oriundum, quo discipuli doctores veritatis divinae prosequi, vicissim doctores discipulos, quo maiorem vim in animos eorum docendos et recte informandos exserere possint, sibi conciliare ac devincire debeant. De ratione potissimum cogitat ipsum inter et Galatas intercedente. Quod verba docent seqq. voculae πάντοτε oppositae: καὶ μὴ etc. *non tantum, quamdiu praesens sum inter vos.* In promtu est, eos notari Galatas qui Paulo praesente, inprimis eo tempore quo prima vice Galatiam adierat, amorem summum et observantiam declaraverant (Apostolum ambientes v. 14. 15.) nunc aliter adfecti. Parum recte in plerisque edit. post vbb. πρὸς

ὑμᾶς distinguitur plene. Etenim, si versum 19. a v. 18. seiunctum cum v. 20. connectere volueris, prorsus non patet, quid sibi velit voc. δὲ ineunte apodosi ἤθελον δὲ παρεῖναι etc. Verissime, praeeunte Semlero, apud Knappium Naebium (in ed. graeco-lat.) Lachmannum v. 18. ex. *commate* interpungitur (quam interpunctionem miror quod versio latina Wineri in ed. III. commentarii deseruerit, quum in textu gr. ed. II. recte fuisset instituta), ita ut his: non tantum quamdiu praesens sum inter vos, proxime cohaereat alloquutio blanda v. 19. (vos) *liberi mei, quos* (οὓς referendum ad ὑμᾶς v. 18. ex.) *iterum* veluti *parturio, donec Christus in vobis efformetur.* Profitetur Ap. desiderium summum, ex amore intimo profectum, nec spe destitutum, Galatas ad libertatem evangelicam reducendi, matri se comparans liberos suos iterum parturienti. Quemadmodum Judaei doctores patribus comparant, discipulos filiis (Schoettgen. *horae hebr.* ad h. l. p. 746.), ita etiam Paulus et patrem se appellat, qui homines ipsius opera ad Christum conversos atque sic animo prorsus immutatos (iterum natos *Jo. ev. 3, 5. 6. I. Petri 1, 3. 23. ad Titum 3, 5.*) veluti genuerit per institutionem evangelicam *I. Corr. 4, 15. Philem. v. 10. I. Thess. 2, 11.*, et matris imaginem usurpat liberos foventis ac nutrientis *I. Thess. 2, 7.* Neque omnino efficacius verbum adhiberi potuit ad exprimendam contentionem cum aegritudine animi coniunctam Apostoli, in eo elaborantis, ut conditio vera Christiana Galatarum restitueretur, quam verbum ὠδίνειν, proprie de mulieribus usurpatum dolores partus sentientibus *Apocal. 12, 2.* et parturientibus *Gal. 4, 27. Homeri Il. l. 11. v. 269. 271. al.*, tropice de iis qui dolorem acerbum experiuntur *Homeri Od. l. 9. v. 415.*, itemque qui magna cum animi contentione aliquid expetunt sive moliuntur *Liban. T. IV. ed. Reisk. p. 519.* Loesner *obss. Philonn.* ad h. l. Godofr. Hirsch *dissert. inaugur. de Paulo parturiente, Viteb. 1753. 4.* Qui olim hos Galatas veluti liberos pepererat, quum ad Christum profitendum eos converteret, idem nunc in eo versabatur, ut iterum eos pareret, dolorem sentiens qualis actum parturiendi haud ita procul remotum praecedere solet, *eosque veluti efformans in utero materno* (quo sensu

ὠδίνειν, consequente pro anteced. posito apud *LXX. Ps. 7, 15. Cantic. 8, 5.* hebr. חִבֵּל), ut iterum veri nominis fierent Christiani. Posterius verbis declaratur *ἄχρις οὗ* etc. *donec Christus in vobis efformatus fuerit* (*μορφοῦν*, *formare*, effingere, etiam *delineare*, *LXX. Jes. 44, 13.* in textu edit. Breiting. non amplius leg. in N. F. interdum apud profanos, v. c. *Aratum phaenomm. v. 875.*). Cuius locutionis tropicae vim diversimode definiunt. Artificiosior est Storrii interpr. donec *τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ*, ecclesia Christ. *(I. Corr. 12, 12.)* quod ad vos attinet formata fuerit, i. q. donec vos iterum exhibeatis Christianos veros. Alii (Oecumen. Morus Flatt Rosenmüller): donec imago Christi in vobis efficta, i. e. vera Christi eiusque doctrinae notio animo vestro informata fuerit. Equidem cum Calvino Koppio Borgero existimaverim, Apostolum etiamnum ad imaginem matris respexisse foetum in corpore suo effingentis. Quemadmodum Christus esse s. habitare dicitur in homine cuius tota sentiendi cogitandi agendi ratio secundum doctrinam vitamque Christi est composita *Ephess. 3, 17. Romm. 8, 10.*, ita etiam Christus dici poterat *efformari* in animo hominis qui docendo et admonendo eiusmodi persuasione et indole mentis imbuitur, ut nihil statuat velit suscipiat, nisi quod Christo probetur. Haec enim est vis illius quam vbb. *οὗς ὠδίνω* innuunt regenerationis, ut Christus in iis vivat (C. II. v. 20.) Cfr. M. Chladenii *diss. de formatione Christi in Galatis*, *Viteb. 1710. 4.* Quod Apost. supra monuerat, laudabile esse *τὸ ζηλοῦσθαι*, dummodo fiat in rebus honestis et constanter, non tantum ipso inter Galatas praesente, opportunitatem praebet verbis seqq. aperte profitendi, optabile quidem videri, ut nunc coram adesse possit Galatis et sermone potius quam epistola errantes in viam reducere rectam, v. 20. *Ἤθελον δὲ* etc. *Vellem quidem nunc inter vos praesens esse et vocem meam mutare.* *Ἀλλάσσειν*, mutare, permutare, et hoc sensu dicitur: rem s. personam in aliam transferre conditionem aliumve habitum externum *I. Corr. 15, 51. sq. Lucian. dial. De. IV, §. 2.*, et: aliquid abrogare, cessare iubere, cuius loco alia res appareat s. usurpetur *Actt. 6, 14. Hebrr. 1, 12. Herodian. I, 14, 17.* Plerique intt. (cfr. Theodor. Oecum.

Koppe Borger Winer Matthiae) comparantes quod rem ipsam attinet locum *I. Corr. 4, 21.* hoc *φωνὴν ἀλλάσσειν* recte, opinor, eo referri volunt, quod Apostolus si ipse apud Galatas commoretur vocem suam facile flectere possit et temperare (quo sensu *φωνὴν ἀλλάσσειν* apud *Artemid. II, 20. IV, 59.*), pro diversitate quam experiundo cognoverit Christianorum singulorum, alios severius admonendo, alios lenius tractando, et, si quis resipuerit sive omnino non abreptus fuerit una cum ceteris ad cultum legis Mosaicae, laudando. [Nimis angustis limitibus sensum formulae *φωνὴν ἀλλ.* coërcent Chrysost. et Theophyl. interpretantes: vocem flectere ad *tristitiam* summam excitandam.] Quodsi hoc probaveris, vbb. postrema *ὅτι ἀποροῦμαι* etc. sic intelligenda: nunc enim, absens, dubius haereo quomodo vobiscum omnibus scribendo recte agam, vel durius vel mitius scribendo. *Ἀπορεῖν* (med. *ἀπορεῖσθαι*) dico. qui inopes sunt consilii, haesitantes vel quid statuendum sit, vel quid fieri debeat *Jo. 13, 22. II. Corr. 4, 8. Plato republ. l. 7. c. 1. p. 302.* ed. Ast. *Thucyd. 2, 20. al.*, *ἐν ὑμῖν* i. q. ratione vestrum habita, de vobis, *I. Corr. 2, 6. 14, 11. II. Thess. 1, 4.* Alii (Zachariae Flatt) Apostolum hoc animi votum significare existimant, ut sibi nunc liceat Galatas coram cum iis agendo ad meliorem frugem revocare, *quo facto vocem possit mutare*, reprehensionem in hac epist. usurpatam in laudationem, tristitiam in hilaritatem convertere. Vbb. *ὅτι ἀπορ.* sic intell. nunc enim, quid de conditione vestra futura statuendum sit, dubius sum, de eventu rei sollicitus, ut supra dix. v. 11. *φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῇ κεκοπίακα* etc. Quo minus vero *ἀλλάσσειν φωνὴν* hoc sensu interpretemur, impedit, quod Paulus in iis commatibus quae proxime praecedebant sermonem mitem potius quam durum adhibuerat. Maluerunt Ambros. et Hieron. contrarium intelligi, mutationem sermonis blandi in obiurgationem. Potuitne Apost. eiusmodi mutationem dicere optabilem?

Veritatem doctrinae de lege Mosaica per Christum sublata probaverat Paulus C. III. v. 5. sqq. exemplo Abraami adhibendo, qui propter fidem Deo habitam promissa divina de salute posterorum accepisset. Hoc argumentum deduxerat Apo-

ὠδίνειν, consequente pro anteced. posito apud *LXX. Ps. 7, 15. Cantic. 8, 5.* hebr. חִוֵּל), ut iterum veri nominis fierent Christiani. Posterius verbis declaratur *ἄχρις οὗ* etc. *donec Christus in vobis efformatus fuerit* (*μορφοῦν*, *formare*, effingere, etiam *delineare*, *LXX. Jes. 44, 13.* in textu edit. Breiting. non amplius leg. in N. F. interdum apud profanos, v. c. *Aratum phaenomm. v. 375.*). Cuius locutionis tropicae vim diversimode definiunt. Artificiosior est Storrii interpr. donec *τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ*, ecclesia Christ. *(I. Corr. 12, 12.)* quod ad vos attinet formata fuerit, i. q. donec vos iterum exhibeatis Christianos veros. Alii (Oecumen. Morus Flatt Rosenmüller): donec imago Christi in vobis efficta, i. e. vera Christi eiusque doctrinae notio animo vestro informata fuerit. Equidem cum Calvino Koppio Borgero existimaverim, Apostolum etiamnum ad imaginem matris respexisse foetum in corpore suo effingentis. Quemadmodum Christus esse s. habitare dicitur in homine cuius tota sentiendi cogitandi agendi ratio secundum doctrinam vitamque Christi est composita *Epheas. 3, 17. Romm. 8, 10.*, ita etiam Christus dici poterat *effingi* in animo hominis qui docendo et admonendo eiusmodi persuasione et indole mentis imbuitur, ut nihil statuat velit suscipiat, nisi quod Christo probetur. Haec enim est vis illius quam vbb. *οὗς ὠδίνω* innuunt regenerationis, ut Christus in iis vivat (C. II. v. 20.) Cfr. M. Chladenii *diss. de formatione Christi in Galatis, Viteb. 1710. 4.* Quod Apost. supra monuerat, laudabile esse *τὸ ζηλοῦσθαι*, dummodo fiat in rebus honestis et constanter, non tantum ipso inter Galatas praesente, opportunitatem praebet verbis seqq. aperte profitendi, optabile quidem videri, ut nunc coram adesse possit Galatis et sermone potius quam epistola errantes in viam reducere rectam, v. 20. *Ἤθελον δὲ* etc. *Vellem quidem nunc inter vos praesens esse et vocem meam mutare.* *Ἀλλάσσειν*, mutare, permutare, et hoc sensu dicitur: rem s. personam in aliam transferre conditionem aliumve habitum externum *I. Corr. 15, 51. sq. Lucian. dial. De. IV, §. 2.*, et: aliquid abrogare, cessare iubere, cuius loco alia res appareat s. usurpetur *Actt. 6, 14. Hebrr. 1, 12. Herodian. I, 14, 17.* Plerique intt. (cfr. Theodor. Oecum.

Koppe Borger Winer Matthies) comparantes quod rem ipsam attinet locum *I. Corr. 4, 21.* hoc *φωνὴν ἀλλάσσειν* recte, opinor, eo referri volunt, quod Apostolus si ipse apud Galatas commoretur vocem suam facile flectere possit et temperare (quo sensu *φωνὴν ἀλλάσσειν* apud *Artemid. II, 20. IV, 59.*), pro diversitate quam experiundo cognoverit Christianorum singulorum, alios severius admonendo, alios lenius tractando, et, si quis resipuerit sive omnino non abreptus fuerit una cum ceteris ad cultum legis Mosaicae, laudando. [Nimis angustis limitibus sensum formulae *φωνὴν ἀλλ.* coërcent Chrysost. et Theophyl. interpretantes: vocem flectere ad *tristitiam* summam excitandam.] Quodsi hoc probaveris, vbb. postrema *ὅτι ἀποροῦμαι* etc. sic intelligenda: nunc enim, absens, dubius haereo quomodo vobiscum omnibus scribendo recte agam, vel durius vel mitius scribendo. *Ἀπορεῖν* (med. *ἀπορεῖσθαι*) dicc. qui inopes sunt consilii, haesitantes vel quid statuendum sit, vel quid fieri debeat *Jo. 13, 22. II. Corr. 4, 8. Plato republ. l. 7. c. 1. p. 302.* ed. Ast. *Thucyd. 2, 20. al.*, *ἐν ὑμῖν* i. q. ratione vestrum habita, de vobis, *I. Corr. 2, 6. 14, 11. II. Thess. 1, 4.* Alii (Zachariae Flatt) Apostolum hoc animi votum significare existimant, ut sibi nunc liceat Galatas coram cum iis agendo ad meliorem frugem revocare, *quo facto vocem possit mutare*, reprehensionem in hac epist. susceptam in laudationem, tristitiam in hilaritatem convertere. Vbb. *ὅτι ἀπορ.* sic intell. nunc enim, quid de conditione vestra futura statuendum sit, dubius sum, de eventu rei sollicitus, ut supra dix. v. 11. *φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῇ κεκοπίακα* etc. Quo minus vero *ἀλλάσσειν φωνὴν* hoc sensu interpretemur, impedit, quod Paulus in iis commatibus quae proxime praecedebant sermonem mitem potius quam durum adhibuerat. Maluerunt Ambros. et Hieron. contrarium intelligi, mutationem sermonis blandi in obiurgationem. Potuitne post. eiusmodi mutationem dicere optabilem?

Veritatem doctrinae de lege Mosaica per Christum sublata probaverat Paulus C. III. v. 5. sqq. exemplo Abraami adhibendo, qui propter fidem Deo habitam promissa divina de salute posterorum accepisset. Hoc argumentum deduxerat Apo-

stolum ad quaestionem universe tractandam de auctoritate hulus promissionis divinae non irrita facta per legislationem Mosaicam, itemque de nexu legislationis cum oeconomia perfectiori Christiana, quae promissum Abraamo datum eventu comprobavit, ad versum usque 7. C. IV. Cohortatus deinde fuerat Galatas, ut veram libertatem evangelicam fortiter tenerent, admonitione precibus iuncta C. IV, v. 8—20. Ex quo quidem deverticulo in viam redit Apostolus, in auxilium vocans interpretationem allegoricam narrationis Geneseos ad historiam Abraami pertinentis (siquidem ad Abraamum potissimum lectorum animos C. III. converterat), qua vel comprobetur vel certe illustretur sententia primaria: ad homines Christianos non amplius pertinet lex Mosaica.

V. 21. 22. 23. *Λέγετέ μοι, οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε;* (v. 22.) *Γέγραπται γὰρ ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱοὺς ἔσχεν, ἕνα ἐκ τῆς παιδίσκης καὶ ἕνα ἐκ τῆς ἐλευθέρας.* (v. 23.) *Ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης κατὰ σάρκα γεγέννηται, ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας διὰ τῆς ἐπαγγελίας.*

V. 21. Sententia profertur lectoribus inexspectata, cuius veritatem ut ipsi meditando recte intelligant, formula excitantur: λέγετε etc. *dicite mihi, vos qui legi subesse (Romn. 6, 15.* cfr. huius *Cap.* v. 2. 3.) *vultis, legem non auditis?* Quanquam Apostolus supra v. 9. formula simili usus οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν θέλετε Ethnico-Christianos alloquutus fuerat, nolim tamen cum Koppio Flattio Rückerte vel ex l. l. vel ex usu verbi θέλειν notionem facti s. consilii *spontanei* exprimentis colligere, sermonem Paulinum etiam h. l. ad illam tantum partem converti Galatarum (quam sententiam inter vett. Chrysost. et Theophyl. praeiverant). Nonne enim Judaeo-Christiani doctoribus vanis pariter atque illi resistere potuerunt, dummodo cognitione meliori iam impetrata recte uterentur. Immo argumentatio ipsa, cuius veluti exordium his vbb. continetur, *praesertim* ponit lectores historiae Judaicae antiquioris peritos et interpretationi librorum V. T. allegoricae adsuetos. Duplicem captans significatum vocabuli νόμος, alterum angustiorem *(lex Mos.)* alterum ampliorem *(libri V. T.* universe

Roman. 3, 19. sive: *Pentateuchus* quo lex Mos. continetur *Matth. 12, 5. Luc. 24, 44. al.*), mirari se profitetur interrogando Apostolus, quod qui doctoribus vanis observationem legis Mos. ipsis persuadentibus indulgeant plane non audire videantur sive non cognita habere et perspecta testimonia τοῦ νόμου (Pentat.), quae pridem adumbraverint futuram Christianorum libertatem a lege Mosaica. Quaesitum est de vb. ἀκούειν, utrum h. l. significet *audire*, ut Paulus ante oculos habuisse putetur consuetudinem in synagogis Judd. sectiones Pentateuchi et Prophetarum praelegendi, *Actt. 15, 21. Luc. 4, 16.* (unde lectio exstitit speciem glossematis habens ex locis *Matth. 12, 3. 5. 19, 4. 21, 16.* similibusque depromti ἀναγινώσκετε in codd. *Vatic. Clarom. Sangerm. Aug. Boerner.* versn. *Vulg. It. Armen.* et apud patres quosdam expressa), an rectius vertatur *audisse* (quod Winero praeplacet) i. e. *nosse*, quo sensu praesens ἀκούειν interdum apud profanos occurrere praeter alios docuit Heindorf ad *Platonis Gorgiam* §. *126.* p. *195.* (ed. 1805.), an denique: *recte intelligere*, et, quod intelligentia recta ponit, *attento animo percipere*, *Matth. 11, 15. Marc. 4, 33. 7, 14. I. Corr. 14, 2.* vd. Reitz. ad *Luciani Opp. T. III. p. 848.* (sic hebr. שָׁמַע *Genes. 42, 23. Jes. 36, 11. II. Chron. 20, 15.*). Postremum recte, opinor, inter vett. Hieron. inter recentt. Baumgarten Morus Borger Flatt al. eligunt, siquidem non tam hoc postulabatur, ut illi narrationem V. T. quam Paulus innuit omnino cognoscerent, quam ut sensum narrationis sublimiorem atque reconditum, qualem Apostolus deinde v. 24. sqq. amplius illustravit, recte perciperent. Profertur paucis summa narrationis *Genes. 16, 15. sq. 21, 2. sq.* de duobus Abraami filiis v. 22. Γέγραπται γὰρ etc. *Etenim scriptum est, Abraamum duos habuisse filios, unum natum ex serva* Hagare (παιδίσκη, vd. *LXX. Genes. 16, 3.* ubi Hagar sic appellatur, *Luc. 12, 45. al.*, quanquam vocabulum per se spectatum, ad aetatem iuvenilem signific. pertinens, aeque de puella ingenua ac de serva dicebatur, vd. Lobeck ad *Phryn. ecl. att. p. 239.*), *alterum ex ingenua* Sara coniuge (ἐλευθέρα, cfr. supra III, 28.). Pergit v. 23. Ἀλλ' ὁ μὲν etc. *At ille quidem*, Ismaël, *quem*

ex serva habuit, natus est secundum carnem, l. e. communi nascendi lege, accommodate naturae viribusque hominis, quatenus carnem habet et sanguinem, ita ut res non prorsus insolita posset videri, quum Hagar etiamnum adolescens esset, quamvis Abraamus annum aetatis 86. attigisset, cfr. de voc. σάρξ ad C. I. v. 16. obs. Quod nonnulli intt. (cfr. Rambach et Baumgarten ad h. l.) phrasi κατὰ σάρκα inesse maluerunt, factum hoc esse ex consilio parum probando Sarae (*Genes. 16, 2. 3.*), quae, dictamini naturae inferioris (σαρκὸς, vd. C. I. v. 16.) obsequuta, quovis pacto per ipsam ancillam filium habere voluerit, id omnino non videtur h. l. ad consilium Apostoli pertinere. Interpretationi priori magis addicit oppositum (διὰ τῆς ἐπαγγ.) *hic vero* Isaacus *quem ex ingenua habuit per vim promissi divini* l. e. singulari adiumento Dei natus est, qui filium *promissum* (*Genes. 17, 15. sqq. 18, 10. sqq.*) Abraamo et Sarae vere contingere iussit, praeter omnem hominum exspectationem ordinemque naturae consuetum, quum Abraamus annum ageret centesimum, Sara ad annum usque nonagesimum fuisset sterilis, *Roman. 4, 19. 9, 9. Hebrr. 11, 11.* De form. διὰ τῆς ἐπαγγ. cfr. ad III, 18. obs.

Sequitur interpretatio huius narrationis allegorica.

V. 24. 25. *Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. Αὗται γάρ εἰσιν δύο διαθῆκαι· μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ, (v. 25.) [τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ] συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἰερουσαλήμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς.*

V. 24. Verbum ἀλληγορεῖν, in N. F. semel obvium, proprie valet de eo loquendi genere, quo aliud dicimus (ἀγορεύομεν), si verba spectaveris, aliud innuimus, aliud verbis aliud sensu ostendimus (explic. *Quinctil. institt. oratt. l. 8. c. 6. p. 119. T. I.* ed. Wolf.), cfr. *Heraclid. Pont.* in alleg. Hom. c. 5. *Josephus antiqq. Judd. l. 1. prooem. s. 4. p. 8. T. I.* ed. *Oberthür. Philo* pluribus locis laudd. apud Wetstenium. Interdum etiam dicitur ἀλληγορεῖν qui docet aliquid ita esse enuntiatum ut allegoriam contineat, *Philo de migrat. Abraami* ed. Mangey Vol. I. p. 465. *de Cherubim* Vol. I. p. 143. Sed verba Apostoli ἅτινά ἐστιν ἀλλη-

omnino docent, h. l. rectius teneri significatum priorem: *haec* (de utroque Abraami filio narrata) *aliud verbis dicunt, aliud innuunt,* s. haec sensum habent sublimiorem. Quaeritur, *utrum* Apost. his vbb. adfirmaverit, historiam illam litteris ita fuisse consignatam, ut *volente Deo* (sive hoc ipse narrationis auctor, quod antiquiores intt. sumunt, divinaverit, seu minus) *typo* inserviret rei futurae, seu *vaticinationi symbolicae,* sive, quod idem est, Deum illas res gestas ita accidere voluisse, ut simul fata utriusque religionis oeconomiae futura ostenderent (Crusius *hypomnemata ad theol. prophet. P. I. p. 44. sqq.* Storr *Pauli Brief an die Hebrr. etc. Einleit. p. LXIX.*); *an* quae ibi narrata fuerint, *propter similitudinem comparando transferri posse* (sive, Deo volente, transferri debere) ad διαθήκην Mosaicam et Christ., quae sententia est Lutheri Bezae Carpzovii Michaelis Koppii Borgeri Flattii Ravii: *freimüth. Unters. über Typologie, Erlang. 1784. 8. p. 119. sqq.* Disputatur item, utrum Apost. *illustrare* tantum voluerit sententiam per allegoriam propositam (quod ii statuunt, qui totam hanc sectionem ad meram referunt comparationem, quae Apostolo ita in mentem venerit, ut ipse non cogitaret de consilio quodam divino sibi patefacto ad historiam illam sic usurpandam pertinente), an *argumentum* inesse, quo veritas illius sententiae comprobaretur, ipse putaverit? Necesse est, primum de ipsa huius interpretationis allegoricae vel comparationis indole paucis videamus. Duplicem esse putamus (cum Borgero et Flattio) rationem similitudinis in qua declaranda Apostolus h. l. operam suam collocaverit. Quod quo iure dicamus, ipsa commatum singulorum interpretatio posthac probatura est. *Altera pertinet ad servilutem et libertatem.* Hagar quippe Abraami serva una cum filio quem ex Abraamo peperit (Ismaele) in conditione fuit servili. Sic Judaei, veluti filii oeconomiae Mosaicae, huic legi cerimoniali tanquam servitio sunt addicti, sensu et usu verae libertatis et fiduciae laetae in Deo patre repositae destituti, cfr. huius cap. v. 3. sqq. Sara Abraami coniux una cum filio Isaaco ingenua fuit. Similiter, qui veluti filii sunt oeconomiae Christianae, veram habent libertatem filiorum Dei (v. 6. sqq.). *Altera ratio similitudinis* ad

σάρκα pertinet et ἐπαγγελίαν (v. 23.) et conclusioni inservit absolvendae: quum nos Christiani posteri simus Abraami per vim promissi divini, non κατὰ σάρκα; patet inde, nos esse liberos, nulli legis servituti obnoxios, veluti matris ingenuae prolem. Filio Hagaris κατὰ σάρκα nato (quo sensu? ad v. 23. vid.) respondet in allegoria notio Judaeorum, quatenus Abraami posteri sunt κατὰ σάρκα (*I. Corr. 10, 18. Romn. 9, 6. 7.*) ideoque, natalibus Judaei, oeconomiae Mos. eiusque beneficiorum participes. [Facile quidem intelligimus, Paulum h. l. non prorsus eodem modo usurpasse formulam: natum esse κατὰ σάρκα, *a)* de Ismaele quidem sensu praegnanti: natus communi nascendi lege, ut supra explicuimus, aliter enim conditio Isaaci, qui et ipse κατὰ σάρκα natus dici poterat, quatenus Abraamum re vera habuit patrem, non differret a conditione Ismaelis, *b)* de gente Judaica sensu latiori: ex Abraamo stirpem ducens. Attamen *utrumque ad unum idemque refertur oppositum*, ad eiusmodi originem, quae singularem habeat dignitatem et praerogativam, in auxilio gratiae divinae singulari positam, quum Isaacus, Ismaeli oppositus, Abraamo senectute confecto praeter omnem hominum exspectationem per vim promissionis divinae nasceretur, itemque qui Judaeis opponuntur oeconomiae Christianae addicti, nulla omnino ratione habita originis κατὰ σάρκα, sensu sublimiori posteri censeantur Abraami, per vim promissi divini veluti heredes facti Abraami, C. III, v. 7. sqq. v. 22. v. 26 — 29.] Filius Sarae ingenuae διὰ τῆς ἐπαγγελίας natus, heres bonorum Abraami, homines innuit fidem Christo habentes qui filii Dei per Christum fiunt secundum promissionem divinam, Abraami posteritas vera similitudine τῆς πίστεως, (III, 7. 29.) sive pagani fuerint natalibus sive Judaei. Quemadmodum Hagar ex aedibus Abraami, Sara volente, Deo ipso consilium Sarae probante, dimissa est cum filio Ismaele, ita ut hic servus ex serva natus non posset hereditatis paternae particeps fieri *Genes. 21, 9. sqq.*, sed locum cedere deberet Isaaco quem Deus destinaverat heredem Abraami futuram, nec posteri Ismaelis (admodum numerosi quidem et potentes, quales Deus Abraamo et Hagari promiserat *Genes. 16, 10. 17, 20. 25, 16. sqq.*) sed ii

tantum qui ab Isaaco stirpem ducerent ad populum Deo consecratum referrentur; ita oeconomia Mosaica servilis locum cedere debet Christianae ingenuae, nec Judaei tanquam tales ab Abraamo stirpem ducentes *κατὰ σάρκα* et opera legi cerimoniali accommodata peragentes, sed quicunque posteri sunt Abraami *sensu subliniori*, fide Christo habita (v. 30. 31.), participes evadunt salutis, veluti hereditatis quam his paravit ac promisit Deus. Nemo facile interpretationi liberaliori adsuetus existimaverit, scriptorem ipsum V. T. historiam Sarae et Hagaris hac ratione ad sensum sublimiorem transferri voluisse. Deprehendimus quippe in illis Geneseos capitibus historiam rerum gestarum simpliciter propositam, cui omnino nulla inhaereant orationis allegoricae s. symbolicae vestigia. Tempore autem Christi et Apostolorum ea V. T. interpretatio, quae permultis locis sensum tribuit duplicem, alterum litteralem, alterum sublimiorem, plausum nacta fuerat inter Judaeos, praesertim extra Palaestinam viventes, auctoritatem litterarum sacrarum hac ratione conciliaturos placitis novis, quae ipsis ex philosophia et religionis doctrina aliarum gentium post exilium innotuerant atque probata fuerant. Exemplum habemus illustre *Philonis Alex.* eiusque testimonia de hoc interpretandi genere aliis ante Philonem probato, v. c. *de vita contemplat.* ed. Francof. p. 893. 901. (ed. Mangey T. II. p. 475. 483.) Cfr. Vitringa *de synag. vet. p. 673. sqq.* Schoettgen *horae hebr. et talm.* ad h. l. Vol. I. p. 747. sq. C. Döpke *Hermeneutik der neutestamentl. Schriftsteller, T. I. Lips. 1829. p. 104. sqq.* A. Gfrörer *kritische Geschichte des Urchristenthums 1. B. 1. Abth. Stuttgart, 1831. p. 68. sqq.* Quanquam Apostolus narrationem de Sara eiusque filio aliter tractavit, atque *Philo l. II. legis alleyor. p. 101.* ed. Francof. *l. III. p. 1102.*, idem tamen adhibuit de quo diximus genus interpretandi. Haud alienum fuisse Paulum in *argumentando* ab investigatione typorum, praesertim Messiae, sensusque locorum V. T. sublimioris, exempla docent *Romm. 5, 14. I. Corr. 10, 4. Ephess. 5, 31. 32.* Quodsi hoc ea mente ab Apostolo factum esse putaveris, ut suam narrationis de Hagare et Sara interpretationem *per se spectatam* argumento veritatem senten-

tiae adnexae luculenter comprobanti inservire existimaret, verendum sane, ne incassum argumentatus esse videatur. Quaerere enim lectores Judaismo indulgentes utique poterant, nisi iam aliunde iis persuasum esset de conditione servili Mosaismi, quo tandem argumento constaret, non Saram ingenuam cum filio suo et utriusque fata, sed *Hagarem servam eiusque prolem* et utriusque conditionem typum imaginemve continere oeconomiae Mosaicae hominumque ei addictorum? Ad revelationem Domini, quae hoc potissimum suppeditaverit, ipse h. l. non provocavit. Proinde consilium Apostoli hoc tantum fuisse existimamus, ut *argumentum* proferret *secundarium*, quod insuper accederet in usum eorum *qui ex argumentatione superiori iam cognovissent, Mosaismo inesse servitium.* Egregie attemperavit orationem suam ingenio et indoli lectorum, qui magnam certe partem eiusmodi typis et allegoriis essent adsueti. Interpretatio narrationis breviter indicatae sic incipit: *αὗται γὰρ* etc. Ad utramque relig. oeconomiam Mos. et Christ. transfertur vocab. *διαθήκη* (de cuius potestate ad C. III. v. 15. vid.), quum utraque indolem habeat foederis inter Deum hominesque sanciti, Deo ex libera gratia aliquid promittente sub conditione certa, cui homines se satisfacturos esse promittant. Sic *διαθήκη* dic. *παλαιὰ, πρώτη*, itemque *καινὴ, δευτέρα, νέα Matth. 26, 28.* (locisque parall.) *II. Corr. 3, 6. 14. Hebrr. 8, 7. 8. 9, 15. 12, 24.* Satis cognita est potestas vb. *εἶναι*: *significare, LXX. Genes. 41, 26. Matth. 13, 20. 22. 38. 39. Apocal. 17, 15. Hae enim* (mulieres, Hagar et Sara) *sunt duo foedera.* De Mosaica et Christ. religionis oeconomia, cuius typi vel imagines (symbola) fuerint illae mulieres, cogitasse Apostolum, non de foederibus universe dictis ipsum docet additum *δύο* ac tota series orationis; nec indigemus articulo *αἱ*, ex glossemate voci *δύο* in textu vulg. praefixo, quem auctoritate *codd. insigniorum* et patrum quorundam editt. Wetst. Griesb. Matth. Knapp. Lachm. recte omiserunt. De foedere quidem antiquiori (Mos.) porro dic. *μία μὲν* etc. *Una quidem* oeconomia (solennis est usus voc. *εἷς* in distributione, v. 22. *I. Corr. 4, 6. Actt. 23, 6. al.* sequente *εἷς* vel *ἕτερος*, interdum etiam *ὁ δὲ* sive *ἡ δὲ*,

ut v. 26. *Plat. republ. l. 2. c. 11. p. 78.* ed. Ast., nec putaverim, *μία* h. l. rectius verti: foedus tempore prius, quum *εἷς* non soleat vim habere vocabuli ordinalis, quoties duo tantum distinguuntur) *illa est ex monte Sinai* oriunda, promulgata *Exod. c. 19. in servitutem pariens* (*εἰς* finem s. effectum indicat), *quae διαθήκη est Hagar*, per Hagar significatur. In servitutem parere (sic *γεννᾶν* de *muliere Luc. 1, 13. 57. Xenoph.* de republ. Lacedd. I, 3.) dicitur lex Mos. quatenus est *μήτηρ τέκνων δούλων*, i. e. eam vim habet, ut, quicunque huic oeconomiae tanquam liberi sint addicti et coniuncti suamque salutem ex sola legis observatione pendere existiment, in conditione servili versentur, vd. supra v. 3. sqq., similes filio Hagaris. Quod proprie de persona valebat typo sive imagini inserviente (*γεννᾶν*) transfertur ad rem significatam, quemadmodum in ipsis Christi parabolis interdum eiusmodi voces, quae proprie conveniunt rei imaginem continenti, in explicatione imaginis proferuntur, quo magis attentus reddatur animus ad tertium comparationis, v. c. *Matth. 13, 19. 22. 33.* Continuatur interpretatio v. 25. *τὸ γὰρ Ἄγαρ* etc. Quae verba difficultate premunt interpretem, accedente lectionis diversitate haud exigua. Videamus primum, quomodo scriptura vulg. recte expediatur. *Ἄγαρ* h. l. aliter dici quam versu praeced. neque personam Hagarem innuere (ad interpretationes quippe contortas delabuntur qui sic statuunt) sed *nomen*, indicio est articulus *τὸ* qui saepius ita praefigitur, ut lector vim vocabulo cuidam inhaerentem perpendere iubeatur *Ephes. 4, 9.* Exstat quippe vocab. arab. *Hhadschar*: saxum, petra, quo nomine montem Sinai celeberrimum admodum saxosum (cfr. Bellonii *observv. l. 2. p. 201.*) *κατ' ἐξοχήν* venisse apud Arabes, quemadmodum Roma *κατ' ἐξ. urbs*, Athenae *ἄστυ* dicerentur, et satis probabiliter colligitur, praesertim quum notio montis in dialectis orientalibus haud raro adnecteretur vocabulis petram s. saxum indicantibus, similiterque graecum *πέτρα* interdum de monte diceretur (vd. Borger ad h. l.), et insuper confirmatur narratione Haranti testantis, etiamnum de monte Sinai nomen *hhadschar* usitatum esse, vd. Büsching *Erdbeschreibung etc. 1769. p. 416.* Quodsi hoc

Apostolo in Arabiam olim profecto (I, 17.) innotuerat, omnino ex more aliorum in ipsa scriptura s. obvio significationem nominum propriorum cum natura et conditione personarum rerumve, quibus nomina illa competunt, quodammodo conferendi (*Genes. 27, 36. Matth. 16, 18. Apocal. 2, 14.* coll. v. 6. vd. Heinrichs *comment. ad Apoc.*) sic argumentari poterat, suam historiae de Hagare eiusque filio interpretationem symbolicam *adiuvari similitudine* nominis proprii *Hagar* vocisque arab. *hhadschar* de monte Sinai usurpatae, ex quo promulgata fuerit lex Mosaica, per mulierem Hagar indicata. *Illud enim: agar significat montem Sinai in Arabia situm* (non est, quod ab eo verbb. ordine quem oratio exhibet contexta deflectamus, cum Koppio vert. nomen Agar apud Arabes significat etc.). Haec una apparet ratio ex verbis Apostoli (si modo ipsi haec recte tribuantur) sententiam ab argumento huius loci non prorsus alienam et obiter additam eliciendi. Cfrr. Chrysost. Theophyl. Oecum. Koppe Borger Winer ad h. l. Nominis quidem mulieris Ἄγαρ alia est origo ex arab. *hadschar* fugere. Quaeritur porro, quibusnam verbis cohaereant quae seqq. συστοιχεῖ δέ etc. Vb. συστοιχεῖν in N. F. semel obvium, pr. in eodem ordine (στοίχῳ, vd. ad v. 3.), eadem serie consistere s. procedere *Polyb. 10, 21, 7.*, de iis etiam valet quae una cum aliis generis sunt eiusdem, ad eandem speciem pertinent, sive quae similitudine aliis respondent *Theophr. de causis plant. 6, 4.* Raphel. in *Polybb. ad h. l.* Ἱερουσαλήμ sive h. l. urbem significet, ita ut τέκνα αὐτῆς ceterae omnes Judaeae urbes minores et pagi dicantur, veluti filiae metropoleos (quo sensu בְּנוֹת *Jos. 15, 45. Judd. 11, 26.*), sive metonymice positum habeatur pro tota civitate Judaica, cuius τέκνα sint incolae, cives (*Ps. 149, 2. Matth. 23, 37.*), certum est, cogitasse Apostolum de *hominibus ipsis, Judaeis*, propter indolem oeconomiae Mos. in conditione quadam servili versantibus. Dicitur autem ἡ νῦν Ἱερουσ. qualis nunc est, in his terris, regno Mess. sollenni nondum constituto, ratione habita alius superioris (τῆς ἄνω v. 26.), de qua posthac videbimus. Sententiam Michaeli probatam, ἡ νῦν Ἱερ. opponi h. l. urbi antiquiori Salem *Genes. 14, 18.* qualis fuerit

aetate Abraami ante circumcisionem, huiusque Salem imaginem praedicari Saram, neque verba Apostoli satis adiuvant, nec indoles et series totius argumentationis. Quod coniunctionem verborum attinet, non potest συστοιχεῖ ulla ratione probabili ad Σινᾶ ὄρος referri. Etenim quo sensu et consilio Apostolus *montem Sinai Hierosolymis similitudine respondere* dixerit (quod Theodor. Calvinus Witsius *miscell. sacr. T. II. p. 151. sq.* Rambach ad h. l. statuunt) non satis perspicue docetur. Alia vero eorum interpretatio, qui praeeuntibus vers. Vulg. Hieron. Ambros. Chrysost. Theophyl. Oecum. hoc inesse voluerunt: *qui mons contiguus est Hierosolymae* s. *usque ad Hieros. pertingit*, parum commode ex vb. συστοιχεῖ eruitur, nec nisi artificiosius ex situ locorum et argumentationis Paulinae consilio defenditur. Sententiam commodam prorsus deesse, si τὸ ἄγαρ subiectum verbi συστοιχεῖ existimaveris, facile patet ex iis, quae de vbb. τὸ ἄγαρ recte interpretandis supra monuimus. Non potest nisi ad *mulierem Hagar* v. 24. ex. commemoratam referri (quod inter vett. interpres Syrus recentius Morus alique recte viderunt), ita ut vbb. τὸ γὰρ ἄγαρ — Ἀραβίᾳ parenthesin constituant, et verbo συστοιχεῖ illa quam supra illustravimus significatio similitudinis in vers. *Peschito* expressa et apud Theophyl. commemorata vindicetur, h. s. *respondet haec mulier similitudine urbi Hierosolymitanae, qualis nunc est.* Eandem Abraami servam, quam Paulus supra v. 24. tanquam typum imaginemve religionis *oeconomiae Mos.* exhibuerat, h. l. *civitati Judaicae* comparat, quippe quae tota addicta est legi Mosaicae. Accuratius quidem civitas comparetur Hagaris filio. Attamen, quum Apost. semel Hagarem tanquam matrem servi commemorasset, praeeunte more, quem supra illustravimus, eos, qui urbem quandam inhabitant sive ad civitatem pertinent, liberos eius appellandi, transire facile potuit a lege Mosaica ad civitatem cuius liberi conditione utuntur servili, quemadmodum ipsa (mater) servit legi Mos. Addit: δουλεύει γὰρ etc. *servit quippe* (Hieros.) *cum liberis suis* legi. Totius commatis explicati lectio magnopere fluctuat. Etenim ἄγαρ ante Σινᾶ deest in pluribus codd. (in quibus sunt *Ephr. resc.* *Aug.*

Boern.) verss. *Aeth. Arm. Vulg.* apud Cyrill. Epiphan. *(haer. 66.)* Ambros. in *textu* (in commentario quidem haec habet: causam Agar significare dicit Hierusalemem terrenam, tanquam si legendum putaverit: τὸ γὰρ Ἄγαρ συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσ.) Hieron. August. Pelag. aliosque patres. Concedimus, omissionem voculae ἄγαρ propter antec. γὰρ proficisci utique potuisse ex calami errore, parumque probabiliter existimari Apostolum eiusmodi adnotationem prorsus supervacaneam addidisse: Sina est mons Arabiae. [Artificiosior esse videtur sententia, quam Semler et Zachariae huic adnotationi tribuunt, comparationem Hagaris cum oeconomia Mos. eo quoque adiuvari, quod Sina mons sit in Arabia extra terminos terrae sanctae et promissae, quemadmodum Hagar in desertum electa fuerit, sive quod Hagar ab Abraamo dimissa in Arabiam sese contulerit, eiusque posteri Ismaelitae posthac in Arabia sedem habuerint fixam.] Contra duo codd. latini omiserunt Σινᾶ (forsitan quod post ἄγαρ de monte intellectum superfluum haberetur?). Pro γὰρ ante ἄγαρ leg. δὲ in cod. *Alex.* et textu graeco codd. *Clarem.* et *Sangerm.* (praeter alios quosdam libros mss.), vers. *Coptica*, semel apud Cyrillum. Pro συστοιχεῖ δὲ cod. *Clarem.* ex manu prima, codd. *Aug. Boerner.* exhibent ἥ συστοιχοῦσα, referendum ad mulierem Ἄγαρ v. 24. quod facile potuit ex glossemate oriri, quo indicaretur mulierem Hagar subiectum esse verbi συστοιχεῖ. Denique pro vulg. δὲ post δουλεύει codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Clarem.* (ex manu prima) *Aug. Boerner.* aliique, verss. *Copt. Arm. Syr.* (Philox.) *It.* et patres quidam suppeditant γὰρ, Griesbachio Knappio Lachmanno probatum, huic loco accommodatius, quum Paulus demonstraturus sit, Hagarem similitudine respondere Hierosolymis, quales nunc sint. Vulg. δὲ errorem scribendi redolet, cfr. antecc. συστοιχεῖ δὲ etc. et seqq. ἥ δὲ ἄνω etc. Quanquam igitur haec tota lectionum diversitas, quod originem attinet, explicari ita potest, ut nullam adferat necessitatem aliquam huius commatis partem prorsus spuriam habendi, ingenue tamen profiteor, satis probabiliter Bentleium (in *epist. ad Millium* inserta ipsius *opusculis philologicis*) Küsterum in *praef. in Millii N. T.* Mo-

rum in *praelectt. ad h. l.* Flattium: *Vorlesungen etc. 3. Anhang p. 284. sqq.* de glossemate cogitavisse, quo hic versus mature locupletatus fuerit. Nolim quidem cum Bentleio totum locum sic emendante: *τῇ δὲ Ἄγαρ συστοιχεῖ ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ* etc. scripturam vulgarem *huius* membri: *συστοιχεῖ δὲ* etc. (quae bene se habet) sollicitari. Sed *prius* illud: *τὸ γὰρ ἄγαρ — Ἀραβία*, etsi quam supra diximus interpretatio adhibita fuerit, satis commode tamen abest, impediens quodammodo et retardans argumentationem Paulinam. Nec potest mirum videri, quod verba v. 24. *μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ* ansam dederint adscribendo glossemati geographico, codd. nostros et verss. antiquitate superanti: *τὸ δὲ Σινᾶ ὄρος ἐστιν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ*. Posthac, quum haec adnotatio in textum irrepsisset, coniecerat alius quidam interpres, cui parum probabile videretur, Paulum lectores suos de monte Sinai in Arabia sito edocendos existimasse, huc potius spectavisse mentem Apostoli, ut ex nomine montis arabico graece formato aliquam montis Sinai mulierisque Hagar convenientiam declararet. Sic *additamentum* exstitit ante *Σινᾶ* insertum *ἄγαρ*, in pluribus documentis, quae lectionem glossematis antiquam servaverant, ut supra vidimus, omissum. [Voc. *δὲ* ante *Σινᾶ* ex utroque *ἄγαρ* et antec. et seq. in *γὰρ* transire facile potuit.]

Progreditur oratio ad oeconomiam praestantiorem.

V. 26. 27. 28. *Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστίν, ἥτις ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν.* (v. 27.) *Γέγραπται γάρ· εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα.* (v. 28.) *Ὑμεῖς δέ, ἀδελφοί, κατὰ Ἰσαὰκ, ἐπαγγελίας τέκνα ἐστέ.*

Post priorem illam antitheseos partem v. 24. *μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ* etc. exspectabatur (quod Koppe aliique verissime observv.) haec oppositio: *μία δὲ* (sive *ἡ δὲ ἑτέρα, διαθήκη*) *εἰς ἐλευθερίαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Σάῤῥα, συστοιχεῖ τῇ ἄνω Ἱερουσαλὴμ* etc. Breviloquentia quadam audaciori usus confestim transit Apost. a notione Hierosolymae, qualis nunc sit, terrestris ad cogitationem oppositam Hierosolymae superioris, ad quam pertinet oeconomia religionis perfectior

veram spirans libertatem, omissa mentione Sarae ingenuae, typum imaginemve huius oecon. perfectioris exhibentis (quanquam Sara breviter innuitur verbis ad rem ipsam quae per Saram significatur translatis: *μήτηρ ἡμῶν*), v. 26. *Ἡ δὲ ἄνω* etc. Quo luculentius orationis series docebat, sub ea quae v. 25. diceretur *ἡ νῦν Ἱερουσαλήμ* intellexisse Apostolum eos, qui ad civitatem pertinerent Judaicam, quatenus obnoxii essent legi Mosaicae, eo minus dubium potest videri, *τὴν ἄνω Ἱερουσ.* civitatem quandam appellari s. societatem, illi quidem quodammodo coniunctam et cognatam (utraque enim dic. *Ἱερουσαλήμ*), attamen praestantiorem nec amplius legi servientem. Docet insuper voc. *ἄνω* in N. F. de iis *quae ad coelos pertinent* usurpatum (*Jo. ev. 8, 23. Coloss. 3, 1. 2. Philipp. 3, 14.*), *τῷ νῦν* oppositum, hanc civitatem s. societatem praedicari coelestem, cuius perfectio non tam huius sit terrae quam coeli rerum ordinis sublimioris. Sic sponte corruunt opiniones eorum, qui *τὴν ἄνω Ἱερουσ.* vel de *monte Sionitico* s. parte altiori urbis Hieros. monti superstructa interpretati sunt, non adversante quidem usu voculae *ἄνω* per se spectato, vd. *Vitringa* observv. l. 1. c. 17. Millius *miscell. sacr. p. 11.* Elsner in *obss. sacr.* Wolf in *curis ad h. l.* (cui sententiae insuper obstat, quod, qui partem urbis superiorem incolebant, legi Mos. pariter ac ceteri incolae fuerunt obnoxii); *vel* de *Hierosolyma prisca*, Salem, qualis fuerat tempore Melchisedeci, cfr. Oeder *miscell. nova Lips. Vol. IV. p. 3.* Teenk *comment. exeg. de prisca Hieros. Gott. 1749.* Michaelis ad h. l., in comment. Borgeri recte refutati. Oppositio huius *ἄνω Ἱερουσ.* illiusque civitatis oeconomiae Mos. addictae (v. 25.) omnino magnopere favet iis, qui *ecclesiam* intelligunt *Christianam*, v. c. Schoettgen *diss. de Hierosolyma coelesti* adiuncta *horis hebrr. et talmudd. p. 1205 sqq.* Witsius *miscell. sacr. T. II. p. 158.* Meuschenii *N. T. ex Talmude illustr. p. 199.* Borger ad h. l. Quo minus vero potestatem huius formulae totam notione angustiori ecclesiae *quae in his terris est* Christ. coerceamus, ipsum voc. *ἄνω* impedit (cfr. supra obs.). Maluerunt haud pauci (Chrysost. Theodor. Oecum. Theophyl. recentius Noes-

selt in *progr. de una Dei familia etc. p. 8.* Rosenmüller Flatt Winer ad h. l.) *coetum* intelligi *et conditionem praestantiorem omnium vere sanctorum qui in coelis versantur.* Solebant quippe Judaei duplicem distinguere Hierosolymam, alteram praesentem (terrestrem), alteram novam coelestem (ad cuius imaginem illa esset condita) multo ampliorem et splendidiorem, urbem prorsus perfectam felicitatis plenam, olim post instauratum regnum Mess. coelitus demittendam. Cfr. Schoettgen comm. supra l. Bertholdt *Christologia Judaeorum etc. §. 46.* Scriptores N. F. ad societatem et felicitatem per Christum paratam in regno Dei futuro exspectandam formulas transferunt Judaeis de regno Mess. sollennes, *Apocal. 3, 12. 21, 2. Hebrr. 12, 22.* Quem loquendi morem Judaicum Paulus haud dubie etiam h. l. mente tenuit. Nolim tamen contendere, tantummodo rem futuram obversatam esse Apostolo τὴν ἄνω Ἰερουσ. praedicanti. Loquitur enim de libertate a lege Mosaica qua homines Christo vere addicti iam nunc utantur, patetque ex vbb. ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν, etiam de re praesenti cogitandum esse. Proinde consultissimum videtur, ut cogitationem teneamus integram τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ *regni divini per Christum nuntiati et instituti, cum praesentis tum futuri,* i. e. illius societatis et conditionis (oeconomiae) limites angustos vitae terrestri scriptos superantis, ad quam pertinent quicunque Christo vere addicti ad res coelestes tendunt, ad perfectionem summam et felicitatem aeternam olim apparituram. *Illa vero* (ait) *Hierosolyma superior* coelestis *est ingenua,* per Saram ingenuam (v. 23.) significata, haud obnoxia servitio legis Mosaicae, *eademque mater nostra,* ad eam nos Christo addicti pertinemus, veluti τέκνα, quo simul docetur, nos quoque esse ingenuos. Vocabulum πάντων vulgo ante ἡμῶν expressum, quanquam sententiae Pauli probe accommodatum est, ommittendum tamen censuimus (cum Semlero Millio Bengelio Griesbachio Knappio Winero) auctoritate codd. *Vatic. Ephr. rescr. Clarem. Sangerman. Aug. Boerner.* aliorumque, verss. *Syriacc.* (Peschito et Philox.) *Arab.* ed. Erp. *Copt. Aethiop. Vulg. It.* Origenis ad Cantic. I, 6. aliisque l. Chrysost. Theodor. comment. in

Ps. 86. v. 2. (quanquam hic in comm. ad h. l. aliisque locis scriptorum s. vulgatum exhibet) Tertull. Ambros. aliorumque doctorum vett. In vers. *Arm.* ponitur *post* ἡμῶν. Originem habuit vel ex studio amplius interpretandi sententiam Paulinam, vel ex aliis locis ubi πάντες ὑμεῖς s. ἡμεῖς et πάντων ὑμῶν leg. *Gal. 3, 28. II. Corr. 2, 3. 7, 15. Philipp. 1, 4. al.* Transfert Apost. hanc ad rem locum *Jes 54, 1.* secundum vers. *LXX.* quae textum hebr. bene exprimit v. 27. Γέγραπται γάρ etc. Promittuntur Judaeis adflictis l. l. post exilium Babylonicum incrementa nova, sermone allegorico, civitatem Judaicam uxori comparante, quae adhuc sterilis fuerit, contemta (ex more Judaico sterilitatem habendi ignominiosam), neglecta a marito, iam vero prolem accipiat tam numerosam, ut inter omnes celebretur. Populus quippe Judaicus, exilii tempore valde imminutus infortuniis belli, servitute depressus, in terras alienas dissipatus, veluti seiunctus fuerat a marito suo, cui Jehova comparatur *Jes. 50, 1. al.* Quanquam in hac tota sectione ipsius Messiae mentio nulla facta est, multumque etiamnum de cap. antec. 53. disceptatur, an Messias recte intelligatur sub illo Jehovae servo, depingitur tamen c. 54. 55. eiusmodi aetas felicior, qualem Judaei tempore Messiae futuram exspectabant, satisque probabiliter cum Gesenio existimamus, prophetam sub incrementis novis quae populo Dei promitterentur gentiles intellexisse huic populo coniungendos, ad sacra Judd. convertendos, *Jes. 56, 3. sqq.* coll. 2, 3. sqq. 11, 10. sq. Patet inde, quam facili cogitationum nexu Apostolus hoc effatum ad oeconomiam Christ. transferre potuerit, ad novum Dei populum ex Judaeis gentibusque colligendum, illustraturus quae modo dixerat v. 26. ἥτις ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν. Coniecturae Michaeli probatae, cui *propheta* ipse Saram ante oculos habuisse eamque cum coetu Dei cultorum, qui olim in urbe Salem tempore Melchisedeci fuerint, comparasse videtur, minime favet series orationis propheticae. Nec eiusmodi sensum vaticinio Paulus tribui voluit, ex sola cogitatione sterilitatis, cuius nota Sarae ad annum usque nonagesimum adhaeserat, opportunitatem ducens etiam locum Jesaiae in rem suam adhibendi. *Etenim* (ait) *scriptum legitur:*

laetare (*εὐφρανθ. Romm. 15, 10. al. Ael. V. H. 10, 9. Xenoph. Cyrop. l. 7. c. 5. §. 16.* ed. Lips. 1784.) *sterilis, non pariens* s. *quae adhuc non pepereras* (ex hebr. לֹא יָלָדָה), *rumpe laetitiam* (פִּצְחִי רִבָּה) *et clama*, iubila tolle (וְהַצְלִי), *quae non sentis partus dolores* (de vb. *ὠδίνειν* vd. supra v. 19.) s. quae adhuc non enixa es, לֹא־חָלָה. Haud infrequens quidem apud Graecos locutio *ῥήσσειν φωνὴν*, *Herod. 5, 93. Aristoph.* nubes v. 357. lat. *rumpere vocem Virg. Aen. l. 2. v. 129.* i. q. veluti erumpere iubere vocem quae longe lateque personet. Malim tamen h. l. ad vb. *ῥῆξον* cum Kypkio *εὐφροσύνην* supplere quam cum plerisque *φωνὴν*, propter hebr. apud Jes. רִבָּה, cui gr. *εὐφροσύνην* respondere alia loca docent *LXX.* ad *Jes. 49, 13. 52, 9.* ubi hebrr. formula integra exprimuntur *ῥήσσειν εὐφροσ.: erumpere iube laetitiam.* Similiter Graeci *ῥήσσειν κλαυθμὸν, οἰμωγὴν, δάκρυα Philostr.* icon. 2, 9. Erfurd ad *Sophocl. Trachinn. v. 921.* ut nostrates: ausbrechen in Freude, Klage, oder in Töne der Freude, der Klage. Ex mente Apostoli ad laetitiam iubilantem excitatur oeconomia et societas Christiana, etsi adhuc, comparata ecclesiae Judaicae numerosae, paucos habuerit asseclas, ita ut similis possit videri mulieri sterili et derelictae. Quae futura sit causa laetitiae vbb. docent *ὅτι πολλὰ* etc. Quae modo *στεῖρα οὐ τίκτουσα* dicebatur, h. l. *ἔρημος*. Quod epitheton, quum opponatur *τῇ ἐχούσῃ ἄνδρα*, facile quidem possit de foemina intelligi quae omnino nullum habeat maritum, vel virgine vel vidua. Attamen quum ota orationis series doceat, cogitavisse scriptorem de muliere *quae propter sterilitatem aliquamdiu a marito fuerit neglecta*, aud dubie *hoc sensu* dicitur illa *ἔρημος*, vacua, deserta, solaria (quemadmodum *ἔρημοι συμμάχων* qui destituti sunt ciis pugnae apud *Diod. Sic. 16, 37.* s. *ὄρνιθες ἔρημοι* aves litariae *Plutarch. vita Caes. c. 63.*), hebr. שׁוֹמֵמָה et h. l. s. et *II. Sam. 13, 20.* ubi *LXX.* vert. *χηρεύουσα*. Aliis is N. F. *ἔρημος* de *regionibus* desertis ac solitariis usurtur. Opponitur *ἔχουσα τὸν ἄνδρα*, quae virum sibi habet, acum maritus vere versatur, prolem exspectans, in textu or. בְּעוּלָה, cfr. *Deuteron. 24, 1.* ubi hebrr. כִּי־יִקַּח אִישׁ

Ps. 86. v. 2. (quanquam hic in comm. ad h. l. aliisque locis scriptorum s. vulgatum exhibet) Tertull. Ambros. aliorumque doctorum vett. In vers. *Arm.* ponitur *post* ἡμῶν. Originem habuit vel ex studio amplius interpretandi sententiam Paulinam, vel ex aliis locis ubi πάντες ὑμεῖς s. ἡμεῖς et πάντων ὑμῶν leg. *Gal. 3, 28. II. Corr. 2, 3. 7, 15. Philipp. 1, 4. al.* Transfert Apost. hanc ad rem locum *Jes 54, 1.* secundum vers. *LXX.* quae textum hebr. bene exprimit v. 27. Γέγραπται γάρ etc. Promittuntur Judaeis adflictis l. l. post exilium Babylonicum incrementa nova, sermone allegorico, civitatem Judaicam uxori comparante, quae adhuc sterilis fuerit, contemta (ex more Judaico sterilitatem habendi ignominiosam), neglecta a marito, iam vero prolem accipiat tam numerosam, ut inter omnes celebretur. Populus quippe Judaicus, exilii tempore valde imminutus infortuniis belli, servitute depressus, in terras alienas dissipatus, veluti seiunctus fuerat a marito suo, cui Jehova comparatur *Jes. 50, 1. al.* Quanquam in hac tota sectione ipsius Messiae mentio nulla facta est, multumque etiamnum de cap. antec. 53. disceptatur, an Messias recte intelligatur sub illo Jehovae servo, depingitur tamen c. 54. 55. eiusmodi aetas felicior, qualem Judaei tempore Messiae futuram exspectabant, satisque probabiliter cum Gesenio existimamus, prophetam sub incrementis novis quae populo Dei promitterentur gentiles intellexisse huic populo coniungendos, ad sacra Judd. convertendos, *Jes. 56, 3. sqq.* coll. 2, 3. sqq. 11, 10. sq. Patet inde, quam facili cogitationum nexu Apostolus hoc effatum ad oeconomiam Christ. transferre potuerit, ad novum Dei populum ex Judaeis gentibusque colligendum, illustraturus quae modo dixerat v. 26. ἥτις ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν. Coniecturae Michaeli probatae, cui *prophetam* ipse Saram ante oculos habuisse eamque cum coetu Dei cultorum, qui olim in urbe Salem tempore Melchisedeci fuerint, comparasse videtur, minime favet series orationis propheticae. Nec eiusmodi sensum vaticinio Paulus tribui voluit, ex sola cogitatione sterilitatis, cuius nota Sarae ad annum usque nonagesimum adhaeserat, opportunitatem ducens etiam locum Jesaiae in rem suam adhibendi. *Etenim* (ait) *scriptum legitur:*

laetare (*εὐφραν϶. Romn. 15, 10. al. Ael. V. H. 10, 9. Xenoph. Cyrop. l. 7. c. 5. §. 16.* ed. Lips. 1784.) *sterilis, non pariens* s. *quae adhuc non pepereras* (ex hebr. לֹא יָלָדָה), *rumpe laetitiam* (פִּצְחִי רִנָּה) *et clama*, iubila tolle (וְהַצְהֲלִי), *quae non sentis partus dolores* (de vb. *ὠδίνειν* vd. supra v. 19.) s. quae adhuc non enixa es, לֹא־חָלָה. Haud infrequens quidem apud Graecos locutio *ῥήσσειν φωνήν*, *Herod. 5, 93. Aristoph.* nubes v. 357. lat. *rumpere vocem Virg. Aen. l. 2. v. 129.* i. q. veluti erumpere iubere vocem quae longe latèque personet. Malim tamen h. l. ad vb. *ῥῆξον* cum Kypkio *εὐφροσύνην* supplere quam cum plerisque *φωνήν*, propter hebr. apud Jes. רִנָּה, cui gr. *εὐφροσύνην* respondere alia loca docent *LXX.* ad *Jes. 49, 13. 52, 9.* ubi hebrr. formula integra exprimuntur *ῥήσσειν εὐφροσ.: erumpere iube laetitiam.* Similiter Graeci *ῥήσσειν κλαυθμόν, οἰμωγήν, δάκρυα Philostr.* icon. 2, 9. Erfurd ad *Sophocl. Trachinn. v. 921.* ut nostrates: ausbrechen in Freude, Klage, oder in Töne der Freude, der Klage. Ex mente Apostoli ad laetitiam iubilantem excitatur oeconomia et societas Christiana, etsi adhuc, comparata ecclesiae Judaicae numerosae, paucos habuerit asseclas, ita ut similis possit videri mulieri sterili et derelictae. Quae futura sit causa laetitiae vbb. docent *ὅτι πολλὰ* etc. Quae modo *στεῖρα οὐ τίκτουσα* dicebatur, h. l. *ἔρημος*. Quod epitheton, quum opponatur *τῇ ἐχούσῃ ἄνδρα*, facile quidem possit de foemina intelligi quae omnino nullum habeat maritum, vel virgine vel vidua. Attamen quum tota orationis series doceat, cogitavisse scriptorem de muliere *quae propter sterilitatem aliquamdiu a marito fuerit neglecta*, haud dubie *hoc sensu* dicitur illa *ἔρημος*, vacua, deserta, solitaria (quemadmodum *ἔρημοι συμμάχων* qui destituti sunt sociis pugnae apud *Diod. Sic. 16, 37.* s. *ὄρνιθες ἔρημοι* aves solitariae *Plutarch. vita Caes. c. 63.*), hebr. שֹׁמֵמָה et h. l. *Jes.* et *II. Sam. 13, 20.* ubi *LXX.* vert. *χηρεύουσα*. Aliis locis N. F. *ἔρημος* de *regionibus* desertis ac solitariis usurpatur. Opponitur *ἔχουσα τὸν ἄνδρα*, quae virum sibi habet, quacum maritus vere versatur, prolem exspectans, in textu hebr. בְּעוּלָה, cfr. *Deuteron. 24, 1.* ubi hebrr. אֵשֶׁת אִישׁ

אֹשָׁה וּבְעָלָה apud *LXX.* vertt. *ἐὰν δέ τις λάβῃ γυναῖκα καὶ συνοικήσῃ αὐτῇ.* Tota locutio: multi erunt liberi mulieris desertae potius quam illius cum marito viventis, prorsus est hebraica: בְּנֵי־שׁוֹמֵמָה מִבְּנֵי בְּעוּלָה, ita ut *μᾶλλον ἤ* vim praefixi מ comparativo inservientis exprimat: *mulieris solitariae* quae nunc talis videtur *multo plures erunt liberi, quam eius quae maritum sibi habet.* Plerique Jesaine interpretes imaginem mulieris *ἐχούσης τὸν ἄνδρα* ad gentes referunt ethnicas, Babylonios, Persas etc. etiamnum habentes principem suum legitimum tanquam maritum. Malim cum Gesenio *populum* intelligere *Judaicum, qualis olim fuerat,* quum Jehovae veluti marito propius esset coniunctus eumque sibi faventem experiretur. Haec Apost. transfert ad oeconomiam et ecclesiam Judaicam, quae, quamvis hoc tempore veluti liberos habeat multos qui eam testentur *ἔχουσαν τὸν ἄνδρα*, asseclarum multitudine gaudens, posthac tamen cessura sit *oeconomiae Christianae, hoc tempore ex iudicio hominum ἐρήμῳ, mox numero et auctoritate multum praevaliturae.* Angustioribus terminis vocem *ἔρημος* complectuntur Chrysost. Theodor. Oecum. Theophyl. ecclesiam intelligentes Christianam *ex Ethnicis* colligendam, quae sic dicatur, *quatenus illi olim pagani expertes fuerant cognitionis Dei* rell. Sed parum probabiliter existimatur Apostolus, locum Jesaianum consilio suo accommodans, verba *εὐφράνθητι στεῖρα* etc. ita tractasse, ut Ethnicos *tanquam Ethnicos* alloqueretur. Orationem haud dubie ad eandem convertit, cuius typum imaginemve Saram habebat. Loco laudato promissionem continet illi similem, quae olim Abraamo et Sarae data fuerat de Isaaco nascituro, sententia adnectitur ad rem primariam in hac sectione ex historia Hagaris et Sarae illustrandam pertinens v. 28. Ὑμεῖς δὲ etc.: *Vos autem, fratres, ad exemplum Isaaci filii estis promissi,* vos, Christo addicti, per Isaacum *διὰ τῆς ἐπαγγελίας* natum (v. 23.) significati, eiusmodi estis liberi per vim promissionis divinae prognati, quales etiam loco Jesaiae laud. promittebantur (admodum numerosi quidem) mulieri quae fuerat *στεῖρα* et *ἔρημος*. Sic v. 28. antecedenti bene cohaeret, nec habemus, quod cum nonnullis interprr. alium huius

commatis nexum cum versu quodam superiori (v. c. v. 24.) investigemus. Vocula δὲ ad argumentationem pertinet, quam Paulus v. 31. absolvit (sermone quidem ad personam 1. plur. transeunte): vos autem estis τέκνα δι' ἐπαγγελίας nata, quo efficitur, nos omnes homines esse ingenuos. Κατὰ Ἰσαάκ recte vertitur: ad exemplum s. similitudinem Isaaci, *Ephh. 4, 24. Hebrr. 8, 9. al.* Vd. Kypke *obss. sacrr.* Raphel. *adnott. ex Arr. et Xenoph. ad h. l.* Quo magis attenti reddantur lectores ad vim conclusionis, ordo verbb. adhibetur inversus ἐπαγγ. τέκνα (pro τέκνα ἐπαγγ.) i. e. praeeunte v. 23. eiusmodi posteri Abraami felicitatis illi eiusque semini promissae participes, *qui tales fiunt per vim promissi divini*, ex gratia divina, ratione nulla habita originis ex Abraamo κατὰ σάρκα. *Romm. 9, 8.* supra III, 14. Non plane assequuntur hanc Pauli mentem, qui vertunt: ii ad quos pertinet promissio (ex usu illo tropico substantivi: filius, quem II. *Thess. 2, 3.* cognovimus.). Ceterum cum Lachmanno Paulo Rückerto scripturae huius comm. vulgatae: Ἡμεῖς δὲ — ἐσμέν praeferendam censuimus lectionem codd. *Claromm. Aug. Boerner.* verss. *Aeth.* et *It.* et patrum quorundam Origenis (quem sic legisse Hieron. ad h. l. testatur) Iren. Ambros. ὑμεῖς δὲ — ἐστέ. Vulgata correctionem antiquam sapit, vel ex usu personae primae v. 26. 31. oriundam, vel inde profectam, quod librarii et interpretes vett. existimaverant, non potuisse Apostolum Galatas, qui ab evangelio vere defecissent, formula alloqui honorifica τέκνα ἐπαγγελίας. Quod posterius non habet in quo recte offendas. Respicit quippe haec allocutio ad conditionem vere Christianam, in qua Galatae illi versati fuerant, donec aures praeberent doctoribus vanis; nec desierat Paulus de iis sperare, fore ut resipiscerent, v. 19.

Huic promissioni divinae (ἐπαγγελία) in hominibus Christo addictis eventu comprobatae et porro comprobandae minime repugnare, quod coetus Christianus hoc tempore a Judaeis magnopere vexetur, porro docet Apostolus ex ipsa Hagaris et Sarae et utriusque filiorum historia, absolvitque argumentationem.

V. 29. 30. 31. Ἀλλ' ὥσπερ τότε ὁ κατὰ σάρκα

γεννηθεὶς ἐδίωκεν τὸν κατὰ πνεῦμα, οὕτως καὶ νῦν. (v. 30.) Ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; Ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας. (v. 31.) Ἄρα, ἀδελφοί, οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας, τῇ ἐλευθερίᾳ, ᾗ ἡμᾶς Χριστὸς ἠλευθέρωσεν.

V. 29. Qui modo dicebatur natus per vim promissi divini (Isaacus, v. 23. 28.), *h. l.* κατὰ πνεῦμα, secundum spiritum, i. e. praecuntibus iis quae supra v. 23. de formula oppos. κατὰ σάρκα observavimus *prognatus per singularem vim* s. *efficacitatem Dei*, cfr. *Luc. 1, 35.* ubi πν. ἅγιον explicatur δύναμις ὑψίστου, *Romm. 1, 4.* πν. ἁγιωσύνης oppon. τῷ κατὰ σάρκα. Egregie lecta est formula, quum homines Christo addicti, quorum typo s. imagini Isaacus inserviat, in N. F. describi soleant tanquam homines per Spiritum div. veluti regenerati, prorsus emendati, Deo lustrati, ita ut veri sint filii Dei, *Jo. 3, 5. sqq. Romm. 8, 1—6. 11. sq. 14. sqq. I. Corr. 2, 12. Gal. 3, 3. 5. 4, 6. Ephh. 4, 3. 4.* ad *Titum 3, 5. I. Petri 1, 2. al.*, et πνευματικοὶ dicantur *I. Corr. 2, 13. sqq. 3, 1.* Διωκειν (I, 13. V, 11.) significatu suo latius patebat de quovis genere vexationis, ita ut etiam ad *irrisionem* transferri posset, qua Ismael vel Saram vel filium eius lacessivisse narratur *Genes. 21, 9.* Teneamus tamen, apud Judaeos seriores plura esse narrata de animo hostili, quo Ismael Isaacum fuerit persequutus, quod scriptores testantur rabbinn. *Breschith R. 53, 15. Verum* (ait) *quemadmodum illo tempore filius secundum carnem natus illum secundum* (per) *vim divinam singularem natum persequutus est, ita etiam nunc fit.* Non Pseudapostoli circumcisionis necessitatem Galatis persuadentes (quod nonnulli intt. coniecerunt) intelliguntur, sed Judaei, homines oeconomiae servos veluti parienti (v. 24.) addicti qui coetum Christianum infestant, attamen desinent infestare poenamque dabunt exclusi regno divino v. 30. Ἀλλὰ τί etc. Ad gravitatem rei declarandae attenti reddantur lectores formula interrogante: *At, quid dicit scriptura sacra?* Sic λέγειν de effatis scripturae *II. Corr. 6, 2. Ephh. 4, 8.*

cfr. supra III, 16. Laudatur locus *Genes. 21, 10.* ex versione *LXX.* textum hebr. accurate exprimente. Id unum apparet discriminis, quod apud nostrum pronomina *ταύτην* et *ταύτης*, quae *LXX.* post *παιδίσκην* et *παιδίσκης* addiderunt, omittuntur, itemque pro verbis Sarae, quae l. l. loquens cum Abrahamo inducitur: *μετὰ τοῦ υἱοῦ μου Ἰσαάκ* (in codd. quidem *Clarem. Sangerm. Aug. Boerner.* apud Hieron. Ambros. Augustin. ex *LXX.* textui Paulino illatis) haec ponuntur: *μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας.* Consulto, opinor, Apostolus haec substituit, quo magis defigeret animos lectorum in cogitationem primariam *conditionis liberae*, qua Isaacus hominesque Isaaco comparati ab Ismaele differant, eoque hominum genere, quod per Ismaelem significetur. Accedebat, quod formulam citandi *τὶ λέγει γραφή*; confestim apud nostrum exceperant verba Sarae, *mentione nulla Sarae loquentis iniecta*, siquidem in hac serie argumentationis non tam de sermone uxoris Abr. enarrando agebatur, quam *de voluntate divina per scripturam sacram declarata.* Deus quippe testante *Genes. 21, 12.* Abraamo mandavit, ut voluntati Sarae Ismaeli contumelioso graviter indignantis obsequeretur. Vb. *ἐκβάλλειν* de iis sollenne, qui alios cogunt exire, nisi violenter, ita tamen ut verbis instent sive severius imperent, *Matth. 21, 12. Marci 5, 40. Actt. 16, 37.*, usurpatur etiam in causa mariti et uxoris, coniugem dimittere, repudiare, *Demosth. p. 1362.* ed. Reisk. *Diod. Sic. l. 12. c. 18. Sirac. 7, 26.: Eiice servam eiusque filium, nequaquam enim* (de form. graviter negante *οὐ μή*) vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 422. sq.*) *servae filius cum filio ingenuae hereditatem aditurus est*, nolo haec fieri. Hereditatis Abr. terrestris ex iure Hebraeorum (*cfr. Judd. 11, 2.* et quae Seldenus habet *de successionibus ad leges Hebrr. c. 3. p. 38.*) non potuit Ismael particeps fieri, *natus ex serva* (*κατὰ σάρκα*). Uni contigit Isaaco, uxoris ingenuae filio, *κατὰ πν.* nato. Itaque, quum Isaacus typo s. imagini inserviat eorum, qui, Christo addicti per *πίστιν* imitantem *πίστιν* Abraami (III, 7.), posteri Abraami habentur secundum *πνεῦμα*, ad quos pertineat hereditas regni divini Abraamo eiusque semini promissa (III, 14. sqq.); patet

inde, nos esse ingenuos, veluti natos ex oeconomia ingenua per Saram significata, nec amplius ad nos pertinere servitium legis Mosaicae. Haec conclusio absolvitur v. 31. Ὅθεν, ἀδελφοί etc. *Itaque, fratres, non sumus servae liberi, sed ingenuae.* Haud exigua h. l. apparet lect. diversitas. Pro vulg. enim ἄρα in nonnullis codd. (in quibus sunt *Alex.* et *Ephr. rescr.*) vers. *Copt.* apud Cyrillum *Glaph. p. 75.* August. Damasc. leg. ἡμεῖς δέ, profectum haud dubie ex scriptura vulgata v. 28. Codd. *Vat. Clarom.* ex manu prima *Sangerm.* exhibent διό, codd. *Aug. Boerner.* et Theodor. ἄρα οὖν (utrumque sermoni Paulino non minus familiare, quam ἄρα). In uno cod. simpliciter: ἀδελφοί, οὐκ etc. quam script. breviorem Koppe ceteris lectt. praeferendam existimat, haud improbante Griesbachio. Equidem vix putaverim, Apostolum praeter consuetudinem suam in absolvenda argumentatione nullam omnino adhibuisse conclusionis particulam. Patet item, quam facile ἄρα inter syllabam postremam vocabuli ἐλευθέρας et primam voc. sq. ἀδελφοί errore scribendi hic illic excidere potuerit. Quod Lachmann edidit διὸ pariter atque ἄρα οὖν et (quod in uno cod. apparet) ἄρα δέ glossematis antiqui speciem habet quo docebatur ἄρα h. l. vim concludendi non interrogandi (ἆρα) habere. Cfr. Borger et Matthaei ad h. l.

Post ἐλευθέρας in editionibus initium novi capitis constitui solet, quod vulgo sic legitur: Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε: *in hac igitur libertate, qua Christus nos liberavit, state*, constantes estote (simil. στήκειν τινί, ubi dativus rem indicat cuius ratione habita aliquis stare dicitur, *II. Corr. 1, 24.*, ex usu dativi quem illustr. Matthiae *ausführl. griech. Grammatik ed. II. Vol. II. p. 781.* Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 175.* alibi στήκειν ἐν τινι *I. Corr. 16, 13. I. Thess. 3, 8.*) etc. Attamen insignis est lectt. dissensus. Voc. οὖν post ἐλευθ. omittitur in iis *codd.* qui *insigniores* sunt, verss. *Copt. Armen. Vulg. It.* apud Cyrill. *Glaph. p. 75.* Basil. *de bapt. I. moral. 14.* Orig. *hom. 7. in Gen. hom. 3. in Ex.* Theodor. Damasc.

patresque latinos. Pro τῇ ante ἐλευθ. legitur ᾗ in codd. *Aug. Boerner.* itemque in verss. *It. Vulg. Syr. Philox.* apud Hieron. et Ambros. latine sic interpretantes ut vbb. ᾗ ἐλευθερίᾳ — ἠλευθέρωσεν ad versum 31. C. IV. referantur, seqq. ad initium novi commatis. Pronomen ᾗ *ante* Χριστὸς apud *plerosque* eorum, qui superius οὖν omittunt, desideratur. Ordine inverso leg. ἡμᾶς Χριστὸς in iisdem codd. insignioribus, qui pronomen quod diximus ᾗ non habent, itemque apud Cyrill. et Ambros. Denique plerique eorum, qui οὖν post ἐλευθ. omittunt, inserunt post στήκετε. Auctoritate externa prae ceteris commendari videmus hanc textus conformationem (in ed. Lachmanni expressam): τῇ ἐλευθερίᾳ ἡμᾶς Χριστὸς ἠλευθέρωσεν. Στήκετε οὖν etc. Parum commendatur omissio vocab. οὖν post στήκετε, Griesbachio Knappio Matthaeio probata, initium Cap. V. sic exhibentibus: τῇ ἐλευθερίᾳ (Matth. add. οὖν), ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς (Knapp: ἡμᾶς Χρ.) ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ etc. Interpretem quidem male omnino habet in illa, quam ceteris antiquiorem diximus, lectione enuntiatio languida (quod bene senserunt Borger in *animadverss. crit.* et Rückert ad h. l.) nec verbis antecedd. bene iuncta: Libertate nos Christus liberavit. Haec difficultas evanescit, si vbb. τῇ ἐλευθερίᾳ cum antecedd. propius connectas, nec dubitaveris pronomen ᾗ post ἐλευθερίᾳ inserere, in textu vulg. servatum. Quanquam in iis codd. qui potiores sunt desideratur, facile tamen patet, quomodo antiquitus errore scribendi propter syllabam priorem voc. seq. ἡμᾶς exciderit textu. Consentimus hac in re Rinckio in l. *lucubratio crit. in Acta App. epp. cathol. et Paul. Basil. 1830. p. 175. sq.* Sententia lectionis sic restitutae v. 31.: *Itaque, fratres, non sumus* (veluti) *proles servae sed liberae, per eam libertatem qua nos Christus liberavit*, in quam nos Chr. adseruit (nomen substantivum eiusdem originis verbo conjungitur, ut *Col. 2, 19. Ephh. 1, 3. 6. al.*). Origo totius lectt. diversitatis haud improbabiliter hoc modo explicatur. Omissio pronominis ᾗ post ἐλευθερίᾳ opportunitatem dedit articulo τῇ ante ἐλευθ. in ᾗ mutando verbisque ᾗ ἐλευθ. ἡμᾶς Χρ. ἠλευθέρωσεν (ab antecedd. plane seiunctis) cum iis quae novum

comma (C. V. v. 1.) constituunt: *στήκετε* etc. coniungendis. Deinde qui vbb. hoc modo nectenda existimabant voci *ἐλευθερίᾳ* glossema adscripserunt *οὖν* (conclusionem novam inesse docentes), sive parum attenderent ad posterius *οὖν* post *στήκετε*, sive hoc non haberent in exemplaribus suis. Nec mirum potest videri, quod alii, qui, lectionem *τῇ ἐλευθερίᾳ, ᾗ ἡμᾶς Χρ. ἠλευθερ.* sequuti, haec propius coniungebant cum *στήκετε*, posterius *οὖν* post *στήκ.* emittendum censuerint, quippe quod, *illa* quidem lectione et constructione probata, habebat in quo offenderent. His argumentis quod nos edidimus defendere licet. Attamen haud inepte quaesiveris, an forte haec omnia, quorum lectio tantopere fluctuet, usque ad *στήκετε* glossematibus antiquissimis originem debeant, quibus adscribendis et vbb. postrema v. 31. *ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας*, et vbb. prima C. V. *Στήκετε οὖν* ansam facile praebuerint?

Caput V.

Iteratur admonitio gravis, ut Galatae constanter teneant libertatem filiorum Dei, quam per Christum impetraverint, neque doctoribus indulgeant vanis, qui dum hominibus Christo addictis circumcisionem iniungant eos omnino toti legi Mosaicae obnoxios reddant, quo facto a Christo seiungantur.

V. 1—6. *Στήκετε οὖν, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε.* (v. 2.) *Ἴδε, ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν ὅτι, ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει.* (v. 3.) *Μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ, ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι.* (v. 4.) *Κατηργήθητε ἀπὸ Χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε.* (v. 5.) *Ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα.* (v. 6.) *Ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη.*

V. 1. *Στήκετε οὖν* pariter atque *Ephes. 6, 14.* *στῆτε οὖν* sic ponitur ab initio, ut cogitando ex tota orationis serie

res, in qua constantes esse debeant, subintelligatur, sive h. l. ex verbis postremis v. 31. C. IV. suppleveris τῇ ἐλευθερίᾳ: quod attinet libertatem, in libertate, sive (quum vbb. illa postrema glossematis speciem habeant) referre malueris ad illud: ἐσμὲν τέκνα τῆς ἐλευθέρας: *state igitur*, quod attinet conditionem filiorum ingenuae, *neque iterum patiamini servitutis iugo vos coerceri.* De praecepto s. disciplina, quatenus exacta eius observatio aliquid habet molesti, usurpatur subinde ζυγὸς, *iugum, Sirac. 51, 26. Matth. 11, 29.* (cfr. Kuinoel comment. ad h. l.) hebr. עֹל I. *Regg. 12, 4.* Transfertur h. l. (ut *Actt. 15, 10.*) ad legem Mosaicam, addito genit. δουλείας praedicatum continente, quo observatio legis accurata tanquam servitium describitur, cfr. supra III, 23. IV, 3. 24. Similiter ζυγὰ δουλείας apud *Soph. Aiac. v. 924.* ζυγὸς δουλοσύνης *Demosth. p. 322.* ed. Reisk. ζυγὸς δούλιος *Plat. epist.* 8. Imagini τοῦ ζυγοῦ bene respondet vb. ἐνέχεσθαι, in aliquo haberi, teneri, v. c. laqueis, retibus, iugo captum teneri *Herod. l. 2. s. 121. Lucian. T. II. ed. Reitz p. 520.* tropice de iis, qui legi cuidam serviunt, *Dio Cass. T. I. p. 713. ed. Reim.* Similiter in N. F. saepius ἔνοχον εἶναί τινι s. τινος, ut *Hebrr. 2, 15.* Quo iure Paulus etiam Ethnico-Christianos Galatt. adhortari potuerit, ne *iterum* (πάλιν) subirent iugum servitutis, ad C. IV. v. 9. vidimus. Doctores vani, libertati verae evangelicae insidiantes, hoc maxime agebant, ut aliis persuaderent, observationem rituum Mosaicorum, circumcisionem certe (cuius necessitatem prae ceteris urgerent), fieri posse salva professione religionis Christianae. Contra hos adfirmat Apostolus, quicunque Christianus circumcisionem admittat (ea quidem mente, ut Deo se probatum reddi existimet hoc opere externo), eum frustra Christum profiteri v. 2. Ἴδε, ἐγὼ etc. Attentos reddit lectores ad gravitatem sententiae auctoritate apostolica, auctoritati opinatae illorum doctorum opposita, enuntiandae: ἴδε (sic scribendum putamus, non ἰδέ, praeeuntibus testimoniis grammaticorum vett. quibus docemur, atticos scripsisse ἰδέ, seriores ἴδε, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 48.*) *ecce*, ut *Romm. 2, 17.* multisque evangell. locis hebr. הִנֵּה, *ego Paulus (Ephess. 3, 1. II. Corr. 10, 1.) vobis dico,*

romas (C. V. v. 1.) constituunt: στή
Deinde qui vbi. loco modo accendit
pro glossema adscripserunt οἵτ
docentes), sive parum attenderen
ere, sive hoc non habuerint lo
potest videri, quod ubi, qui
ἡμᾶς Χρ. ἐλευθέρ. ac
cum στήκετε, postea ne
quippe quod, illo quidem
bebat in quo offendere
defendere licet. At
haec omnia, quae
vera glossemata
accidendis et
vbi. potius

lib
q

Partic. At, quam nonnulli
significationem contrariam obtinere vel
indicandae hostilis voluit, neque
adversativam. Sanctissime enim scribit v. 2. ne
um, qui dixerat, Christianum qui circumci
imperfect, quo plane pacto vere ad Christ
fiat salutis per Christum partem. Hoc ip
pacto divum eorum domum, qui circumci
haec tolam observatio legis. Neque quidem
hoc valdeor quod praeposuerunt et I
volumus. Quibus verbis πᾶλιν in nonnul
cum Chrysostomo ex manu pr. Aug. Hieronym. Theophyl. Hieron. Ambr. Augustin
nunc interpretatur Borger in observ. ad I. Timoth. I. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

explicatur, quod Apost. vs. antec. dsentiri licet vertenti: *contra*, usu ritzsche *comment. ad Matth.* serit πανταὶ ἀνθρώπῳ, scite ex- (consentiente Theophyl.) ἵνα μὴ νο- αῦτα λέγεσθαι, οὐχ' ὑμῖν λέγω μόνον, νθρώπῳ περιτεμνομένῳ. Formula Paulo την εἶναι (quod substant. profanis quoque m, *Soph. Aiax flagell. v. 590.*) pro simplici nasin quandam habet, *Romm. 1, 14. 8, 12. 15, 27.* circumcisionis, quae signo inservit foederis Deum que Hebraeos sanciti, obstringitur homo observandis as quae lege Mos. sunt praescripta (prorsus fit Judaeus) *t. 15, 5.* Michaelis *Mosaisches Recht T. IV. §. 184.* Accedit (quod Chrysost. ad h. l. bene observat) nexus praeceptorum interior. Circumcisio v. c. coniuncta fuit immolationi pecudum; immolatio secum ferebat locorum dierumque observationem; locus sollennis purgationes varias efflagitabat lege sanctas. Quod in nonnullis codd. et apud patres quosdam legitur (et in vers. Peschito exprim.) νόμον πληρῶσαι, interpretamento inservit ex aliis locis (v. c. *Matth. 5, 17.*) depromto formulae νόμον ποιῆσαι, *legem observare Jo. ev. 7, 19. Apocal. 22, 14.* hebr. עָשָׂה sq. accusat. *Levit. 20, 22. Deuter. 15, 5.* (quemadmodum supra III, 10. 12. ποιεῖν τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου). Quicunque homo Christianus circumcisionem subierit, ab hoc inde tempore ad eos pertinet, qui salutem suam non amplius ex fide Christo habita, immo ex operibus legis pendere existimant. De his autem valet, quod supra III, 10. dictum fuerat. Sic efficitur, eiusmodi hominem nihil iuvare, quod Christum profiteatur (v. 2.). Immo, si hoc feceritis, a Christo estis seiuncti v. 4. Κατηργήθητε etc. Quo sensu passivum verbi καταργεῖν: aliquid irritum reddere, efficacitate sua privare, abolere (vd. ad *II. Thess. 2, 8. Gal. 3, 17.* obs.) h. l. cum praepositione ἀπό, quae verba liberandi solvendi separandi excipere solet, et genitivo coniungatur, diversimode olim explicuerunt, v. c. Hieronymus: in opere Christi nihil profecistis (cessavistis in eo),

si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum, vos expertes fore salutis per Christum paratae, cuius salutis haec est conditio, ut nos toti fiduciae pleni committamus Christo et gratiae Dei liberae per Christum patefactae, neque hanc Dei gratiam ex accurata legis observatione (cui nemo perfecte satisfacit, vd. supra III, 10.) pendere existimemus. Qua de causa idem Apostolus de eadem re pluribus locis mitius fuerit loquutus, praesertim ubi cum eiusmodi hominibus ageret qui Judaei ex Judaeis nati secundum legem iam essent circumcisi, in prolegg. §. 2. in. vidimus. *Hoc loco* vanos illos doctores superbia elatos, qui Christianis non circumcisis hunc ritum iniungerent, compescere debuit commemorandis iis quae sponte sequantur, si quis circumcisionem ea mente subierit, ut hac ratione salutem sibi comparare videatur. Proinde v. 3. pergit: *μαρτύρομαι δὲ* etc. Particula *δὲ*, quam nonnulli (vd. Borger ad h. l.) vel significationem causalem obtinere vel simpliciter continuationi indicandae inservire volunt, utique tenet vim suam adversativam. Sententiae enim verbis v. 2. iam indicatae hominum, qui dixerint, Christianum qui circumcisionem subierit haud impediri, quo minus porro vere sit Christianus et particeps fiat salutis per Christum paratae, hoc opponitur: *contestor potius iterum cuivis homini, qui circumcidatur, eum oportere totam observare legem.* *Μαρτύρεσθαι* interdum idem valuisse quod *μαρτυρεῖσθαι* ad *I. Thess. 2, 12.* vidimus. Omissio voculae *πάλιν* in nonnullis codd. (in quibus *Clarom.* ex manu pr. *Aug. Boerner.*) itemque apud Chrysost. Theophyl. Hieron. Ambr. Augustin. (quod verissime intellexit Borger in observv. crit. ad h. l.) originem habuit vel ex simili litterarum ductu *ΠΑΛΙΝΠΑΝΤΙ* vel ex correctione eorum, qui de sensu quo h. l. dici potuerit *πάλιν* haesitarent. Respicit, opinor, vel ad locum C. II. v. 4. ubi Apost. de fratribus falsis monuerat, eos circumcisionem commendantes hoc agere, ut Christianos servituti plane subiiciant, vel, quod Rückerto praeplacet, ad sermones hac de re cum Galatis nuper collatos, quum altera vice in Gal. versaretur. Nolim cum aliis interpretari: *porro*, quanquam *πάλιν* sic leg. *Matth. 5, 33. 13, 44. al.* Minime enim nova adnecti-

tur sententia, sed amplius explicatur, quod Apost. vs. antec. innuerat. Neque Koppio adsentiri licet vertenti: *contra*, usu loquendi adversante, cfr. Fritzsche *comment. ad Matth. 4, 7.* Quare Apost. scripserit *παντὶ ἀνθρώπῳ*, scite explicuit Chrysostomus (consentiente Theophyl.) *ἵνα μὴ νομίσῃς κατ' ἔχθραν ταῦτα λέγεσθαι, οὐχ' ὑμῖν λέγω μόνον, ἀλλὰ καὶ παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ.* Formula Paulo familiaris *ὀφειλέτην εἶναι* (quod substant. profanis quoque haud incognitum, *Soph. Aiax flagell. v. 590.*) pro simplici *ὀφείλειν* emphasin quandam habet, *Romm. 1, 14. 8, 12. 15, 27.* Ipso ritu circumcisionis, qnae signo inservit foederis Deum inter atque Hebraeos sanciti, obstringitur homo observandis omnibus quae lege Mos. sunt praescripta (prorsus fit Judaeus) *Actt. 15, 5.* Michaelis *Mosaisches Recht T. IV. §. 184.* Accedit (quod Chrysost. ad h. l. bene observat) nexus praeceptorum interior. Circumcisio v. c. coniuncta fuit immolationi pecudum; immolatio secum ferebat locorum dierumque observationem; locus sollennis purgationes varias efflagitabat lege sancita. Quod in nonnullis codd. et apud patres quosdam legitur (et in vers. Peschito exprim.) *νόμον πληρῶσαι*, interpretamente inservit ex aliis locis (v. c. *Matth. 5, 17.*) depromto formulae *νόμον ποιῆσαι*, *legem observare Jo. ev. 7, 19. Apocal. 22, 14.* hebr. עָשָׂה sq. accusat. *Levit. 20, 22. Deuter. 15, 5.* (quemadmodum supra III, 10. 12. *ποιεῖν τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου*). Quicunque homo Christianus circumcisionem sublerit, ab hoc inde tempore ad eos pertinet, qui salutem suam non amplius ex fide Christo habita, immo ex operibus legis pendere existimant. De his autem valet, quod supra III, 10. dictum fuerat. Sic efficitur, eiusmodi hominem nihil iuvare, quod Christum profitentur (v. 2.). Immo, si hoc feceritis, a Christo estis seiuncti v. 4. *Κατηργήθητε* etc. Quo sensu passivum verbi *καταργεῖν*: aliquid irritum reddere, efficacitate sua privare, abolere (vd. ad *II. Thess. 2, 8. Gal. 3, 17.* obs.) h. l. cum praepositione *ἀπό*, quae verba liberandi solvendi separandi excipere solet, et genitivo coniungatur, diversimode olim explicuerunt, v. c. Hieronymus: in opere Christi nihil profecistis (cessavistis in eo),

vers. Vulg. et Ambros. evacuati estis a Christo, bonorum gratiae Christi iacturam fecistis. Verissime Peschito Oecumenius (qui habet: *ἀπεκόπητε, ἀπεπέσετε ἀπ' αὐτοῦ*) plerique *nostrorum* interpretum: defecistis a Christo, proprie: finem experti estis vestrae cum Christo coniunctionis, *Romn. 7, 2. 6.* Auctoritate codd. *Vatic. Ephr. rescr. Clarom.* ex manu pr. *Aug. Boerner.* et Theophyl. delevimus cum Lachmanno articulum *τοῦ* ante *Χριστοῦ* vulgo additum. Elocutio Paulina omittere solet articulum ante *Χριστὸς*, iis quidem locis, ubi neque propter articulum substantivo praecedenti genitivum *Χριστοῦ* regenti praefixum addi debebat, nec eam vim habebat, ut vel ad nomen antecedens vel ad pronomen sequens respiceret, vd. Gersdorf *Beiträge zur Sprach-Characteristik der Schriftsteller des N. T. Vol. I. p. 273. sqq.*: *Soluti estis (s. defecistis) a Christo vos, qui per legem* Mosaicam (*ἐν νόμῳ* pro *διὰ νόμου*, nisi malueris subintelligere *ὄντες*: tanquam homines legi addicti) *Deo probati reddimini* ex vestra opinione; cfr. ad II, 16. observ. Sententia additur cuius gravitatem ipsa brevitas anget copula amittenda: *gratia excidistis*, non estis *ὑπὸ χάριν Romn. 6, 14.* non amplius participes estis illius gratiae Dei liberae per Christum patefactae, quae homines, ratione nulla habita operum legis, per fidem veram Christo habitam sibi probatos reddit atque declarat. Oppositum *νόμῳ* minime nos movet, ut *χάρις* h. l. cum Borgero de religione Christiana interpretemur, quanquam interdum metonymice de hoc dono gratiae div. dic. *I. Corr. 1, 4. I. Petri 4, 10.* Ipsa enim Dei gratia tanquam causa efficiens salutis, quae hominibus Christo vere addictis contingit, recte opponebatur *νόμῳ*, quatenus, qui sunt *ὑπὸ νόμον*, *ἔργα νόμου* causam habent (opinariam) illius salutis, cfr. supra II, 21. *Romn. 3, 24. Ephh. 2, 8.* *Ἐκπίπτειν* similiter de iis, qui statu suo deiiciuntur, iacturam boni cuiusdam vel sperati vel praesentis faciunt, *II. Petri 3, 17. Sirac. 34, 7. Liban. T. IV. p. 225.* ed. Reisk. *Plato de republ. l. 6. c. 9. p. 271.* ed. Ast. Quae modo dixerat probaturus enuntiat Apostolus conditionem veram, ex qua pendeat salus Christianis speranda v. 5. *Ἡμεῖς γὰρ* etc. Vb. duplici modo compositum *ἀπεκ-*

δέχεσθαι Romm. 8, 19. 23. 25. I. Corr. 1, 7. al. (nec profanis omnino incognitum, quanquam rarius) plus involvit quam simpl. *ἐκδέχεσθαι*: ad finem usque, patienter exspectare. Sententia, quod rem primariam attinet, haud mutatur, sive Apostolum post *ἐλπίδα δικαιοσύνης* aliud verbum (v. c. *ἔχομεν*) in mente habentem pleonastice scripsisse censeamus *ἀπεκδεχόμεθα*: habemus exspectationem constantem, nos perventuros ad conditionem hominum Deo probatorum C. II. v. 21. (quemadmodum *II. Corr. 8, 24. τὴν οὖν ἔνδειξιν ἐνδείξασθε*, cfr. Raphel. *annotatt. ex Polyb.* ad h. l.), sive, quod Luther Rambach Wolf Morus praeiverunt, *ἐλπίδα δικαιοσ.* accipiamus pro *δικαιοσύνην, ἣν ἐλπίζομεν*: exspectamus conditionem hominum Deo probatt. nobis speratam s. sperandam, cuius spem nobis fecit promissio divina. Utrumque simplicius putaverim, quam quod inter vett. Theodor. ex nostris Grotius Koppe Borger Paulus maluerunt: exspect. felicitatem speratam (quo sensu metonym. *ἐλπὶς Col. 1, 5.*) quae continget olim hominibus Deo probatis. [Novam interpret. tentavit nuper Matthies ad h. l.: ex fide *accipimus* s. *amplectimur, vindicamus nobis* spem conditionis, qua Deo probemur. Concedimus, vb. *ἀπεκδέχεσθαι* secundum etymon utique sic intelligi posse, nec parum commendari hanc rationem facilitate et simplicitate. Exempla, quae hanc verbi potestatem sermoni N. F. vindicent, desideramus, nisi forte huc referre volueris *Hebrr. 9, 28.*] Quaeri possit, qua de causa Apostolus de impetranda hac conditione tanquam de re futura loquutus fuerit? Nonne homines Christo vere addicti iam nunc versantur in *δικαιοσύνῃ*? Teneamus vero *a)* praecipuam vim huius *δικαιοσύνης* ad felicitatem spectare, cuius olim tanquam Deo probati participes simus futuri in regno divino, *b)* Apostolum id egisse, ut modestiam hominis vere Christiani verbo *ἀπεκδεχόμεθα* opponeret arrogantiae illorum de quibus v. 4. dixisset *ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε*, h. s. *vos* quidem iam veluti iure quodam ex opinione vestra possidetis *τὴν δικαιοσύνην*, *nos* modestius speramus, quod ex libera Dei gratia proficiscitur, fiducia quidem constantissima. Quo sensu homines Christiani *διὰ πίστεως* s. *ἐκ πίστεως* dicantur *δικαιοῦσθαι* ad

II, 16. vidd. *Πνεύματι* (quod interpres Syrus minus perspicue verbis *ἐκ πίστεως* connectit: per spiritum qui ex fide est), in hac enuntiatione aliquid homini Christiano proprium praedicatura, non posse simpliciter animum significare humanum, res ipsa docet, quum exspectatio quaevis in animo vim suam habeat. Praeeunte totius orationis serie vel cum Rosenmüllero Moro Winero Paulo (vertente: durch Geistigkeit) conditionem animi humani perfectiorem qualis est in homine vere Christiano ex Spiritu div. profectam intelligimus (vd. supra III, 3.), oppositam *σαρκὶ*, indoli parum probandae eorum, qui salutem suam in rebus externis (circumcisione) positam existimant; *vel* cum Koppio Flattio Matthiesio aliisque Spiritum Dei, quatenus pietatem veram et fiduciam in homine efficit Christiano, vd. supra IV, 6. *Rom. 8, 15. 16.* *Dativus* h. l. ex usu loq. aeque potest *normae* signif. inservire (secundum), ut *II. Petri 1, 21. θελήματι ἀνθρώπου*, atque *praesidio*, iuvante *πνεύματι*, *II. Corr. 1, 15.* Qui nostrum *πνεύματι* de verbo divino s. evangelio interpretantur (v. c. Wolf et Rambach ad h. l.), habent quidem, quod in subsidium vocent effatum *II. Corr. 3, 6.*, sed loco laud. manifesta est oppositio *γράμματος* et *πνεύματος*. Sententia: *nos enim pro indole mentis emendata per Spiritum div. effecta* (sive: *iuvante Spiritu div.*) *ex fide Christo habita spem certam fovemus conditionis impetrandae, qua Deo appareamus probati.* Vbb. *ἐκ πίστεως* sponte adducunt enuntiationem v. 6. qua *πίστις* Christiana, verum salutis praesidium, amplius describitur, et circumcisioni ad salutem nihil iuvanti opponitur: *Ἐν γὰρ Χριστῷ* etc. Haud adversatur quidem usus dicendi Koppio Flattio aliisque intt. qui *ἐν Χρ.* idem esse volunt quod *παρὰ Χρ. ex iudicio Christi, I. Corr. 2, 6. 14, 11.* Neque negaverim (quod Rosenmüller Morus al. praeferunt) *Χριστὸν* dici potuisse pro religione Christi. Malim tamen, quum *ἐν Χρ.* oppositum videatur illi *κατηργῆσθαι ἀπὸ Χρ.* (v. 4.), cum Winero et Paulo breviloquentiam agnoscere hoc modo supplendam: si quis fuerit *ἐν Χριστῷ*, s. quod attinet eos qui Christo sunt addicti in coetu eorum. Cfr. loca simill. III, 28. *Col. 3, 11. I. Corr. 7, 19.*

Etenim penes Christum neque circumcisio quidquam valet (*ἰσχύει*, vd. *Matth. 5, 13. Jac. ep. 5, 16.*) *neque praeputium* (ad eiusmodi salutem, qualem coniunctio cum Christo efficit, consequendam nullam omnino vim habet conditio externa vel circumcisi vel non circumcisi; de vocc. *περιτομὴ* et *ἀκροβ.* haud raro ad concreta translatis vd. II, 7.) *sed fides quae efficax fit* (*ἐνεργουμένη*, vd. ad *I. Thess. 2, 13.*) *per amorem*, ita ut amorem verum tota vita sese exserentem erga Deum hominesque gignat, *I. Thess. 1, 3. I. Tim. 1, 5.*

Graviter porro invehitur Paulus in doctores vanos, quorum mala persuadendi sollertia fiat, ut Galatae, qui adhuc libertatem evangelicam probe tenuerint, iam deflectant a tramite recto. Simul spem profitetur laetam, Galatas ad bonam frugem redituros esse.

V. 7—12. *Ἐτρέχετε καλῶς· τὶς ὑμᾶς ἐνέκοψεν τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι;* (v. 8.) *Ἡ πεισμονὴ οὐκ ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς.* (v. 9.) *Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.* (v. 10.) *Ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς ἐν κυρίῳ, ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε· ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρίμα, ὅστις ἐὰν ᾖ.* (v. 11.) *Ἐγὼ δὲ, ἀδελφοί, εἰ περιτομὴν (ἔτι) κηρύσσω, τὶ ἔτι διώκομαι; ἄρα κατήργηται τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ.* (v. 12.) *Ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς.*

V. 7. Sentiendi et agendi ratio vere Christiana, quae ad salutem ducit per Christum paratam, tropice dic. cursus ad metam, qui recta peragitur via. Cfr. ad II, 2. obs. *Cursum bene tenuistis.* Quemadmodum Paulus supra I, 6. 7. professus fuerat: mirari debeam, vos tam cito ad aliud desciscere evangelium, nisi nonnulli sint vos perturbantes etc., ita etiam hoc loco, praedicata conditione quam Galatae tenuerant laudabili, mirabundus interrogat: *τὶς ὑμᾶς* etc. *Ἀλήθεια* i. q. *ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου* II, 5. 14. *Ἀνακόπτειν* (sic *vulgo* legeb. *τὶς ὑμᾶς ἀνέκοψεν* etc.) pr. *retundere, repellere Hom. Od. 21, v. 47. Plutarch. vita Num. c. 9.* ad notionem *inhibendi, retardandi* transiit, *Theophr. char. c. 25.* (ubi de gubernatore cursum navigii inhibente) *Sapient. 18, 23. Ὀργὴν ἀνακόπτειν.* Sententia, quod caput rei attinet, eadem prodit,

si lectionem probaveris ἐνέκοψεν in codd. multis (in quibus sunt *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Clarem. Sangerman. Aug. Boerner.*), apud Chrysost. Damasc. Theophyl. Oecumenium in textu quidem ἀνέκ. in commentario ἐνέκ. habentem expressam (errori debetur, quod comment. Wineri lectionem ἀνέκ. in libris antiquissimis exstare perhibet), probatam Grotio Millio Bengelio Koppio Griesbachio Matthaeio Knappio Lachmanno: *Quis igitur vos impedivit* (de qua potestate vb. ἐγκόπτειν ad *I. Thess. 2, 18.* vid.), *quo minus veritati porro obsequeremini?* Concedimus, vulgatum ἀνέκοψεν et verbum esse rarius (in libris N. F. praeterea nunquam obvium, saepius occurrente altero ἐγκόπτειν) et egregie accommodatum imaginì a cursu depromtae. Sed aeque patet, quam facilis fuerit in codd. litterarum α et ε permutatio. Proinde consultissimum putavimus, in ea acquiescere scriptura, cui potior faveat auctoritas testium. Vocula μὴ quanquam in hac verbb. coniunctione abesse poterat, quod sensum attinet, haud raro tamen post verba *impediendi* ponebatur, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 487.* Ceterum membrum quoque posterius aliquam exhibet lect. diversitatem. Post πείθεσθαι in codd. latinis ab Hieron. usurpatis, in cod. *Aug.* itemque apud *Ambros.* in comment. et alios quosdam latt. vbb. addunt μηδενὶ πείθεσθε (in cod. *Boerner.* μηδενὶ πείθεσθαι): *nolite cuiquam*, qui talia suaserit, *obsequi.* Apud Chrysost. ad h. l. totum illud τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι omittitur. Codd. *Alex.* et *Vat.* legunt ἀληθείᾳ sine articulo. Prodierunt inde coniecturae Semleri et Koppii, quorum alter τῇ ἀληθείᾳ spurium iudicat, alter lectionem veram hanc fuisse existimat: τὶς ὑμᾶς ἐνέκοψε; μηδενὶ (sive μὴ) πείθεσθε. Verum enimvero illius lectt. diversitatis origo satis probabiliter intelligitur salva scriptura vulgari, quae potiorem habet testium auctoritatem; siquidem omissio articuli ante ἀληθείᾳ (quem Paulus non omittit, ubi ἀλήθεια per se positum de veritate Christiana, evangelio, dicitur) calamo festinanti facile accidit, additamentum vero μηδενὶ πείθεσθε glossematis speciem habet, nexum declarantis, quo interrogatio Pauli τὶς ὑμᾶς etc. admonitioni sequenti ἡ πεισμονὴ etc. cohaereat. Verissime in-

tellexit Borger in animadverss. critt. ad h. l. authentiam verborum τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι ipso glossemate comprobari, quod vulgo C. III. v. 1. post ἐβάσκανε addebatur τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, haud dubie ex nostro l. oriundo, quem locum satis mature illi III, 1. fuisse collatum, insuper docet lectio ἐβάσκανε h. l. in nonnullis codd. pro ἐνέκοψεν expressa. Quaestioni ab ipso Paulo excitatae respondet graviter adfirmando, quicunque tandem fuerit, qui Galatis persuadeat, ut deflectant a tramite recto, eum repugnare voluntati Domini v. 8. Ἡ πεισμονὴ etc. A verbo πείθεσθαι v. 7. obsequium veritati divinae praestandum significante transit Apostolus paronomasiam diligens ad substantivum πεισμονή, de cuius significatione vera intt. fluctuant, vel sensu passivo accipientes: *obsequium*, quod illis praestatis, s. *assentiendi facilitas*, credulitas, s. *fiducia* vestra in illis posita, πεῖσμα, s. *tenacitas* opinionis semel captae (cfr. Oecumen. Schleusner in *Lex. sub h. v.* Morus Winer Matthies al.), vel activo: persuadendi sollertia, sollicitatio (Koppe Borger Flatt Paulus); quod posterius maxime commendatur locis *Eustathii*, unius scriptoris, qui voc. πεισμονὴ habet *schol. in Homeri Il. l. 9. p. 637. l. 1. p. 21. p. 99. Odyss. l. 22. p. 785. Illa persuadendi sollertia*, qua doctores vani utuntur, cursum vestrum ἐγκόπτοντες, *non ab eo profecta est, qui vos vocat*, mere est humana, prorsus aliena a mente et voluntate Dei vos invitantis ad regnum divinum I, 6. Diffiteri non possum, suspectam videri totius commatis authentiam. Etenim, praeterquam quod sub finem v. 7. in codd. quibusdam adiecta vidimus vbb. μηδενὶ πείθεσθε, totus v. 8. in vers. Aethiop. deest, post πεισμονὴ in verss. *Peschito* et *Arab.* ed. Erp. itemque apud Hieron. et Ambros. additur ὑμῶν, voc. οὐκ et in nonnullis codd. graecis (in quibus *Clarem.* ex manu prima) et in codd. latinis apud Hieron. et Sedul commemoratis omittitur, denique pro τοῦ leg. θεοῦ in iisdem codd. lat. consentientibus Ambros. et Augustino. Suspicionem praeterea movet forma insolita πεισμονὴ, ad graecitatem seriorem pertinens, neque in libris N. F. nec apud alios aevi Christiani scriptores obvia. His vestigiis praeeuntibus haud temere con-

iicere mihi videor, versui 7. mature hanc glossam fuisse adscriptam collato C. I. v. 6.: ἡ δὲ πεισμονὴ ὑμῶν ἐκ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς, hoc sensu: *persuasio vestra* (cui vos constanter obsequi oporteat) *Deum habet auctorem*, ne patiamini eam per homines labefactari. Quo facto, quum additamentum margini olim adscriptum in orationem Pauli contextam irrepseret, accidere facile potuit, ut eiusmodi librarii atque interpretes, qui πεισμονὴ de persuadendi sollertia vanorum doctorum potius quam de persuasione Galatarum interpretarentur, pronomen ὑμῶν delerent, voculam οὐκ insererent, quo sententiam lucrarentur et verbis et consilio Pauli accommodatam. Denique pron. τοῦ hic illic cesserat substantivo adscripto θεοῦ, quo subiectum τοῦ καλοῦντος explicaretur. Abesse potest v. 8. salva orationis serie. Conqueritur Apostolus de efficacitate vanorum doctorum, quae haud exiguum adferat damnum, etsi fuerint pauci qui Galatas seducere studeant v. 9. Μικρὰ ζύμη etc. *Paululum fermenti totam fermentat massam.* Φύραμα dic. massa, quae subigendo miscetur, depsitur, h. l. farinacea, ad panem s. placentam parandam adhibita, *Roman. 11, 16. I. Corr. 5, 6. 7.* (ubi idem proverbium), Casaubonus ad *Athen. l. 3. c. 29.* De vb. ζυμοῦν, acidum reddere, praesertim fermento admiscendo, cfr. *Matth. 13, 33. LXX. Exod. 12, 34. 39. Theophr. causa plantt. 3, 28.* Quod pro ζυμοῖ in codd. *Claram.* ex manu pr. et *Sangerm.* legitur δολοῖ (δολοῦν l. q. dolose decipere, capere, *Aesch. Agam. v. 1628.* etiam: corrumpere, *Ael. hist. anim. 16, 1. Aristoph. Plutus v. 435. II. Corr. 4, 2.*) probaverunt Millius in *prolegomen. in N. T. §. 298.* et Valckenarius in l. *selecta ex scholis Valckenarii ed. Wassenbergh T. II. p. 178.* alterum ζυμοῖ glossema habentes ex I. Corr. 5, 6. profectum. ubi vulgo quidem leg. ζυμοῖ, quanquam nec h. l. desunt libri, qui δολοῖ suppeditent. Sed nihil mutandum. Locutio proverbialis, quam Paulus et h. l. et *I. Corr. 5, 6.* protulit, ut lectores eam ad rem praesentem transferrent, utique sic se habuit: paululum fermenti ingentem massam *fermentat* (non dici poterat in proverbio: corrumpit, quomodo enim vis corrumpendi tribuatur fermento, quod consulto admiscetur farinae

ad perficiendum panem?) *Matth. 13, 33.* Schotti *adagia N. F. p. 108.* Declaraturi consilium Apostoli *in hac orationis serie* eiusmodi rem, quae aliam depravet, cum fermento comparandi (ita quidem ut tertium comparationis tantummodo in efficacitate universe spectata versetur, quam res numero aut quantitate exigua in totam alius rei naturam et indolem exserat) mature adscripserunt glossema *δολοῖ*, quemadmodum codd. latini apud Hieron. commemorati, versio *Vulg.* Ambros. Pelag. graecum *ζυμοῖ* liberius verterunt (interpretaturi): *corrumpit.* De notione ipsa tropice indicata disputatur, utrum Ap. sub. *ζύμῃ μικρᾷ* placita ipsa perversa (cfr. *Matth. 16, 6.*) vel illorum circumcisionis defensorum, vel cuiusque generis, sub *φυράματι* doctrinam religionis intelligat: placita falsa, quanquam pauca, vim tamen (noxiam) potentissime exserunt in totam Christi doctrinam (cfr. Chrysost. Theophyl. Oecum. Calvinus Semler Morus Flatt Matthies al.), an *ζύμῃ* imagini inserviat doctorum vanorum, quemadmodum *I. Corr. 5, 6.* de exemplo malo unius hominis alios corrumpente dicitur, *φύραμα* coetum innuat Galatarum (s. universe Christianum): doctores vani, pauci quidem, efficere possunt, ut totus coetus ad errores et vitia delabatur (Erasmus Grotius Borger Winer Paulus)? Prius quidem defenditur eo, quod Apostolus v. 3. monuerat, hominem, qui circumcisionem (placitum s. ritum *ἐστιν*) amplexus fuerit, eo ipso omnibus lege praeceptis obstringi. Attamen circumcisioni tot alia legis eorum. statuta nexu cohaerent necessario, ut praedicatum *μικρὰ* vocabulo *ζύμῃ* sic intellecto minus apte conveniat. Quae v. 7. et 10. obveniunt, magis addicunt iis, qui Apostolum de doctoribus ipsis cogitasse existimant, quos numero paucos videri, etsi haud parum valeant ad Galatas perturbandos, profitetur Apost. I, 7. III, 1. Nolebat tamen de Galatis suis omnino desperare, v. 10. *Ἐγὼ πέποιθα* etc. Particulam *δὲ*, quae in paucis tantum codd. (*Epist.* rescr. ex manu pr. *Aug. Boerner.*) vers. *Syr. Philox.* et *Armen.* apud Damasc. et Oecum. ante *πέποιθα* additur, recepit Lachmann, quanquam dubitanter, semicirculis inclusam. In elocutione Paulina pronomen *ἐγὼ*, quoties ab initio enuntiationis

ponitur, utique comitem habet particulam, plerumque δέ. Nec mirum potest videri, quod plures librariorum et intt. vett. orationem Paulinam hoc additamento supplendam putaverint. Attendamus vero necesse est ad membrum posterius huic ἐγὼ πέποιθα oppositum: ὁ δὲ ταράσσων etc. hoc sensu: *ego* non habeo, quod desperem de fructu institutionis meae, confido de vobis etc., *iste vero*, qui vos perturbaverit, habet quod desperet de eventu conaminis sui, immo poenam luet. Hanc oppositionem secum tulisse, ut post ἐγὼ non δέ sed μέν adderetur, verissime intellexit Rückert ad h. l. Proinde initium commatis nostri abruptius: ἐγὼ πέποιθα ex illo dicendi genere minus accurato intelligendum, quo μέν, sequente δέ, reticetur. Cfr. Vigerus *de idiot. dict. gr. ed.* Herm. *1802. Vol. II. p. 536.* De constructione verbb. idem valet, quod ad locum simill. *II. Thess. 3, 4.* observv. Duplici modo etiam haec intelligi possunt, vel: *equidem confido Domino* (Deo sive Christo) *de vobis*, i. e. *quod vos attinet*, vel, quod ordine vbb. graecorum magis commendatur: *confido de vobis iuvante Domino* (sive: *tanquam Domino addictus*), *vos non aliud* (non aliter) *esse sensuros.* Satis cognita potestas vb. φρονεῖν: statuere, iudicare, *Actt. 28, 22. Philipp. 3, 15. Xenoph. Cyrop. IV, 6, 3.* Vbb. οὐδὲν ἄλλο haud incommode quidem Borger ad sententiam modo enuntiatam: μικρὰ ζύμη etc. referri voluit. Accommodatius videtur consilio totius epistolae, ut Apostolum spem laetam profiteri dicamus, Galatas, si hanc epistolam legerint et recte perpenderint, veritatem eorum, quae Paulus supra v. 3—6. docuerat, s. omnino (quod plerique intt. praeferunt) veritatem totius doctrinae in hac epistola commendatae intellecturos esse. Paulo mitius eloquitur, quod in mente habebat: confido fore ut resipiscatis. Poenam contra denuntiat iis certo instantem, qui Galatas seduxerint: ὁ δὲ ταράσσων etc. *verum, qui vos perturbat* (vd. I, 7.) *poenam luet, quicunque fuerit.* Κρίμα, sententia iudicis de aliquo lata, praesertim condemnatoria, metonymice ad ipsam transfertur poenam iudicio decretam, v. c. in formula saepius obvia κρίμα λαμβάνεσθαι *Matth. 23, 14. Romm. 13, 2. Jacobi 3, 1.* hebr. נְשָׂא מִשְׁפָּט *Michae 7, 9.* sive נְשָׂא עָוֹן *Numerr. 5, 31.*

Ezech. **23, 35.** cui nostrum βασταζειν κρίμα respondet ex usu satis cognito verbi βαστάζειν de re molesta sive mala, quam quis sustineat, perferat, *Matth.* **20, 12.** *Luc.* **14, 27.** *al.* Exclusionem vanorum doctorum ex coetu Galatarum mox futuram, si Galatae resipuerint, sub hac intelligi poena, nolim Borgero concedere, quum illa, quam diximus, formula nostram illustrans κρίμα λαμβάνεσθαι de poena potius adhibeatur *divina*. Neque iis adsentimur, qui, numerum singularem ὁ ταράσσων prementes, vel unum hominem fuisse colligunt, qui errores Judaismi inter Galatas spargeret (adversante v. 12. huius cap. et I, 7. IV, 17.), vel eum, qui princeps horum Pseudapostolorum fuerit, h. l. pro omnibus commemorari. Immo notio universa doctorum, qui Galatas perturbent, tanquam individuum cogitatur, quatenus haec Galatarum singulorum sollicitatio iterata vice per singulos, modo hunc modo illum, fiebat, quemadmodum *II. Corr.* **11, 4.** ὁ ἐρχόμενος dic. cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p.* **98.** Verba ὅστις ἂν ᾖ utrum ad auctoritatem eximiam respiciant, qua nonnulli horum doctorum inter suos floruerint (quod Theodoreto recentius Koppio Flattio Rückerto placuit), an rectius simpliciter intelligantur: quaecunque tandem fuerit externa eius conditio, non ausim accuratius constituere. Perversis horum doctorum studiis opponit Apost. suam in profitenda libertate evangelica constantiam. Notare videtur (quod dudum intt. vett. Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Hieron. recte, opinor, observarunt) calumniam eorum, qui Paulum in aliis coetibus Christt. circumcisionem et permittere et commendare contenderunt, provocantes ad Timotheum auctoritate Pauli circumcisum *Actt.* **16, 3.** (cuius accommodationis quae causa fuerit idonea, supra ad II, 5. diximus). V. 11. Ἐγὼ δέ etc. *Ego vero, si (adhuc*, Christo addictus) *circumcisionem praedico*, utilem vel necessariam esse palam doceo (sic βάπτισμα κηρύσσειν *Marc.* **1, 4.**) *quare adhuc vexor.* Cfr. I, 10. Indicativum adhibet praes. εἰ κηρύσσω, *adversarios* de ipso sic statuentes et loquentes cogitans. Alioquin scripsisset: si circumcisionem adhuc praedicarem etc. Quod vulgo ante κηρύσσω legitur ἔτι, dubitationem movet, de quonam vitae tempore Paulus h. l.

cogitare potuerit? Commendavitne περιτομὴν temporibus primis post conversionem? Vestigia desunt. Immo quae C. XV. *Actt.* obveniunt, facile nobis persuadent, Paulum, ex quo tempore Christo nomen dedisset, nunquam circumcisionem iniungi voluisse hominibus ad Christum conversis. Cogitavit haud dubie, si vere scripsit ἔτι, de iis quae olim fecerat, quum Judaeus esset Pharisaeis addictus. Quamquam enim ille tempore inter Judaeos homines a pueris inde circumcisos vivens, opportunitatem nullam habuerat circumcisionem *eo sensu praedicandi* qui *h. l.* proprie intelligitur (i. e. homines ethnicos atque ethnico-christianos ut circumciderentur impellendi), universe tamen eandem agnoverat atque professus fuerat circumcisionis dignitatem et necessitatem, quam omnes Mosaismo addicti profitebantur. Sed dubiam reddit originem vocabae ἔτι Paulinam, quod in pluribus codd. (praesertim *Claromm.* ex manu pr. *Aug. Boerner.*) in versu. *Armen.* et *Aeth.* in nonnullis codd. vers. *Vulg.* apud Hieron. et Ambros. desideratur, omninoque speciem habet vel glossematis antiqui, vel correctionis eorum, qui verba εἰ περιτομὴν κηρύσσω hac voce addita accuratius respondere putabant sequentibus τί ἔτι διώκομαι; Non subiisset Paulus acerbum illud, quod vere expertus est, odium Judaeorum, nisi in eo maxime offendissent, quod abrogationem legis Mosaicae per Christum factam studiosissime urgeret. Hanc enim persuasionem sanctam ubique profitebatur, legem Mos. sublatam esse per mortem cruentam Christi, condemnationem peccatorum divinam hominibus sub conditione certa paratam confirmantem et sancientem, veluti sacrificium expiatorium quo alia quaevis sacrificia tollerentur, III, 13. *Ephes.* 2, 14. *sqq. Coloss.* 2, 14. *sq.* Patet inde, quo sensu haec addiderit: ἄρα κατήργηται etc. ubi concludendi particula ἄρα indicat, quid sequeretur, si Paulus praeconium evangelii cum praeconio circumcisionis coniungeret: *abolita* (de καταργ. ad v. 4. vid.) *quippe esset offensio crucis.* Σκάνδαλον, offendiculum (vocabulum graecitatis LXX. intt. et N. F., apud profanos haud obveniens qui interdum *σκανδάληθρον* habent), tropice: quodcunque sollicitat ad sinistre iudicandum, errandum, peccandum, *Matth.* 16, 23. *Romm.* 16, 17. *al.* h. l. genitivis

τοῦ σταυροῦ accuratius, quale sit, definitur, *offensio quae versatur in morte Christi, quam praedicamus*, in doctrina de Christo cruci adfixo (quo s. σταυρὸς *I. Corr. 1, 17. sq. Gal. 6, 12. 14. Philipp. 3, 18.*) sive: *oriunda ex hac doctrina*, siquidem Judaei id maxime adversabantur, quod Apostolus per Jesum Nazarenum, *hominem crucis supplicio ignominioso interfectum, legem* Mos. *abrogatam* esse profitebatur. Cfr. *I. Corr. 1, 23.* Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον etc. Si Paulus etiamnum fuisset circumcisionis defensor, neque abrogationem totius legis Mos. Judaeorum placitis prorsus contrariam docere potuisset, nec morti Jesu Christi eiusmodi vim tribuere eximiam, qualem Apostoli huic supplicio recte tribuebant. Quam parum vero hanc offensam Judaeis praebendam curaverit, ipsae testabantur calumniae, iniuriae, vexationes, quas inter Judaeos patiebatur. Sententia prodit argumentationi huius l. minus accommodata, si calculum addideris interpretationi Moro aliisque probatae: sublata quippe esset (si circumcisionis patrocinium susciperem) offensio, quam (hominibus parum recte iudicantibus) calamitates obiiciunt quas evangelii causa sustinemus. Neque σταυρὸς *sic nude* positum, in hac quidem serie orationis, de malis dici poterat ad exemplum Christi in crucem acti toleratis. Alia omnino apparet orationis series *Marc. 8, 34. 10, 21. Matth. 10, 38. al.* Ceterum, si post σταυροῦ signum interrogationis posueris cum Knappio et Vatero, praeeunte *Peschito*, haec interrogatio sic intelligenda: nonne igitur sublata est (εἰ περιτομὴν κηρύσσω) offensio doctrinae de Jesu in crucem acto? Sed enuntiatio, quae rem simpliciter asserit (sub conditione τοῦ κηρύσσειν περιτομήν), magis accommodata videtur enuntiationi similiter asserenti, cuius rationi reddendae haec inservit: εἰ περιτομήν etc. Redit Apostolus ad illos doctores vanos v. 12. Ὄφελον καὶ etc. Ὄφελον s. ὤφελον (profanis haud incognitum): *utinam*, adhibetur, ut verbis Hermanni utamur, ubi quis optat, ut fuerit aliquid, vel sit, vel futurum sit, quod non fuit, aut est, aut futurum est, vd. Vigerus *de idiot. dict. gr. ed.* Herm. *1802. Vol. I. p. 274. sq. Vol. II. advol.* Herm. *p. 741. sq.* Cum indicativo similiter struitur *I. Corr.*

4, 8. II. Corr. 11, 1. Qui v. 10. et I, 7. *ταράσσοντες*; iidem h. l. dicuntur *ἀναστατοῦντες*, adiuncta cogitatione dissidii ex illa animorum perturbatione a doctoribus vanis profecta oriundi: aliis quidem persuadendi sollertiae malae cedentibus, aliis contradicentibus. Verbum quippe bonis Graeciae auctoribus haud usitatum *ἀναστατοῦν* idem involvit quod formula apud profanos obvia *ἀνάστατον ποιεῖν*, pr. efficere, ut aliquis surgere, sedem s. domicilium mutare debeat, v. c. populum ex sedibus suis depellere, cfr. verss. *Aquilae* et *Symmachi* ad *Ps. 59, 12. II. Regg. 18, 34. al.* In N. F. de iis adhibetur, qui turbam et seditionem in civitate movent *Actt. 17, 6. 21, 38.* Uterque locus suadet, ut etiam h. l. vertatur: *sollicitantes*, dissidia inter vos excitantes. Sententia quidem haud incommoda evadit, si malueris cum Ambros. (vertente: qui vos subvertunt), Baumgartenio Wolfio Kypkio interpretari: qui vos deiiciunt s. deiicere volunt ex conditione vere Christiana. Notionem evertendi s. subvertendi huic verbo tribui recte posse, partim ex iis patet, quae supra de propria eius signif. observata sunt, partim ex glossis *Hesychii* per *ἀνατρέπειν* interpretantis et *Harpocrationis* verbum *ἀνασκευάσασθαι* per *ἀναστατοῦν* explicantis, itemque ex scholiis *Eustathii* in *Homer. Il. l. 1. p. 60. in Od. l. 19. p. 689.*, partim ex usu formulae *ἀνάστατον γίγνεσθαι*, v. c. de urbibus quae diruuntur *Xenoph. memor. IV, 2, 29.* Ἀποκόπτεσθαι, abscindi, amputari *Marc. 9, 43. Jo. 18, 10. Ael. hist. anim. 8, 1.* h. l. obscuritatem quandam habet ex brevitate sermonis oriundam. Artificiosior apparet, quum plura cogitando addi iubeat, interpretatio Elsneri Wolfii Baumgarteñii: utinam quavis facultate et occasione placitis vanis ecclesiam vestram sollicitandi excidantur homines isti! Sententia frigidior nec vocula *καὶ (adeo)*, quae gravius dictum exspectari iubet, accommodata. Facilius licet cum Dresigio *de verbis medii N. T. I, c. 19. ed. Fisch.* Piscatore Beza Michaeli Zacharia Moro aliisque vertere: utinam isti a coetu vestro (s. omnino Christiano) se ipse abscindant, plane discedant, sive: utinam a coetu vestro abscindantur, prorsus excludantur! [Nihil quippe impedit, quo minus formae medii *ἀποκοψ.* significatio

passiva tribuatur, quum eiusmodi usus *futuri medii* non abhorreat a rationibus linguae graecae, cfr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 210*, et *comment.* ad h. l.] Similiter Luther Calvin Erasmus al.: utinam isti plane exstirpentur s. pereant! Utrique de hebr. cogitant כָּרַת, cuius forma Niphal pr. abscindi, succidi, etiam de iis dic. quae omnino ab aliis seiunguntur, *Jos. 4, 7.* quae violenter removentur *Zachar. 14, 2.* quae exstinguuntur *Genes. 9, 11.*, unde formula comminationis in Pentateucho frequenter obvia וְנִכְרְתָה הַנֶּפֶשׁ הַהִוא מֵעַמֶּיהָ, quam Gesenius: *hebr.-deutsches Handwörterbuch Vol. I. sub. h. v.* de supplicio doceat intelligendam esse. [LXX. quidem eiusmodi locis nunquam habent *ἀποκοπτ.* sed alias voces, praesertim *ξολοθρεύειν.*]. Verum enimvero, si vbb. hoc sensu acceperis: utinam excludantur s. secedant! iterum sententia apparet minus fortis ac vivida, quam exspectetur post voc. *καὶ*, nec satis apte positum *ὄφελον*, siquidem eiusmodi exclusio sive secessio minime existimari poterat res nunquam facile eventura (cfr. Hermanni observ. supra laud.). Sin vertere malueris: utinam pereant! poenam subeant atrocissimam! opponere licet, Apostolum, si hanc sententiam animo volveret, non *ἀποκόψονται*, sed aliam formulam usurpaturum fuisse, *I. Corr. 16, 22. 5, 5.* Maluerunt intt. antiqui, Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Ambros. Hieron. quorum partes Grotius Semler Cramer Wetstein Koppe Rosenmüller Rückert Matthies sequuntur, hoc *ἀποκ.* de *resectione genitalium* interpretari, ita ut Apostolus, alludens ad circumcisionem ab illis hominibus studiosissime commendatam hoc sibi voluisse existimetur: per me non modo circumcisionem subeant, sed etiam, si voluerint, se ipsi mutilent genitalibus resecandis! Hoc enim sensu *ἀποκεκομμένος* (hebr. כְּרוּת שָׁפְכָה) apud *LXX. Deuter. 23, 2.* de eo adhibetur, cui vena seminalis fuerit incisa, quae species fuit castrationis. Similiter *ἀποκόπτεσθαι Arr. dissertt. Epictt. 2, 20. Lucian. Eunuch. c. 8.* aliisque locis apud Wetsten. laudd. Non dubitamus, hanc interpret. ceteris omnibus praeferre, accommodatissimam quippe potestati (supra explic.) formulae *ὄφελον*, voculae augenti *καὶ*, nexui denique totius sermonis, defensores

circumcisionis omnibus iniungendae graviter notaturi. Ironia inest acerba (non imprecatio dira), ab ingenii Paulini vehementia haud aliena, id unum graviter asserens: istos non amplius curo, glorientur de circumcisione sua, immo, si voluerint, genitalia sua resecent, si modo vos errorem intellexeritis, non amplius illis indulgentes. Eadem acerbitate Apost. *Philipp. 3, 2.* *περιτομὴν* appell. *κατατομὴν*, concisionem. Qui hanc sententiam parum decoram putaverint, perpendant, velim, quod Apostolus *adfectu sacro* concitatus eo potissimum modo enuntiaverit, quem veluti sponte adduceret cogitatio circumcisionis, non posse hoc nomine taxari, etsi nostris auribus durum videatur. Neque est, quod cum Hieronymo verbis *ὄφελον ἀποκόψονται* hoc inesse putemus: optandum, ut illi eas perdant corporis partes, quibus peccare solent *(Matth. 18, 8. 9.)*. An huic maxime vitiorum generi dediti fuerint, ignoramus. Nec eiusmodi reprehensio in hac sermonis serie exspectabatur.

Sententiae, quam versui 12. inesse vidimus, quae proxime sequuntur, facile, opinor, hac cogitationum serie coniunguntur: isti, si voluerint, *ἀποκόψονται*, modo ne vos illorum exemplo et sermone perturbemini. Sic enim pessumdaretur conditio vestra vere Christiana. Vos per Christum vocati estis ad libertatem veram strenue obtinendam. Non dico eiusmodi libertatem, quae in libidinem abeat peccandi, sed quae lege Christiana amoris mutui circumscribatur. His dicendis cavere voluit Apostolus, partim ne lectores Christiani doctrina de libertate a lege Mosaica perperam intellecta abuterentur ad defendendam licentiam faciendi quicquid lubuerit, partim ne adversarii malevoli opportunitatem sumerent quae Paulus dixisset in sensum deteriorem detorquendi.

V. 13. 14. 15. *Ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, ἀδελφοί· μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ, ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις.* (v. 14.) *Ὁ γὰρ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πεπλήρωται, ἐν τῷ· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν.* (v. 15.) *Εἰ δὲ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε.*

V. 13. *Vos enim ea conditione, ut libertatem usurpa-*

retis, vocati estis ad regnum divinum, *fratres*. De quo usu praepos. ἐπὶ sq. dat. cfr. ad *I. Thess. 4, 7.* obs. Brevitatem gravitati iunctam habet oratio Pauli: μόνον suppl. βλέπετε s. φυλάττεσθε (cfr. supra II, 10.) μὴ τὴν ἐλευθερίαν etc. pro: μὴ τὴν ἐλευθ. ἔχητε s. τρέψητε εἰς ἀφορμὴν etc. cuius generis ellipses post μόνον μὴ profanis haud incognitae, *Arrian. dissertt. Epictt. 3, 24.* Raphel. *adnott. Polybb. p. 531.* Ἀφορμὴ ipr. locus, ex quo prodit aliquid s. prorumpit, itemque: exitus ipse s. invasio, tropice dicitur quodcunque vel occasionem praebet et incitamentum aliquid perficiendi *Demosth. oratt. p. 16.* ed. Reisk. *Romn. 7, 8.* (de opportunitate cupiditates malas excitandi) *I. Tim. 5, 14.* (de opportunitate maledicendi), vel materiae s. praesidio et adiumento rei perficiendae inservit *Demosth. or. adv. Lept. §. 55. p. 67.* ed. Wolf. *Polyb. 10, 33, 4.* Munthe *observv. ex Diod. Sic. p. 360. sq. II. Corr. 5, 12.* (de materia s. praesidio gloriandi). Natura inferior hominis carne et sanguine praediti (de σὰρξ vd. ad *Gal. 1, 16.*), quae hominem extrinsecus suaviter adficiant, sive licita sint sive illicita, appetens commemoratur h. l. tanquam fomes peccatorum, v. 16. sqq. *Romn. 7, 18. sqq. Modo*, ait, *cavete, ne libertatem convertatis in opportunitatem naturae inferiori inservientem*, ne libertatem illam praetextum faciatis peccatorum, quo cupiditates naturae inferioris nutriantur magisque invalescant. Cfr. *I. Petri 2, 16.* ὡς ἐλεύθεροι καὶ μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλ' ὡς δοῦλοι θεοῦ. *Immo servitium mutuum vobis praestate per amorem* Christianum. Ea ratio agendi, qua alter alteri prospicit, non tam quae sibi quam quae aliis grata sint et utilia curans (similis hac in re servo non tam suae quam domini voluntati satisfacienti), verbo indicatur δουλεύειν, *I. Corr. 9, 19.*, quo maiori perspicuitate licentiae effrenatae opponatur libertas limitibus circumsepta, quales amor homini scribit Christiano, veluti servitium honestissimum, quod per amorem (δι' ἀγάπης) efficitur, coniunctissimum voluntati firmae libertatem veram moralem usurpanti. Verissime intellexerunt intt. vett. Chrysost. Theophyl. Theod. respicere haec ad dissidia inter Galatas per doctores vanos excitata,

facillime oriretur. Quod rem ipsam attinet, mirum quantum extenuent vim et ambitum praecepti praestantissimi, qui sensum hac ratione circumscribunt: non tantum te ipse sed etiam alios dilige. Eiusmodi amor postulatur, quo saluti aliorum eadem certe diligentia, qua nostrae prospiciamus, probe memores, quemvis hominem nobis coniunctum esse vinculo fraterno. Minime hoc exigitur, ut homines *omnes*, ratione nulla habita necessitudinis, amicitiae, indolis animi et vitae, eadem caritate, qua quisque erga se ipse natura sit adfectus, eodem gradu diligantur. Nec verba Apostoli repugnant effato Christi apud *Matth. 22, 37. sqq.* adfirmantis, praeceptum de amore Dei ἐντολὴν esse πρώτην καὶ μεγάλην, praeceptum de diligendis aliis ἐντολὴν ὁμοίαν αὐτῇ. Posterius tantum ad indolem et consilium cohortationis Paulinae pertinuit. Huius praecepti ambitum totum Galatas serio perpendere voluit Apostolus, ita quidem, ut *nexum intimum* quem Christus ipse innueret l. l. (cfr. *I. Jo. 4, 7. 12. 20.*) huius praecepti cum illo ad Deum amandum spectante tanquam rem indubitatam poneret. Ceterum scriptura vulg. huius comm. non extra omnem dubitationem posita. Etenim ante vbb. ἐν ἑνὶ λόγῳ in codd. *Clarom.* ex manu pr. *Sangerm. Aug. Boerner.* vers. *It.* apud *Ambros.* additur: ἐν ὑμῖν. Testantibus Tertull. *adv. Marc. l. 5. c. 4.* et Epiph. Gnosticus Marcion lectionem habuit brev. ὁ γὰρ πᾶς νόμος ὑμῖν πεπλήρωται etc. Unde haud improbabiliter coniicere possis, veram lectionem fuisse hanc Marcionis: universae legi a vobis satisfactum est hoc praecepto observando, dilige etc. posthac vero ex comparatione loci *Romm. 13, 9.* (ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται) additamentum ἐν ἑνὶ λόγῳ accessisse, unde scriptura existeret composita: ἐν ὑμῖν (quod ἐν ὑμῖν forsitan ex loco similli *Romm.* 8, 4. duceretur) ἐν ἑνὶ λόγῳ. Verba ἐν τῷ ante ἀγαπ. desunt in codd. *Clarom.* ex manu prima *Aug. Boerner. verss. Armen. Slav. Vulg. It.* apud. Marcionem (teste Epiph.) Ambros. Hieron. Pelag. Quae omissio correctionem sapit eorum qui hoc ἐν τῷ propter vbb. ἐν ἑνὶ λόγῳ otiosum existimarent, praesertim quum legissent ἐν ὑμῖν ἐν ἑνὶ λόγῳ, in vocula ἐν ter posita offendentes. Docuerat Apostolus, eum, qui

totum se composuerit ad praeceptum de aliis diligendis, ita esse animatum, ut quovis modo voluntati divinae satisfaciat (talem obedientiam potiorem ducens ritibus Judaicis) et veram obtineat libertatem limitibus iustis circumscriptam. Contrarium addit, licentiam effrenatam ex nimio sui amore oriundam, quae aliorum salutem posthabeat eosque male tractet, non esse veram libertatem, immo hoc efficere, ut alter alterum perdat, v. 15. *Εἰ δὲ* etc. De iis, qui alios vel verbis vel factis aegritudine animi adficiunt, praesertim invidia aliquem persequuntur, tropice dic. *δάκνειν mordere Xenoph. Cyrop. IV, 3, 2. Liban. T. IV. p. 518. Arrian. diss. Epictt. II, 22.* Spanhem. ad *Aristoph. nubes v. 12.* Similiter, quod rem graviorem exprimit, *κατεσθίειν* (vertunt vulgo: *comedere*, malim h. l. *adedere*, quo accuratius differat a sq. *ἀναλίσκεσθαι*) i. q. iniuriam facere magnam, damnum parare, *II. Corr. 11, 20. Xenoph. Anab. IV. 8, 14. Plutarch. adv. Colot. c. 30.* (hebr. אָכַל *Ps. 27, 2.*). Utrique egregie respondet verbum gradationi oratoriae accommodatum *ἀναλίσκεσθαι* pr. prorsus consumi i. q. perdi s. ad incitas redigi, cfr. ad *II. Thess. 2, 8.* obs. Quo minus hoc de poena divinitus infligenda cum Grotio accipiamus, impedit *ὑπ' ἀλλήλων*. Argutius item, quod Koppe coniecit, cogitavisse Apostolum de Romanis, qui, attenti redditi ad Galatas rixantes, iis tandem insidiaturi essent, eosque male tractaturi. Propius ad veritatem accedit Flattii interpretatio: perpendite, rixas mutuas coetum vestrum Christ. magis magisque depravaturas esse, tandem dissoluturas. Simplicissima ratio haec est (cfr. Bengel Rosenmüller Winer Rückert ad h. l.), ut universe mala gravissima intelligamus et externa et interna quae ex eiusmodi dissidiis in coetu Christt. oriantur. Sententia totius commatis: *Contra, si vos invicem mordetis et adeditis* (quod vere iam fieri coepisse apud Galatas ipsa docet constructio voc. *εἰ* cum indicativo), *videte* (*βλέπειν* eodem sensu quo *ὁρᾶν* sibi ab aliqua re cavendi *Actt. 13, 40. Col. 2, 8. al.*) *ne mutuo consumamini*, perpendite, vos hac ratione vobis invicem perniciem allaturos.

Quod Apostolus v. 13. innuerat, libertatem hominis vere

Christiani in eo versari, ut principium vitae sequatur τῇ σαρκὶ oppositum (τὸ πνεῦμα), amplius explicatur.

V. 16. 17. 18. *Λέγω δέ, πνεύματι περιπατεῖτε, καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε.* (v. 17.) *Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός* [*ταῦτα γὰρ ἀλλήλοις ἀντίκειται*], *ἵνα μὴ, ἃ ἐὰν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε.* (v. 18.) *Εἰ δὲ πνεύματι ἄγεσθε, οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμον.*

V. 16. *Hoc mihi volo* (λέγω δὲ, cfr. supra III, 17. IV, 1.), *incedite eo tramite, quem spiritus monstraverit*, vitam agite (de περιπατεῖν ad *I. Thess. 2, 12.* et al.) dictamini naturae vestrae praestantioris, s. indoli divinitus emendatae accommodatam. Quanquam vb. περιπατεῖν utique permittebat, ut Koppe aliique πνεῦμα h. l. de Spiritu div. interpretarentur, auctore intelligentiae melioris et virtutis Christianae: vitam agite normae, quam Spiritus div. praescribit, convenientem; alia tamen nobis persuadet et oppositio σαρκὸς ad hominem pertinentis, et quae v. 17. exhibetur descriptio *certaminis* σαρκὸς et πνεύματος, collata locis simillimis *Romn. 7, 18—23. 8, 1—7.* Ex his enim patet, πνεύματι h. l. vel *conditionem* indicari *internam* (v. 5.) *hominis per Spiritum div. immutati* (vd. Rambach Baumgarten Morus Flatt ad h. l.), vel, quod Beza Rückert alii praeferunt, *ipsam hominis naturam praestantiorem*, quam illa cogitandi et sentiendi ratio melior veluti sedem habeat (i. q. νοῦς s. ὁ ἔσω ἄνθρωπος *Romn. 7, 22. sqq.*), non simpliciter spectatam, sed tanquam recens animatam per Spiritum divinum. Prorsus respondet huic formulae πν. περιπ. τὸ περιπ. κατὰ πνεῦμα *Romn. 8, 1.* infra v. 25. στοιχεῖν πν. Non satis accurate vim formulae negantis οὐ μὴ sequente subiunct. aor. τελέσητε il tenent intt. qui verbis καὶ ἐπιθυμίαν etc. interdictum inesse volunt praecepto antecedenti oppositum. Verissime, praeeuntibus Hieron. et Theodor., intellexerunt Luther Grotius Morus Rosenmüller Winer Paulus Rückert Matthies enuntiari h. l. id, quod sponte *sequatur*, si quis strenue tramitem a πνεύματι monstratum teneat: *nec ullo modo cupiditates carnis exsequemini.* De usu negationis

οὐ μὴ sq. coniunct. aoristi partim de re unius quidem ac per se certi temporis, sed talis quod quando futurum sit ignoratur, partim de re quae nulli futuri temporis momento propria est, veluti in sententia generali. Cfr. quae erudite observ. Lipsius *de modorum usu in N. T. quaestionis gramm. P. I. Lips. 1827. p. 67. sq.* Τελεῖν, rem perficere s. quaecunque ad rem quandam pertinent, exacte peragere, v. c. νόμον τελεῖν *Romn. 2, 27. Jac. 2, 8.*, h. l. ad eos transfertur qui satisfaciunt cupiditatibus, quales natura inferior sensibus indulgens sentit et excitat (ἐπιθυμίαις σαρκὸς *Ephes. 2, 3. I. Jo. 2, 16.* ἐπιθ. σαρκικαὶ *I. Petri 2, 11.*), ratione habita servitii, cui eiusmodi homines sunt obnoxii. Similiter ποιεῖν τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς *Ephh. 2, 3.* ποιεῖν ἐπιθυμίας *Jo. 8, 44.* ἐπιτελεῖν τὴν ἐπιθυμίαν *Achilles Tat. l. 2. p. 91.* ed. Salmas. Quare de iis tantum, qui prorsus se composuerint ad regulam πνεύματος, recte adfirmetur, eos ab imperio cupiditatum τῆς σαρκὸς liberos esse, ex natura utriusque principii docetur v. 17. Ἡ γὰρ σὰρξ etc. *Caro enim contra quam spiritus, spiritus contra quem caro concupiscit.* Nihil est, quod nos iubeat hanc sententiam limitibus coercere, ut de iis tantum, quae facile fieri possint, aut saepenumero fiant, intelligatur. Natura quippe inferior *sola, per se spectata,* ignorat legem moralem (divinam), nec nisi ea appetit quae ipsam suaviter adficiant, sive honesta fuerint sive inhonesta. Itemque natura hominis praestantior, praesertim per Spiritum div. animata, *sola per se spectata*, minime curat cupiditates τῆς σαρκὸς, nec nisi ad bona dirigitur et honesta (ἐπιθυμεῖν, quod proprie de σαρκὶ valet, in brevitate sermonis simul ad πνεῦμα transfertur, universam notionem voluntatis s. studii exprimens). Quae sequuntur: ταῦτα etc. si lectionem sequamur vulg. δὲ post ταῦτα, enuntiationem proferunt sententiae membri prioris amplificandae inservientem (quo sensu δὲ *Romn. 3, 22. et al.*): *et haec quidem sibi invicem sunt contraria.* [Auctoritate codd. praestantiorum Griesb. Knapp Vater Lachmann hunc ordinem exhibent: ἀλλήλοις ἀντίκειται pro vulg. ἀντίκ. ἀλλ.] Sin lectionem praeferamus in codd. *Vatic. Clarem.* ex manu pr. *Sangerm. Aug. Boerner.*

verss. *Copt. Vulg. It.* apud Cypr. Hieron. August. Ambr. obviam *ταῦτα γὰρ*, recte a Lachmanno receptam, nexus utriusque membri ita se habet, ut haec *ταῦτα γὰρ* etc. *comprobent* sententiam praecedentem. Atque eiusmodi nexum in mente habuisse Apostolum cum Rückerto existimamus, verbum *ἀντίκεινται* secundum etymon accipientes: *haec enim sibi invicem sunt opposita*, ut apud *Sextum Empir. hypot. 2, 14. I. Tim. 1, 10.* Plerique: haec sibi invicem *adversantur* (de dominio certant) cfr. ad *II. Thess. 2, 4.* obs. Parum probabiliter Apost. eandem sententiam (*ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ* etc.) aliis vbb. repetiisse existimatur. Immo, quod modo dixerat, hoc probat argumento, quod utrumque alteri *natura* sit *oppositum*. Proinde verba seqq. *ἵνα μὴ* etc. quae plerique ex his: *ταῦτα γὰρ* etc. pendere volunt, ad membrum prius rectius referuntur cum Grotio Semlero Rückerto, ut sententiae huius commatis satis apte et perspicue cohaereant, (verbis: *ταῦτα — ἀντίκεινται* in parenthesi positis). Diversimode autem haec intelliguntur, quum partim *ἵνα* vel *ἐκβατικῶς* accipiatur: *ita ut*, vel de *consilio* (malim posterius ex potestate voc. *ἵνα* maxime usitata, praesertim quum sententia ipsa hac ratione vim et vigorem accipiat singularem); partim de eo quaeratur, utrum haec tota enuntiatio hominem describat, qui dictamine *τῆς σαρκὸς* impediente non faciat, quae natura ipsius praestantior s. indoles per Spiritum div. emendata postulaverit (cfr. Calvinus Morus Flatt Paulus Rückert ad h. l.), an hominem, qui dictamine *πνεύματος* impediente non faciat, quae natura inferior cupiditatibus indulgens appetierit (Theodor. Grotius Storr *opuscc. acadd. Vol. I. p. 207. al.*), an denique utrumque involvat, ex sententia Ambros. Oecum. Bengelii Koppii Wineri Matthiesii: caro contra quam spiritus, spir. contra quem caro concupiscit, *ne perficiatis, quae volueritis*, *πνεῦμα* vos impedit, quo minus *σαρκὶ* indulgeatis (id quod non tam de his illisve factis singulis intelligendum, quam de universa agendi ratione et mente qua agitur), vicissim *σὰρξ* vobis adversatur ubi obsequi volueritis *τῷ πνεύματι*. Argumento duplici prae ceteris commendatur interpretatio prima: ne perficiatis, quae

recte volueritis, *a)* usu verbi θέλειν, quippe quod, etsi haud negamus ad cupiditatem τῆς σαρκὸς transferri potuisse (*Jo. 8, 44. I. Tim. 5, 11.*), loco tamen *parallelo Romm. 7, 15. 18. sqq.*, nonnisi voluntatem, quae ad bona et honesta dirigitur, innuit, *b)* commate 18. ubi τῷ μὴ ποιεῖν, ἃ ἐὰν θέλητε, *opponitur* τὸ πνεύματι ἄγεσθαι. Non desunt apud scriptores profanos effata iis simillima, quae Paulus et h. l. et *Romm. 7, 18. sqq.* de hoc certamine docuit interno, *Xenoph. Cyrop. VI, 1, 21.* (p. 212. ed. Lips. 1784.). *Arrian. diss. Epicti. II, 26. Maxim. Tyr. dissertt. 28, §. 7. Cicer. Tuscull. 2, 21.* Nec scriptores Judaici hanc voluntatem hominis duplicem siluerunt, cfr. Koppe ad h. l. Schoettgen. *horae hebr. et talmud. p. 1178. sqq.* Conditioni modo descriptae hominis, qui, quum πνεῦμα in mente nondum praevaleat, cupiditati cedere soleat, opponitur conditio hominis vere Christiani, πνευματικοῦ v. 18. Εἰ δὲ etc. Ἄγεσθαι πνεύματι (*Romm. 8, 14.*), quod notionem primariam attinet, non differt ab illo πνεύματι περιπατεῖν v. 16. nisi quod ἄγεσθαι evidentia maiori spiritum tanquam *principium vitae* hominis Christiani exhibet, quemadmodum *II. Tim. 3, 6.* ἄγεσθαι dicc. ἐπιθυμίαις, qui cupiditatum dictamine ducuntur. Pro eo, quod propter antecedd. exspectabatur: si spiritu agimini, *perficietis, quod tanquam* πνευματικοὶ *volueritis*, nec obsequemini cupiditati σαρκὸς, commemorat Apostolus, ad ea quidem respiciens, quae v. 13. de libertate a lege Mosaica Christianis recte vindicanda (prorsus diversa tamen ab effrenata agendi licentia) dixerat, effectum remotiorem: οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμον, *legi non estis subiecti* (IV, 5.), cessavit quippe provincia legis, cuius disciplina severa, vitam certe externam quodammodo coercente ii tantum indigent, qui nondum experti sunt efficacitatem τοῦ πνεύματος, cfr. III, 19. 24. IV, 1. sqq. *Romm. 7, 6. I. Tim. 1, 9.* Qui spiritu ducuntur, sponte diligunt quae Deo probantur, nec abusum faciunt libertatis a lege impetratae. Cfr. Chrysost. et Oecum. ad h. l.

Immoratur oratio Apostoli describendae utriusque, et σαρκὸς et πνεύματος, efficacitati.

V. 19. 20. 21. Φανερὰ δέ ἐστιν τὰ ἔργα τῆς σαρ-

κός, ἅτινά ἐστιν πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, (v. 20.) *εἰδωλολατρεία, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλοι, θυμοί, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις,* (v. 21.) *φθόνοι, φόνοι, μέθαι, κῶμοι, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἃ προλέγω ὑμῖν, καθὼς καὶ προεῖπον, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν.*

V. 19. ***Manifesta autem sunt*** **(neminem latent** *Aett. 4, 16. al.)* ***opera carnis,*** **quae per carnem efficiuntur, s.** facta, **qualia edunt qui dictamine naturae inferioris prorsus ducuntur. Proferuntur vbb.** *ἅτινά ἐστιν* **etc.** ***quae quidem*** **s.** *qualia* ***sunt*** **etc.** ***exempla,*** **singulae vitiositatis species, in quibus enumerandis Apostolus neque hunc totum locum de vitiis humanis complecti, nec accurate secundum systematis formam singula disposuisse, aut de discrimine vocum omnium synonymarum subtiliori cogitasse existimandus est. Copulantur singula** pro similitudine quadam et cognatione interna. **Cfr. indices** vitiorum similes ***Romn. 1, 29. sqq. I. Corr. 6, 9. 10. II.*** *Corr.* ***12, 20.*** **Quod in textu vulgari locum tenet primum** (post *ἐστιν*) *μοιχεία: adulterium* **(cuius loco pluralem** *μοιχεῖαι* **codd.** *Aug. Boerner.* **itemque Orig. Iren. Cypr. exhibent) recte delendum censuerunt Mill Bengel Griesbach Lachmann, omissum quippe in codd.** *Alex. Vatic. Ephr. rescr.* **(nonnullis minuscc.), in verss.** *Peschito Arab.* **ed. Erp.** *Copt. Aethiop. Vulg.* **apud Clementem Alex.** *Stromm. l. 4. p. 498.* **ed. Sylb. Marcionem (teste Epiph.) Tertull.** *de pudic. c. 17.* **Hieron. aliosque patres,** ***post*** *πορνεία* **positum apud Chrysost. et Theophylactum. Debebatur studio librariorum hanc vitiorum enumerationem complendi, praeeuntibus aliis locis, ubi** *μοιχεῖαι* **et** *πορνεῖαι* **coniunguntur,** *Matth. 15, 19. Marc. 7, 21.* **De** *πορνεία* **haud raro et scortationem et adulterium complectente vid. ad** *I. Thess. 4, 3.* *Ἀκαθαρσία* **de quavis dic. Venere illicita** ***(I. Thess. 4, 7.)*** **ita ut eas quoque species libidinis innuat, quas ipsa damnet natura.** *Ἀσέλγεια* **pr. quaevis intemperantia adfectuum et cupiditatum, modo insolentiam significat hominis aliorum iura proterve violantis, dummodo cupiditati satisfaciat** *Marc. 7, 22. Plato republ. l. 4. c. 4. p. 164.* **ed. Ast.** *Polyb. 5, 28. al.,* **modo ut h. l. libidi-**

nem foedissimam, vel lasciviam protervam quae omnem pudoris sensum exuit, vel utrumque (haud raro alteri coniunctum) *Romn. 13, 13. II. Corr. 12, 21. II. Petri 2, 7. 18. al.* Cfr. Wetsten. ad *Marci 7, 22.* Tittmann *de synonymis in N. T. l. 1. p. 151. sq.* Sequuntur aliae vitiositatis species v. 20. 21. Nihil est quod impediat quo minus vocab. *εἰδωλολατρεία* sensu proprio de *idolorum cultu* interpretemur *(I. Corr. 10, 14. I. Petri 4, 3.)*. Quanquam enim Apostolus ad homines loquitur Christo addictos, universe tamen h. l. declarare voluit efficacitatem *τῆς σαρκὸς*. Neque negari potest, tum temporis facile fieri potuisse, ut Ethnico-Christiani, si forte in communionem venissent epularum sacrificalium, quae in honorem idolorum celebrarentur, ab amicis et cognatis ethnicis invitati, ad ipsum idolorum cultum deficerent, *I. Corr. 10, 14. sqq. II. Corr. 6, 16.* Qui *εἰδωλολατρείαν* h. l. vel de nimio rerum terrestrium studio intelligi maluerunt (vd. Schleusneri *Lex. sub h. v.)*, vel omnino de vitiis gravissimis, destituuntur exemplis eiusmodi usum vocabuli probantibus. Alia prorsus est ratio loci *Coloss. 3, 5.* (coll. *Ephes. 5, 5.)* ubi de scortatione, immunditie morum, habendi cupiditate dicitur, eiusmodi vitia aequiparanda esse cultui idolorum. De *φαρμακείᾳ* dissentiunt, utrum h. l. *veneficium* denotet *Apocal. 9, 21. Polyb. VI, 13, 4. X, 3, 7.* (a *φάρμακον*, et: medicina, et: potus noxius, venenum, *Homeri Il. 22, 94. Thucyd. 2, 48.)*, an, quod plerique probant, *praestigias* s. *incantationes Apocal. 18, 23. LXX. Exod. 7, 11. 22. Jes. 47, 9. 12.* quo sensu verbum *φαρμακεύειν Herod. l. 7. s. 114.* cfr. *Aristoph. Plutus v. 302.* ipsumque lat. veneficium *Cicer. Brutus c. 60. Plinii hist. nat. 18, 6.* Ad incantationes quippe haud raro potus quidam et unguenta adhibebantur. Quae posterior interpretatio magis accommodata apparet antecedentibus. Facili quippe cogitationum serie ducebatur Apostolus ab illis vitiis: *πορνεία, ἀκαθαρσία* etc. ad idolorum cultum (siquidem partim adoratio idolorum flagitia huius generis haud raro secum ferebat adeoque commendabat, v. c. sacra Veneri aut Baccho instituta, partim Hebraei defectionem a Jehova tropice appellabant scortationem, *Ezech. c. 16. c. 23. Hos. c. 2.)*,

ab idolorum cultu ad incantationes, artes magicas illi vario modo coniunctas ideoque in libris V. T. *(Deuter. 18, 10. sqq. Exod. 22, 18.)* una cum εἰδωλολατρεία commemoratas et strenue interdictas, quales in Asia potissimum minori exercebantur, *Actt. 19, 19.* Veneficia quidem tum temporis utique invaluerant, testantibus *Sueton. vita Neronis c. 33. sqq. Tiber. c. 73. Taciti Ann. 12, 66.* aliisque. Sed de caedibus universe v. 21. sermo est, nec satis apte haec una species φόνων (veneficium) *hoc loco* ante: ἔχθραι, ἔριδες etc. poneretur. Ad notionem universam contentionum *cuiusque generis* earumque *originis diversae* vocabb. pertinent in numero *plurali* posita quae seqq. Ἔχθρα de *inimicitia* dic. et interna, et quae loquendo et agendo manifestatur, *Luc. 23, 12. Xenoph. memorabb. I, 2, 10.* Ἔρις et: studium rixandi, *Philipp. 1, 15. Herodian. III, 2, 13.* et: rixa, altercatio, *I. Corr. 1, 11. al. Xenoph. Cyrop. II, 3, 15.* Ζῆλος, sensu deteriori dictum. eiusmodi est aemulatio, quae odium parit, *Jac. ep. 3, 14. 16. Actt. 5, 17. Herodian. III, 2, 16. 3, 3.* saepius coniungitur cum ἔρις *Romm. 13, 13. I. Corr. 3, 3. al.* Θυμός, quod proprie ipsum animum denotat, deinde quemvis animi impetum graviorem, veluti exhalationem vehementiorem [apud *Platonem* sensu admodum honesto de animi impetu s. adfectu usurpatum, qui hominem reddit fortem et alacrem in agendo, v. c. *de republ. l. 2. c. 15. p. 57. l. 4. c. 15. p. 191. ed. Ast.*] in promtu est, *h. l.* ita esse explicandum, ut substantivis adiunctis ἔχθραι, ἔριδες, ζῆλοι, ἐριθεῖαι etc. respondeat. Nolim tamen cum Tittmanno *l. I. de synonymis in N. T. p. 132. sq.* contendere, θυμὸς rectius verti: inimicitia, quam: iracundia. Immo ipsa quae Titttmannus attulit effata *Xenoph. de re equestri 9, 2. Aristot. problem. sect. 30.* [quibus add. *Ael. V. H. 1, 14. Herodian. I, 17, 14. IV, 5, 17.*] comprobant, haud raro significasse adfectum iracundiae s. indignationis vehementioris, Aufwallungen des Zorns, aufbrausendes Wesen. Ex N. F. huc pertinent loca *Luc. 4, 28. II. Corr. 12, 20.* Ab ὀργῇ, cui interdum coniungitur *(Ephh. 4, 31. Col. 3, 8. Romm. 2, 8.)*. sic differre putamus, ut ὀργὴ notionem magis definitam exprimat irae s. iracundiae, quatenus hominem ad agendum im-

pellat. Vocab. rarius ἐριθεία, ab ἔριθος i. q. homo mercenarius (*Hom. Il. 18, v. 550. 560. Hesiod.* ἔργα καὶ ἡμέραι v. 600.) et ἐριθεύειν s. ἐριθεύεσθαι i. q. pro mercede laborare (*Tob. 2, 11.*) itemque: commodi tantum proprii causa aliquid facere (v. c. si quis iudex pecunia corrumpitur, aut si quis munus ambit publicum auram captans popularem, cfr. *Aristot. polit. V, 5.*), partim de opera, labore hominis mercenarii usurpatum est, partim de lucri studio, praesertim ambitu (sensu Romanorum), ideoque de factionibus et partium studiis ex ambitu oriundis. Cfr. Schneider *Handwörterbuch der griech. Spraohe etc.* ausgearb. v. *Passow*, ed. III. Vol. I. p. 633. Rückert *Commentar über den Brief an die Römer zu c. 2. v. 8.* Neque in N. F. simpliciter contentiones (i. q. ἔρις) sive rixandi cupiditatem denotat, sed quod limites iustos excedit, et contentiones gignit, sui ipsius studium et ambitionem (Selbstsucht), *Rom. 2, 8. II. Corr. 12, 20. Philipp. 1, 16. 2, 3. Jac. 3, 14. 16.* Διχοστασία, etymo praeeunte, i. q. dissidia, factiones quae existunt in familia, civitate, ecclesia, *Romm. 16, 17. I. Corr. 3, 3. Dionys. Halic. antiqq. Romm. 8, 72.* Simil. αἵρεσις pr. electio, praesertim disciplinae cuiusdam s. vitae rationis, transfertur ad sectas ex diversitate placitorum oriundas quae acriter defenduntur *Actt. 5, 17. 15, 5. Diod. Sic. 2, 29. Galenus ad Glauc. c. 1.* et contentiones sectarum *I. Corr. 11, 19.* In connectendis vocabb. φθόνοι: invidiae, et φόνοι: caedes, indulsit Apostolus paronomasiae, figurae Paulo familiari. Exempla eiusdem paronomasiae *Romm. 1, 29. Eurip. Troad. v. 763.* D'Orville *ad Charit. 4, 2.* Simil. coniunguntur φόνος, στάσεις, ἔρεις, μάχαι καὶ φθόνοι *Sophocl. Oed. Colon. v. 1228.* Posterius φόνοι, in nonnullis codd. in quibus est *Vatic.* apud Marcionem (teste Epiph.) Iren. Hieron. August. Ambros. omissum, facile quidem possit suspectum videri (vd. Mill Semler Koppe Lachmann), profectum quippe vel ex praeced. φθόνοι, vel ex loco simili *Romm. 1, 29.* Attamen, quum similitudo externa horum vocabb. facile etiam errori calami, quo posterius omitteretur, ansam praebere potuerit, maluimus in scriptura vulg. auctoritate externa maxime commen-

data acquiescere. Argumentis internis lectionem vulg. parum recte impugnari et Borger in *Animadverss. crit. ad hanc epist. p. 74.* et Winer ad h. l. contra Koppium verissime docuit. Denique effecta notantur τῆς σαρκὸς in usu ciborum potuum immodico conspicua, μέθαι, *ebrietates Luc. 21, 34. Ael. V. H. 3, 14.* et κῶμοι, *comissationes*, epulae luxuriosae diebus festis in honorem numinis cuiusdam, praesertim Bacchi, vel publice vel privatim institutae, ad seram noctem extensae, quas pompae solennes sequebantur et obambulationes nocturnae hominum ebriorum, qui, coronis ornati, cum armis, facibus, instrumentis musicis per plateas cursitabant cantantes, clamantes, saltantes, tranquillitatem turbantes publicam, *Diod. Sic. 17, 72. Plato republ. l. 9. c. 3. p. 391.* ed. Ast. *I. Petri 4, 3.* Schwarz *dissert. de comissationibus vett. Altorf. 1744. 4.* Coniunguntur saepius μέθαι et κῶμοι *Romm. 13, 13. Liban. T. IV. p. 158. al.* Quaecunque praeterea ex imperio σαρκὸς oriantur, complectitur Apost. vbb. καὶ τὰ ὅμοια τούτοις etc. *atque his similia, quae qui patrent, eos nunc praedico vobis* (antequam res eo deveniat, *II. Corr. 13, 2.*), *quemadmodum iam praedixi* (quum apud vos essem), *regni divini nunquam fore heredes.* Constructionem vbb. ἃ προλέγω — ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα etc. in promtu est sic esse intelligendam: ἃ πράσσοντες προλέγω ὑμῖν, καθὰς καὶ προεῖπον, ὅτι βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν, quae pronominis relativi attractio Graecis et Latinis haud incognita fecit, ut notio obiecti (eiusmodi scelerum) in membro posteriori perspicuitatis causa repeteretur: τὰ τοιαῦτα. De βασιλείᾳ θεοῦ, cuius felicitas summa hereditati comparatur (supra III, 18. 29. *I. Corr. 6, 9. sq. 15, 50. al.*) vidimus ad *I. Thess. 2, 12. II. Thess. 1, 5.* Qui expertes fore dicuntur salutis regni divini, iidem (quod Rückert verissime observ.) cogitantur secundum doctrinam Christ. miseriae futurae (poenae div.) obnoxii. Vocula καὶ post καθὼς, apud Lachmannum propterea uncis inclusa quod in codd. *Vatic. Aug. Boerner. verss. Aethiop. Arab.* (polygl.) *Vulg.* apud Chrysost. Tertull. August. Pelag. desideratur, familiaris est elocutioni Paulinae *Romm. 1, 13. 15, 7. I. Corr. 10, 6. 9.*

10. 33. 11, 1. 13, 12. 14, 34. II. Corr. 1, 14. 11, 12. I. Thess. 3, 4. 4, 6. 13. 5, 11. II. Thess. 3, 1. al. Quod in codd. *Clarem.* ex manu pr. *Sangerm. Aug. Boerner.* pro vulg. προεῖπον exprimitur προείρηκα, vel correctionem redolet vel errorem calami librariorum, qui huic formae in N. F. saepius obviae magis adsueti fuerunt quam verbo προειπεῖν praeter hunc l. bis tantum in N. F. apparenti *Actt. 1, 16. I. Thess. 4, 6.*

His opponitur efficacitas πνεύματος, qua descripta Apostolus sententiam v. 18. recipit, iterumque (ut v. 16.) Christianos cohortatur, ut vitam agant πνεύματι accommodatam.

V. 22—26. Ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματός ἐστιν ἀγάπη, χαρά, εἰρήνη, μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη, πίστις, πραότης, ἐγκράτεια. (v. 23.) Κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστιν νόμος. (v. 24.) Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασιν καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. (v. 25.) Εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. (v. 26.) Μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, ἀλλήλους προκαλούμενοι, ἀλλήλοις φθονοῦντες.

V. 22. In promtu est, καρπὸς, si rem ipsam spectaveris, eodem sensu dici quo supra v. 19. τὰ ἔργα (effecta). Maluit vero Apostolus hoc loco, de πνεύματι disserens, scribere καρπὸς, quam metaphoram profanis quoque haud inusitatam *(Herodian. VIII, 3, 15.)* diligit, ubi de *effectis* rei cuiusdam *salutaribus et laude dignis* loquitur, *Romn. 1, 13. 6, 22. 15, 28. Ephh. 5, 9. Philipp. 1, 11. 22. 4, 17.* (loco *Romn. 6, 21.* cum εἰρωνείᾳ opera τῆς ἁμαρτίας dicc. καρπὸς). De vocum singularum delectu et ordine eadem teneamus, quae ad initium v. 19. universe observata sunt. *Fructus autem spiritus sunt:* Ἀγάπη, illa animi adfectio vere Christiana, πίστει coniunctissima (v. 6.), qua singulae omnes continentur virtutes. Χαρά, laetitia, hilaritas animi qualem inter omnes vitae vicissitudines efficit religio vera, pietas, conscientia recte factorum, *I. Thess. 1, 6. Romn. 14, 17.* ubi plenior leg. formula χαρὰ πνεύματος ἁγίου s. ἐν πνεύματι ἁγίῳ, quod posterius h. l. omitti poterat propter vbb. antecedd. καρπὸς τοῦ πνεύματος. Satis commode ἀγάπην excipiebat

χαρά, siquidem haec animi adfectio et facile oritur ex amore et animum reddit propensum ad homines diligendos. Malui cum Theophyl. Flattio Rückerto al. hoc sensu interpretari, quam, quod Koppio Borgero Winero probatum est, eam tantum laetitiam intelligere, quae ex religione virtute felicitate *aliorum* percipitur. Nihil quippe additur, quod h. l. notionem laetitiae his potissimum circumscribat limitibus. Nec facile doceri potest, Apostolum in deligendis vocibus, quae efficacitatem πνεύματος describant, id maxime spectavisse, ut singula singulis illis ἔργοις τῆς σαρκὸς (v. c. χαρὰ φθόνοις v. 21.) accuráte opponerentur. Εἰρήνη, *concordia*, similiter una cum χαρᾷ πνεύματος ἁγ. praedicatur *Romn. 14, 17.* Nolim h. l. de tranquillitate animi (quae notio voce antec. χαρά continebatur) interpretari, quum verbis seqq. eiusmodi virtutes laudentur, quae *concordiae* potissimum sint coniunctae eamque magnopere adiuvent. Μακροθυμία, *patientia* quae iram cohibens poenam s. vindictam differt speratque fore ut qui deliquerit resipiscat, *Romn. 2, 4. Ephh. 4, 2. Col. 3, 12. al.* hebr. אֶרֶךְ אַפַּיִם *Proverbb. 25, 15. Jerem. 15, 15. LXX.* Χρηστότης, *benignitas*, praesertim quae facilem sese praebet ad condonandum et lubenter auxilium fert adflictis, Milde, de Deo *Romn. 2, 4.* de hominibus *II. Corr. 6, 6.* (ubi cum μακροθ. coniung.) *Coloss. 3, 12. al.* nec profanis incognitum *Ael. V. H. 1, 30.* Ἀγαθωσύνη, *benefaciendi studium* vd. ad *II. Thessall. 1, 11.* obs. Πίστις, *fides*, virtus hominis qui vera loquitur et promissa servat, Treue, Zuverlässigkeit, *Matth. 23, 23. Romn. 3, 3. ad Titum 2, 10. al. Diod. Sic. 1, 79. Herodian. III, 9, 4. IV, 14, 14.* Quo minus enim vel cum Hieronymo exspectationem laetam qualem lubenter nutriunt, qui alios amore Christiano complectuntur, vel fiduciam in Christo positam intelligamus, impedit, quod vocem πίστις h. l. et antecedunt et sequuntur, quae virtutes singulas denotant. Πραότης, *lenitas*, mansuetudo, haud facile irascens, quam Theophyl. ad h. l. sic differre dicit a μακροθυμίᾳ in sermone quidem biblico, ut μακροθ. non celeriter sed cum cunctatione puniat peccantem, πραότης poenam omnino remittat. Nonnulli codd. (in quibus *Alex. Vatic. Ephr. rescr.*) formam

exhibent in ed. Lachmanni expressam *πραΰτης*. Utrumque eodem sensu in N. F. usurpatur, *πραότης I. Corr. 4, 21. Col. 3, 12. al.* cfr. *Xenoph. Cyrop. II, 3, 9. p. 74. ed. Lips. 1784. πραΰτης Jac. ep. 1, 21. 3, 13.* De utraque adiectivi forma *πρᾶος* et *πραΰς* profanis usitata vd. Lobeck ad *Phryn. p. 403. sq.* *Ἐγκράτεια, continentia* quae dominatur in cupiditates et adfectus rationi et honestati repugnantes, *Actt. 24, 25. II. Petri 1, 6. Plato republ. l. 3. c. 4. p. 108.* ed. Ast. *Xenoph. memorr. I, 5, 1. II, 1, 1. IV, 5, 9.* De iis quae seqq. v. 23. *Κατὰ τῶν* etc. disputatur, utrum *τοιούτων* rectius masculinum an neutrum habeatur? Haud pauci quidem prius praeferunt: *eiusmodi hominibus*, qui his virtutibus praediti sunt, *non adversatur lex* divina (Apostolus de Mosaica potissimum cogitat quatenus praecepta moralia continet, vd. ad v. 14. obs.) i. e. ii non habent quod comminationem legis et sententiam condemnatoriam metuant (cfr. Piscator Calovius Semler Koppe Rosenmüller Rückert ad h. l.), vel: ii non indigent interdictis et commina-tionibus lege enuntiatis, quum sponte voluntati divinae obsequantur (Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Pelag. Erasmus Rambach al.). De phrasi satis cognita *εἶναι κατὰ τινος* vd. *Matth. 12, 30. Roman. 8, 31.* Attamen nexus huius commatis cum vbb. praecedd. quae singulas pietatis et honestatis vere Christianae species, non homines praedicaverant, mihi quidem efflagitare videtur, ut *τοιούτων* sensu generis neutrius intellectum ad has ipsas referatur virtutes: *lex minime interdicit, compescit, condemnat eiusmodi fructus spiritus* (Baumgarten Morus Flatt Borger Winer Scholz). Concedimus quidem, si rem ipsam spectaveris, sponte adduci cogitationem hominum qui eiusmodi fructus *τοῦ πνεύματος* in animis suis proferant. Haud dubie enim argumentatio Paulina non tam (cum Flattio) sic intelligenda, ut *μείωσις* inesse putetur: tantum abest, ut lex divina improbet fructus *πνεύματος*, ut eos magnopere commendet, quam (cum Winero) hoc modo supplenda: lex non adversatur his virtutibus (omnino ad eas non pertinet, earum causa non lata est), immo hoc tantum agit, ut cupiditates malas, *ἔργα τῆς σαρ-*

κὸς, coërceat; unde patet, eos qui πνεύματι iam ducantur non amplius lege indigere, cfr. Oecum. ad h. l. Sententia exstat similis *I. Timoth. 1, 9. 10.* Docet Apostolus porro, rediturus ad cohortationem v. 16. propositam, hanc conditionem πνευματικὴν, cui libertas a lege Mosaica coniunctissima sit, utique pertinere ad *homines Christo addictos*, quippe qui τῇ σαρκὶ prorsus renuntiaverint v. 24. Οἱ δὲ etc. *Ii vero, qui Christi sunt (III, 29.) carnem cruci adfixerunt cum adfectibus et cupiditatibus.* Additamentum Ἰησοῦ post Χριστοῦ in nonnullis codd. (in quibus *Alex. Vatic. Ephr. rescr.*) vers. *Copt. Aethiop. Slav.* apud Cyrillum pluribus l. August. Damasc. itemque in ed. Lachmanni expressum propterea defendi vix potest, quod articulus ante formulam compositam Χριστὸς Ἰησοῦς ab usu loquendi scriptorum N. F. alienus est, cfr. Gersdorf *Beiträge zur Sprachcharacteristik der Schriftst. des N. T. T. I. p. 276. coll. p. 63. sqq.* Quemadmodum supra II, 20. cum Christo crucifixus dicebatur, qui totam sentiendi et agendi rationem, quam olim tanquam Judaeus tenuerat, deposuit (veluti mortuus est legi Mosaicae) impetrata cognitione recta et maxime efficaci Servatoris hominum causa in cruce mortui, ita hoc loco, qui vere coniuncti sunt huic Servatori, dicuntur et ipsi naturam suam inferiorem veluti in crucem egisse, i. e. ita subiecisse dictamini πνεύματος, ut efficientia mala τῆς σαρκὸς frangeretur, tanquam si enecata esset, cfr. *Romm. 6, 6.* Quanquam hoc ἐσταύρωσαν (quod Matthiae ad h. l. verissime obs.) pro significatione aoristi inter omnes concessa non tantum ad rem praeteritam pertinet, sed etiam ad studium respicit *continuum* hominis, qui semel τῇ σαρκὶ fortiter renuntiavit, cupiditates τῆς σαρκὸς, quoties iterum vim suam exserere velint, reprimendi et coercendi. Cfr. *Romm. 8, 13.* εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τῆς σαρκὸς θανατοῦτε etc. Glossemati debetur quod in codd. *Aug.* et *Boerner.* post σάρκα additur itemque in verss. *Armen.* et Vulg. exprimitur αὐτῶν. Sponte patet ex v. 16. 17. σάρκα intelligi eorum qui iam Christi sint; nec facile cuiquam probabitur interpretatio Origenis et aliorum apud Hieronymum et Oecum. commemorata, qui τοῦ Χριστοῦ ex vbb. τὴν

σάρκα pendere volunt: hi vero (τοιοῦτοι v. 23.) *carnem Christi* crucifixerunt (quod positum existimant pro: suam carnem, quatenus nos veluti membra sumus Christi). Natura inferior etiam h. l. tanquam sedes et fomes omnium, quae homo parum honeste sentiat et expetat, consideratur (v. 13. 17.). Additur enim σὺν τοῖς παθήμασιν etc. Πάθημα, pr. id quo res quaedam extrinsecus adficitur *Plato republ. l. 2. c. 19. p. 97.* ed. Ast. *Phaed. c. 46. Aeschin. dial. 3, §. 17.* et de habitu animi usurpatur quem philosophi *adfectum* appellant, motu vehementiore qui hominem facile abripit, vorzüglich starke und lebhafte Erregung des Gefühls, et de *cupiditate* ex coniunctione animi cum corpore oriunda, Begierde, Leidenschaft, *Plat. Phaed. c. 43. Aeschin. dial. 3, §. 15. Romm. 7, 5.* Enecata in hominibus Christianis τῇ σαρκὶ, necesse est in iisdem vivat suamque vim libere exserat τὸ πνεῦμα. Proinde cohortatio sequitur v. 25. Εἰ ζῶμεν etc. *Quodsi per spiritum vivimus*, si naturam praestantiorem per Spiritum div. veluti recens animatam (vd. ad v. 16.) vitae nostrae habemus principium, *incedamus etiam ita ut spiritum sequamur*, vitam instituamus πνεύματι prorsus accommodatam. Quo minus πνεῦμα h. l. aliter intelligatur quam v. 16. cogitationum series prohibet. Neque ζῶμεν, verbis ἐσταύρωσαν τὴν σάρκα oppositum, h. l. admittit interpretationem qualis Storrio probatur *opuscc. acadd. Vol. I. p. 207.*: si beati esse velimus per Spiritum divinum, aut Michaeli: si per doctrinam a Spiritu div. profectam (evangelium) vitam veram (salutem) consequuti sumus. Emphatice dicitur ζῆν ut II, 20. de nova animi vita, indole prorsus emendata. Vd. Morus et Rückert ad h. l. Στοιχεῖν pr. ordine certo procedere i. q. v. 16. περιπατεῖν *Actt. 21, 24. Romm. 4, 12. Philipp. 3, 16.* ubi eodem sensu cum dativo struitur. Nec profani hanc potestatem vb. στοιχ. tropicam ignoraverunt *Polyb. exc. leg. c. 71. Sextus Empir. contra Ethic. c. 3. al.* Scriptura quae in verss. syrr. *Peschito* et *Philox.* itemque apud Chrysost. exprimitur: ζῶμεν οὖν ἐν πνεύματι καὶ πν. στοιχ. vivamus igitur in spiritu etc. correctionem sapit mature sed temere factam eorum qui in enuntiatione conditionali: εἰ

ζῶμεν πν. (tanquam si his vbb. dubitatio proferretur, an πνεῦμα vere pertineat ad homines Christianos) offendebant, parum recte percipientes formam conclusionis, qualem supra explicuimus, in hac sententiarum serie prorsus necessariam. Ceterum haec argumentatio utique efflagitabat voculam καὶ ante στοιχ. in codd. *Aug.* et *Boerner.* vers. *It.* apud Ambros. vitiose omissam. Vitae πνεύματι accommodatae vitia opponuntur, quae satis probabiliter inter Galatas invaluisse existimantur, ex quo tempore per doctores vanos ad Judaismum proclives partium studia exstiterant, v. 26. Μὴ γινώμεθα etc. Κενόδοξοι dicc. temere superbientes, ex iis rebus gloriam captantes quae nequeunt veram parare gloriam, *Polyb. XXVII, 6, 12. XXIX, 1, 1.* (κενοδοξία *Philipp. 2, 3.*). Quaevis ambitio hominis laudis *humanae* studiosi, dignitatem et auctoritatem externam adfectantis qua supra alios emineat, ex persuasione sancta Apostoli (*II. Corr. 10, 17. 12, 1 — 10. Philipp. 3, 3 — 10. al.*) fuit κενοδοξία (quod Calvinus veriss. observ.). Qui vanae gloriae cupiditati indulgent, et facile alios *lacessunt, provocant ad certamina*, si hoc maxime agunt ut, quum sibi placeant, aliis multorum ore celebratis vel pares vel praestantiores appareant (de quo usu medii προκαλεῖσθαι in N. F. semel obvii cfr. *Ael. V. H. 1, 24. Xenoph. Cyrop. I, 4, 4.* Wesseling ad *Diod. Sic. I, 22.*), et *invidia flagrant* contra eos, quos sibi vel ingenio vel auctoritate externa et dignitate praestare intelligunt. Φθονεῖν (ἅπαξ λεγομ. in N. F.) constat dativum regere personae et genitivum rei quae invidiam excitet *Xenoph. memorr. III, 5, 16. Herodian. III, 2, 6. VI, 1, 20.* Matthiae *ausf. griech. Grammatik Vol. II. ed. II. p. 682.* Accusativus ἀλλήλους ante φθον. in paucis codd. (in quibus *Vatic.* et *Boerner.*) commentariis Chrysostomi et Oecum. (apud Theodor. in uno cod.) editione Lachmanni exhibitus auctoritate externa parum commendatur. Admodum facilis erat haec litterarum permutatio. *Ne vanam captemus gloriam nos invicem lacessentes, nobis invicem invidentes.*

Speciem habet veritatis, quod plures intt. in vulgari capitum divisione offendunt, maluntque *ineunte* v. 26. initium con-

stitui capitis sexti (cfr. Koppe Morus Borger Flatt), quum sermo Apostoli v. 26. pariter atque C. VI. in. ad officia pertineat singula. Nos cum Rückerto dispositioni vulgo receptae h. l. defensionem ex eo paramus, quod partim vocab. *ἀδελφοὶ* C. VI. v. 1. partim transitus sermonis Paulini a persona 1. plurali v. 25. 26. ad pers. secundam C. VI. in. initio novae sectionis prorsus conveniat.

Caput VI.

Ex more Paulino sub finem epistolae cohortationes sequuntur varii generis atque praecepta. In his primum quidem locum tenet praeceptio (iis quae C. V. v. 26. legg. quodammodo connexa) qua Christiani admonentur ut, qui ceteris sint provectiores, infirmiores patienter ferant, errantes cum lenitate corrigant, nec sua virtute quisquam superbiat.

V. 1—5. *Ἀδελφοί, ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, ὑμεῖς οἱ πνευματικοὶ καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον ἐν πνεύματι πραότητος, σκοπῶν σεαυτόν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς.* (v. 2.) *Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσετε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ.* (v. 3.) *Εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι μηδὲν ὤν, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ.* (v. 4.) *Τὸ δὲ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω ἕκαστος, καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει, καὶ οὐκ εἰς τὸν ἕτερον.* (v. 5.) *Ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει.*

V. 1. Ambiguitatem quandam habet formula *προληφθῇ ἔν τινι παραπτώματι*. Frequens est in N. F. substant. *παράπτωμα* (lapsus) de delictis s. peccatis singulis, *Marc. 11, 25. sq. Romn. 4, 25. al.* cfr. *Polyb. IX, 10, 6.* Notio universa vb. simplicis *λαμβάνειν*: sumere, prehendere, diversimode definitur pro diversa orationis serie. Interdum i. q. rem hominemve *capere*, in suam redigere potestatem, sive aperte et violenter fiat *Luc. 5, 5.* sive per fraudem *II. Corr. 12, 16.* Cfr. *Xenoph. Cyrop. I, 4, 9. Lucian. dial. mort. XII, §. 11.* Cognata est significatio: *deprehen-*

dere aliquem in delicto s. errore, ita ut confessionem culpae s. poenam effugere amplius nequeat (ertappen), *Plat. Gorgias s. 28. p. 108. s. 77. p. 245.* ed. Findeis. *Xenoph. Cyrop. III, 1, 22.* Compositum προλαμβάνειν duplici modo usurpatur: *a)* h. s. sumere rem s. comprehendere aliquem, priusquam alii sumant, comprehendant, sive priusquam aliud quid fiat (praecipere), vd. Reiskii *index graecit. Demosth. p. 644. sqq. I. Corr. 11, 21. Jos. de b. Jud. 5, 22. 7, 16. Sapient. 17, 17.* (ubi praepos. πρὸ eam vim habet praeeunte v. 15. ut caligo spissa et pavor summus homines subito, *priusquam exspectaverint*, apprehendisse s. comprehendisse dicatur); *b)* agendo aliquid praeoccupare, antevertere, *Marc. 14, 8. Xenoph. de rep. Lacedd. c. 13. §. 3. Diod. Sic. 14, 63.* Quum posterius ad hunc locum parum commode transferatur, plerique interpretes (cfr. Peschito Chrysost. Theophyl. Oecum. Luther Erasmus Wolf Elsner Kypke Morus Flatt Rückert) illam capiendi s. comprehendendi notionem tenuerunt: *si quis improviso* (citius, quam exspectaverit s. quam sibi cavere potuerit) *peccato quodam fuerit abreptus.* Maluerunt Grotius Koppe Borger Winer: etiamsi quis *antea* iam alio tempore (s. antequam haec epistola ad vos veniat) *deprehensus fuerit in peccato quodam.* Cfr. quae supra de hoc usu vb. simplicis λαμβάνειν monuimus. Consilio Pauli Christianos cohortandi, ut peccantem leniter corrigant, magis accommodata videtur sententia prior, quippe quae continet quod culpam hominis minuat. Neque obstat, quod nonnulli obiiciunt (cfr. J. A. Ernesti *theol. Biblioth. Vol. III. p. 512.*), hoc sensu scribi non potuisse ἐν παραπτώματι sed ὑπὸ τοῦ παραπτώματος. Nihil enim prohibet quo minus ἐν h. l. instrumento s. praesidio quo aliquid fiat significando inservire existimetur, et παράπτωμα (quod scite observ. Rückert ad h. l.) cum laqueo comparari, quo facile capiatur, irretiatur, qui parum diligenter sibi caverit. Voc. καὶ post ἐάν haud dubie eam vim habet, ut aliquid proferri doceatur, quod a regula Christianis scripta V, 24. deflectat: *etiamsi quis* eorum quos, Christo addictos, vitiositati plane mortuos esse oporteat, *praeter opinionem* (suam et aliorum) *peccato quodam* captus

fuerit, vos qui (quotquot) *estis spirituales, eiusmodi hominem reficite.* Ad illustrandam significationem vocabuli *πνευματικοὶ* recte, opinor, comparantur formulae *πνεύματι περιπατεῖν* et *ζῆν πνεύματι* V, 16. 25. quanquam h. l. *πνευματικοὶ* non tam dicuntur universe Christo addicti, in quibus *πνεῦμα* vivere suamque vim exserere coepit, quam sensu praegnante (Flattio bene intellecto): quorum natura praestantior per Spiritum div. recens animata praecipue invaluit, ita ut sollicitationi ad peccandum fortius resistant, quam alii minus provecti. Eodem modo *I. Corr. 2, 13. 15. 3, 1. πνευματικοὶ*, Christiani quos Spiritus divinus (hoc enim sensu dicitur *πνεῦμα* l. l. *I. Corr. 2, 12.)* perfectiores reddidit, opponuntur *ψυχικοῖς* qui suo ducuntur sensu et adfectu naturali, *σαρκινοῖς*, dictamini naturae inferioris etiamnum obnoxiis, *νηπίοις ἐν Χριστῷ*, tironibus in Christo, itemque *Romm. 15, 1. δυνατοὶ* iis qui minus sunt firmi. *Καταρτίζειν* pr. rem scissam reficere, in integrum restituere, *Matth. 4, 21. Herod. l. 5. c. 106. al.* in hac orationis serie ubi de animo moribusque sermo est i. q. corrigere, emendare, perficere, cfr. *Luc. 6, 40. Hebrr. 13, 21. II. Corr. 13, 11.* Ad bonam frugem reducere iubentur eum, qui infirmitate quadam ad peccandum fuerit abreptus, *ἐν πνεύματι πραΰτητος, cum spiritu lenitatis*, animo mansueto. *Πνεῦμα* et h. l. et *I. Corr. 4, 21.* ubi *ἀγάπη* cum *πνεύματι πραοτ.* coniungitur, de animi humani adfectione quadam et propensione dicitur, ut *Romm. 11, 8.* spiritus soporis i. q. animus torpens ex hebr. רוּחַ תַּרְדֵּמָה *Jes. 29, 10.* Praeeuntibus quidem Chrysostomo Theoph. Oecum. nonnulli de Spiritu divino lenitatis Christianae auctore interpretati sunt, ad C. V. v. 22. 23. provocantes. Sed vide quae supra ad vss. laudd. de *πνεύματι* observavimus. Ad mansuetudinem in diiudicandis et corrigendis aliorum vitiis adhibendam eo maxime impellimur, quod probe perpendimus, quam sedulo nobis cavendum sit, ne ipsi ad peccandum delabamur. Unde patet, qua cogitationum serie addatur *σκοπῶν σεαυτόν* etc. pro: *σκοποῦντες ἑαυτούς, μὴ καὶ ὑμεῖς πειρασθῆτε* (sic legitur, ex glossemate antiquo, in verss. *Peschito* et *Armen.)*. Exemplis haud destitui permutationem subitam numeri pluralis cum sin-

gulari, huius cum illo (vd. supra IV, 7. *I. Corr. 4, 2.*) praeter alios docuerunt Stollberg *de soloecismis N. T. p. 52. sqq.* Schweighäuser ad *Arr. dissertt. Epictt. II, 1. p. 94. 278.* Haud negligenda vero emphasis (recte observata in commentt. Erasmi Calvini Rückerti) quae h. l. inest numero singulari, praecipue apto ad compellendam uniuscuiusque conscientiam. Ad sententiam loci primariam nihil interest, *sive σκοπεῖν* h. l. significare putetur: sibi cavere, quo sensu sq. *μὴ Luc. 11, 35. Xenoph. de magistri equ. officio c. 7. §. 15.* ita ut *σκοπῶν σεαυτὸν* per attractionem (IV, 11.) pronominis proprie tantummodo ad membrum posterius pertinentis dicatur: leniter corrigite eum, qui deliquerit, *ita ut ipse tibi prospicias, ne solliciteris ad peccandum* (ne vel idem vel aliud peccatum committas, ne forte ipsa reprehensionis acerbitate et vehementia legem amoris Christiani transgrediaris); *sive* sensu magis proprio accipiatur: attente respicere, contemplari, *Philipp. 2, 4. 3, 17.: ita ut te ipse diligenter consideres*, veluti custodias, *ne* etc. Coniunctivus *πειρασθῇς* animum exprimit metuentem id quod fieri possit (ubi eventum non tam admodum probabile quam incertum enuntiare volueris) vd. Winer *Grammatik* etc. *ed. III. p. 421.* De potestate vb. *πειράζειν* ad *I. Thess. 3, 5.* diximus. Adhaeret haud dubie cogitatio hominis, qui sollicitationi vere cedat, *I. Corr. 7, 5. Jac. ep. 1, 13.* Praeceptum exstat simillimum *I. Corr. 10, 12. 13.* Ad lenitatem amplius commendandam pertinet v. 2. *Ἀλλήλων* etc. Quum tropice *βάρος* (onus) dicatur quodcunque est molestum et arduum (vd. ad *I. Thess. 2, 7.*), mirum videri non potest, quod h. l. translatum fuerit ad *vitia hominum singulorum*, non tantum ea de causa, quod aliis adferant molestiam, sed etiam, quod hominem ipsum vitia quibus laborat veluti onere premant, damnum peccanti adferant, eumque vituperio vel poenae reddant obnoxium. [Nolim cum Rückerto contendere, prius ad hunc locum omnino non pertinere, siquidem vb. *βαστάζειν* veluti sponte etiam hanc adducit cogitationem molestiarum, quas vitia hominum singulorum aliis facessunt.] *Alii aliorum onera gestate.* Non hoc postulatur, ut omnino parvi habeant vitia aliorum, sed, ut in iudicandis et corrigen-

dis exhibeant mansuetudinem. Similiter *βαστάζειν ἀσθενήματα Romm. 15, 1.* cfr. *Arrian. diss. Epict. I, 3, 2.* Aliis vbb. idem iniungitur *Ephh. 4, 2. Col. 3, 13. I. Thess. 5, 14.* Ex profanis vd. *Plinii epp. 8, 22. in. Marcus Anton. 11, 18.* Latius h. l. patere vim vocab. *βάρος* contendit **Matthies** ad h. l. h. s. auxilio vos invicem sublevate in rebus arduis et molestis. Arbitrarium quippe existimat interpretationem eorum qui *βάρος* de hac una specie rerum molestarum (vitiis) intelligi volunt. Quantum equidem video, in ea quae h. l. obtinet sermonis serie (v. 1. et 3.) facile quivis de vitiis cogitat. Gravitas huius praecepti declaratur: *καὶ οὕτως* etc. Compositum *ἀναπληροῦν* vim nullam habere videtur singularem. Mensura v. c. peccatorum et *πληροῦσθαι* et *ἀναπληροῦσθαι* (impleri) dicitur sensu haud diverso *Matth. 23, 32. I. Thess. 2, 16. Προφητεία* dicitur *ἀναπληροῦσθαι Matth. 13, 14.* eodem sensu quo alibi *γραφὴ πληρ.* de effato scripturae s. quod eventu comprobatur. Similiter *νόμον ἀναπληροῦν* nihil differt a simplici v. *πληροῦν*, ubi de lege exacte et plene observanda sermo est, cfr. V, 14. Quanquam post verba quae vim habebant praecipiendi: *ἀλλήλων — βαστάζετε* facile exspectaveris inperativum qui *vulgo* legitur *ἀναπληρώσατε*: et hoc modo obsequium praestate perfectum legi Christ., non dubitavi tamen cum **Lachmanno** auctoritate *codd. Vatic.* et *Boerner.* (quibus nonnulli minuscc. consentiunt), *versss. Peschito Arabb. Aethiop. Slav. Vulg. It.* itemque **Asterii Tertull. Cypr.** et aliorum scripturam praeferre paulo difficiliorem **Rückerto** quoque probatam *ἀναπληρώσετε*: *quo facto* (huic praecepto obsequuti) *legem Christi implebitis*, ei prorsus satisfacietis. Patientia illa et mansuetudo coniunctissima est amori, quo summam legis divinae contineri doctrina et exemplum Christi probavit, *Matth. 7, 12. 22, 39. Marc. 11, 26. Jo. 13, 34. 15, 12.* Consulto eligitur vocab. *νόμος*, quo legi Mosaicae eiusque servandae studio pertinaci ac temerario *opponantur*, quae Jesu Christi doctrinae et vitae accommodate fieri debeant ab omnibus ei addictis. Quo iure Apostolus Christianis omnibus hoc praecipiendum putaverit, ut se invicem leniter tractent, amplius ex eo probatur, quod nemini

liceat, si veritatem profiteri velit, se liberum existimare a quovis vitio v. 3. *Εἰ γὰρ* etc. De usu emphatico voculae τὶ dignitatem quandam, praestantiam, praerogativam significanti ad II, 2. vidimus. Sed tota formula *δοκεῖν εἶναι τι* aliter dicitur quam II, 6. siquidem h. l. de opinione vana hominis sermo est qui sibi ipse placeat, de se suaque virtute meliusentiat, quam ex rei veritate sentire debeat, sibique videatur omnino non indigere indulgentia aliorum. Oppositum *μηδὲν* s. *οὐδὲν εἶναι* (profanis quoque haud incognitum, *Arr. diss. Epict. 2, 24. Plato Apol. Socr. c. 33.)* non ubique sensu adhibetur duriori, omnem laudem veram alicui denegante, *I. Corr. 13, 2.*, sed etiam sensu mitiori, de eo qui pretium *singulare* s. materiem laudes suas *coram Deo* praedicandi non habeat *II. Corr. 12, 11.* Usus formulae sensum duriorem admittentis huic loco egregie convenit, quum homines sibi placentes vitiositati magis quam alii, modeste sentientes, obnoxii esse soleant. *Φρεναπατᾶν* (mentem decipere) in N. T. *ἅπαξ λεγόμενον* nec profanis usitatum i. q. *ἀπατᾶν*, *Hesych.* int. *χλευάζειν*. Substant. *φρεναπάτης ad Titum 1, 10. Si quis enim* (ait) *esse aliquid sibi videtur, qui nihil sit* (non habeat quod glorietur et supra alios sese efferat); *se ipse animo fallit.* Concedimus, sententiam prodire commodam probanda eorum interpretatione, qui vbb. *μηδὲν ὤν* propius connectant membro praedicatum enuntianti *ἑαυτὸν φρεναπατᾷ*. h. s. si quis eximius sibi esse videtur, se ipse decipit propterea quod nihil est iudice Deo (cfr. Michaelis et Baumgarten ad h. l.), sive: propterea, quod per hanc ipsam arrogantiam vanam nihil fit (damnatur), quo sensu Hieron. et Paulus interpretati sunt. Facilior tamen apparet, si collocationem verborum spectaveris, explicatio plerisque probata. Opponitur modestia hominis qui se ipse non deceperit, opinioni vanae indulgens, sed animum vitamque probe exploraverit v. 4. *Τὸ δὲ ἔργον* etc. Universam agendi rationem complectitur h. l. *τὸ ἔργον*, *I. Petri 1, 17. Apocal. 22, 12.* Quaeritur autem, quomodo tandem, si quis suam agendi rationem *examinaverit* (de *δοκιμάζειν* vd. ad *I. Thess. 2, 4. 5, 21.)*, ulla gloriandi causa (*καύχημα*) *inde* sequatur? Quid enim, si,

facta exploratione, multo potius reprehensioni obnoxiam esse quam laude dignam intellexerit? Proinde nonnulli vb. *δοκιμαζέτω* sensu rariori dictum existimant: quisque suam agendi rationem ita componat, ut Deo probari possit (ut *ἔργον* fiat *δόκιμον*). Cfr. Michaelis Rambach Rückert ad h. l. Quanquam sententiam lucramur satis aptam, parum certo tamen exploratam habemus hanc significationem vb. *δοκιμάζειν*. Plerique *καὶ τότε* admodum breviter dictum volunt pro: *καὶ ἐὰν δοκιμὸν ἑαυτὸν* s. *τὸ ἔργον ἑαυτοῦ εὑρίσκῃ* etc.: atque si probam viderit suam vitae rationem etc. Exempla eiusmodi breviloquentiae ex *Matth. 6, 33. I. Corr. 11, 28.* Borger ad h. l. aliique attulerunt. Quantum equidem video, his non indigemus, dummodo partim perpenderimus, sermonem esse de hominibus Christo addictis qui tramitem persequantur virtutis (quod vitam universe spectatam attinet), etsi interdum vacillent aut labantur, partim sententiam verborum *καύχημα ἕξει εἰς ἑαυτὸν* recte perspexerimus. Substantivum *καύχημα*, profanis haud incognitum de laudatione vana et iactatione, apud scriptores sacros etiam sensu meliori usurpatum, et de ipso gloriandi actu dic. *II. Corr. 5, 12. Hebrr. 3, 6.* et de materia gloriandi *Romm. 4, 2. I. Corr. 9, 16. al.* hebr. תְּהִלָּה *Deuter. 10, 21. 26, 19.* Proinde, qui verbo *ἔχειν* h. l. cum Koppio significationem *tenendi, retinendi* vindicant (*Jo. 14, 21. II. Timoth. 1, 13. I. Petri 2, 12.*), verba *εἰς ἑαυτὸν* etc. duplici modo interpretantur, *vel: gloriationem apud se retinebit*, in animo suo veluti conclusam tenebit, i. q. intelliget ab omni gloriat. coram aliis abstinendum esse, *vel* (quod fere idem): *laudem suam* (rem de qua gloriari posse sibi videatur) *sibi soli tenebit*, in sua ipsius conscientia laeta acquiescet nec supra alios sese efferet. Utrumque hoc premitur incommodo, quod sententia, quam verbis *οὐκ εἰς τὸν ἕτερον*, ut recte sibi constet oppositio, vindicari oporteat (si *ἔχειν* in membro priori sensu *tenendi* accipiatur), parum commode et perspicue hac ratione enuntietur. Quomodo enim dicitur quis gloriationem suam s. laudem tenere s. retinere *εἰς τὸν ἕτερον*? Quodsi et vb. *ἔχειν* et praepositionem *εἰς* in utroque membro diversimode intelligi volueris (ut *εἰς τὸν ἕτερον*: *contra alterum*

Luc. 12, 10. II. Corr. 11, 10.), quae durities existat, facile sentis. Qui propriam vim vb. ἔχειν (recte, opinor) tenere vertere solent: exploratione diligenter instituta *sibi soli gloriatione utetur* s. *gloriandi materiam habebit*, recte factorum sibi conscius (εἰς ἑαυτὸν i. q. *κατὰ σεαυτὸν Romm. 14, 22* ad sententiam cfr. *II. Corr. 1, 12.)*. Hac ratione probata vbb. opposita vel hoc modo accipiuntur: *nec aliis habebit gloriandi materiem* s. nec utetur gloriat. quod alios attinet (non tantas in se ipso reperiet laudes quibus apud alios quoque se efferat εἰς τὸν ἕτερον pro πρὸς τὸν ἑτ. *Romm. 4, 2.* cfr. Winer) vel: *nec habebit gloriat. contra alios*, non ita gloriabitur ut alios habeat deteriores, sive, ut laudem quaerat ex conditione deteriori aliorum, cfrr. Grotius et Borger ad h. l. [Quo minus futuro ἕξει cum nonnullis intt. vis *cohortandi* tribuatur. ἐχέτω, impedit quod Apostolus haud dubie consulto ab imperativo δοκιμαζέτω ad formam futuri in membro posteriore transiit, quo spem certam exprimeret, hominem Christianum, si vitam suam probe exploraverit, hoc esse facturum.] Attamen haec totius loci interpretatio non omni caret difficultate, quum verba εἰς ἑαυτὸν μόνον etc. hoc modo intellecta omnino licitum et homini Christiano accommodatum pronuntiare videantur, ut quis coram se ipso laudes praedicet suas, cui sententiae et verba v. 3. et alia Pauli effata, quae modestiam summam commendant, prorsus contradicant. Ad notionem quippe simplicem conscientiae recti exprimendam non satis apta videtur formula plus involvens εἰς ἑαυτὸν καύχημα ἔχειν. Senserunt hoc ii interprr. veterum, qui Paulum haec dicere perhibent non praecipientem, sed accommodatione utentem συγκαταβαίνοντα (cfr. Chrysost.). Malim praepositionem εἰς in utroque membro eodem plane sensu interpretari, de eo ad quem dirigatur gloriatio, sive (accuratius) contra quem fiat. quem praepos. usum praeter alios illustr. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 338.* Sententia: exploratione facta *materiem glor. habebit* s. *gloriatione utetur* (si in eo veracitas fuerit et modestia Christ.) *tantummodo sui ipsius ratione habita*, *se ipsum sibi comparans* (haec vel illa honeste facta et decreta quae homo Christ. in vita sua et interna et externa probe ex-

plorata animadverterit, aliis quae ipse minus laudabiliter senserit et egerit praeferens, sive vitam suam recentius actam ei, quam olim egerit, praestare intelligens, vd. Theophyl. ad h. l.), *non ratione habita aliorum, non aliis sese comparans, quos universe deteriores iudicet*, quod facere solent, qui, si quam virtutem cuius conscientia laeta utantur in altero desideraverint, hunc universe inferiorem habent ac vilipendunt. [Vocula *μόνον* post *ἑαυτὸν*, ad integritatem quidem sententiae haud necessaria, satis munita tamen auctoritate externa, quum nonnisi in verss. *Peschito* et *Aethiop.* praetcrea apud Oecum. desideretur]. Qua de causa aliter nequeat recte facere, qui suam vitae rationem probe exploraverit, docetur v. 5. *Ἕκαστος γὰρ* etc. *Quisque enim suum onus gestabit.* *Φορτίον* (onus, *Actt. 27, 10. Xenoph. memorr. III, 13, 6.*) pariter atque v. 2. *βάρος* tropice dic. de *vitiis* singulorum. Maluerunt Calvinus Michaelis aliique, Hieronymo praeeunte, sententiam intelligi in iudicio divino aliquando reportandam s. poenam futuram. Comparare omnino licet et phrasin *κρίμα βαστάζειν* C. V. v. 10. explicatam, et locum *Ps. 38, 5. LXX.* ubi culpa peccatorum, quatenus hominem miserum reddit, מַשָּׂא כָּבֵד dicitur. Simil. Borger cum Theodoreto totam formulam de ratione Deo olim in iudicio reddenda interpretatus est. Nexus, si hanc rationem probaveris, versus 5. cum 4. duplici modo expediri potest, vel ita ut verbis: gloriatione non utetur *εἰς τὸν ἕτερον*, sententia cognata cogitando addatur: non damnabit alterum, si quid in eo desideraverit, iam causa sequatur: etenim (hoc probe persuasum habet) quisque olim Deo rationem reddet eorum quae peccaverit, sive sententiae divinae erit obnoxius, iudicium Deo permittendum, vel hoc modo: non efferet sese gloriando contra alterum, probe memor, se quoque olim pariter atque alium quemvis iudicatum iri a Deo, iudice sancto et omniscio, quem nulla hominis labes fugiat. Mihi quidem facilior esse videtur sententiarum series, si *vitium* hominis sub *φορτίῳ* intellexeris: Nemo est (ait) cui non luctandum sit cum sua ipsius infirmitate, etsi studio virtutis profecerit et laudabilia agat (testante ipsius conscientia), homo tamen manet imperfectus. Cfr. Oecum.

Morus Rosenmüller Winer alii. Sponte patet, amplius doceri verbis sic intellectis, quantopere homini Christiano, qui τὸ ἔργον ἑαυτοῦ probe exploraverit, illa agendi ratio conveniat, quam vbb. v. 4. καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν etc. descripserint. Concedimus tamen, hoc: quisque premitur suis vitiis, *simul* involvere cogitationem (quae pro ipsa rei natura sponte adnectatur) animadversionis eorum quae quisque peccaverit divinae, cui *obnoxii* simus. Neminem mirum habeat, quod Apostolus futurum βαστάσει adhibere maluerit, quam praesens βαστάζει, sive hoc fecerit ut continuaret descriptionem illius cogitandi et sentiendi rationis, quae veram sui ipsius explorationem necessario sequatur v. 4. exhibitam (quoad sensum: intelliget eiusmodi homo, sibi quoque suam veluti sarcinam esse impositam), sive ut declararet, quemvis hominem per totam vitam terrestrem manere imperfectum, veluti sarcinam in itinere vitae ad finem usque portantem (quo sensu φορτίον *Sirac. 21, 16.*).

His arcte cohaeret, quae sequitur, cohortatio universa ad veram vitae honestatem studio indefesso exercendam, persuasioni de iudicio iustissimo olim futuro coniunctissimam.

V. 6 – 10. *Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς.* (v. 7.) *Μὴ πλανᾶσθε· θεὸς οὐ μυκτηρίζεται· ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει.* (v. 8.) *Ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν· ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον.* (v. 9.) *Τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐγκακῶμεν· καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν μὴ ἐκλυόμενοι.* (v. 10.) *Ἄρα οὖν, ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως.*

V. 6. Satis usitatum est vb. κοινωνεῖν de iis, qui in societatem, s. communionem vel rei cuiusdam vel hominis veniunt, eius participes s. consortes sunt aut fiunt, sequente modo *genitivo* obiecti, *Hebrr. 2, 14. Xenoph. memorr. II, 6, 22. 23. de republ. Lacedd. I, 9.*, modo *dativo Romm. 15, 27. I. Timoth. 5, 22. I. Petri 4, 13. II. Jo. v. 11. Plato republ. l. 5.*

c. 4. p. 208. ed. Ast. interdum etiam *dativo personae,* in cuius communionem venias, et *genitivo rei,* ad quam communio spectet, *Aelian. var. hist. 3, 17. Lucian. de conscrib. hist. c. 4. Herodian. II, 11, 3.* Quanquam non demonstratum est, quod plures contendunt, idem verbum *per se spectatum* etiam *significationem* habuisse *activam* aliquem rei cuiusdam participem reddendi s. impertiendi, interdum tamen, si *sensum* spectaveris ex tota verborum serie prodeuntem, utique ad notionem communicandi pertinet, ubi de eo sermo est, qui in societatem cum homine quodam eiusve conditione, fortuna, necessitatibus ita venit, ut ei impertiatur, quibus indigeat, auxilio eum sublevet, *Romm. 12, 13.* ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες: in communionem venite cum necessitatibus hominum Deo consecratorum (opitulamini iis), *Philipp. 4, 15.* οὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησεν εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως: alia ecclesia nulla tum temporis mecum in communionem venit quod rationem attinet dati et accepti i. q. alia nulla mihi largita est, quorum causa gratias referrem. Κατηχεῖν secundum etymon: circumsonare, sono hominem quendam s. locum implere, v. c. *Lucian. in Jove trag. c. 39.* haud raro i. q. viva voce edocere, instituere, sq. accusativo et rei quae traditur narrando s. docendo, et hominis cui traditur, *Lucian. asin. c. 48. Joseph. de vita sua c. 65. I. Corr. 14, 19.* Passivum κατηχεῖσθαι et accusativus rei excipit *Actt. 18, 25.* κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου, *Sextus Empir. Astrol. c. 5.* et περὶ τινος *Actt. 21, 21. Luc. 1, 4. Plutarch. de fluminibus T. VI. p. 448.* ed. Tauchn. Ad sententiam totius loci definiendam de eo potissimum videndum est, utrum πᾶσιν ἀγαθοῖς h. l. sensu morali dicatur: quaevis facta honesta, *Jo. ev. 5, 29. Ephess. 2, 10. al.,* an bona terrestria cuiusque generis facultates opes significet, *Luc. 1, 53. 12, 18. 19. Xenoph. Oecon. 1, 18. Hiero 11, 12.* Quodsi prius probatum fuerit, κοινωνείτω refertur ad κατηχούμενον, quatenus *accipit: qui edocetur de doctrina divina* (quo sensu λόγος frequenter obvenire in N. F. *I. Thess. 1, 6.* et al. vidimus) *cum eo, qui docet, in communionem veniat in quavis re honesta* (ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς pro πάντων ἀγαθῶν) i. e.

Morus Rosenmüller Winer alii. Sponte
doceri verbis sic intellectis, quantopere homini
τὸ ἔργον ἑαυτοῦ probe exploraverit, illa a
niat, quam vbb. v. 4. καὶ τότε εἰς ἑαυτ
Concedimus tamen, hoc: quisque prem
involvere cogitationem (quae pro ipsa
ctatur) animadversionis eorum quae
nae, cui *obnoxii* simus. Neminem
stolus futurum βασάσει adhibe
βασάζει, sive hoc fecerit ut
cogitandi et sentiendi rationis,
tionem necessario sequatur
intelliget eiusmodi homo, sib
impositam), sive ut decl
vitam terrestrem manere
vitae ad finem usque
21, 16.).

His arcte cohae
veram vitae honest
sioni de iudicio i

V. 6 —
λόγον τῷ
πλανᾶσθε
ἄνθρωπ
εἰς τὴ
ὁ δὲ
ζωὴ
καὶ

quisque capiet,
otissimum in commu-
usque doctorum. Qui con-
oribus evangelii praestandae inesse
cesse est, Apostolum v. 6. nulla an-
nexus sententiarum interioris subito ad co-
am transiisse (nisi cum Winero dixeris, quod
detur, Paulum, quum v. 4. 5. ea tetigisset, quae
quisque habere debeat, nunc ad haec descendere,
aliis *communicanda* sint). Quanquam in sectio-
nibus epistolarum Paulin. haud raro praecepta enun-
diversissimi generis, quae sibi invicem minus arcte co-
hae rent, in hac tamen ep. ad Galatas data fere ad finem us-
que magis accurata apparet sententiarum series. *Deinde*, quod
maxime observandum, si versum 6. de liberalitate doctoribus
praestanda interpretatus fueris, parum recte intelligitur, quo-
modo his cohaereat sententia universa, quae v. 7. 8. haud ex-
igua sermonis gravitate recte facientibus salutem aeternam pro-
mittit, male facientibus miseriam comminatur. Eiusmodi *quippe*

totam fere vitam Christianam (ἐν πνεύματι
potissimum doctoribus exhibenda referant,
ibi usus est, quanquam hanc liberalitatem
6. sqq. Nec ullo constat testimonio,
eunte coniecerunt, Galatas admo-
gessisse erga doctores. Immo
explicuimus intellecta oppo-
εἰς τὸν ἕτερον. Quo qui-
v. 7. sqq. ad eam sen-
vimus. Sic evanes-
ückerto aliisque
etc. Familiaris
decipiamini,
aturi sunt, qua
rore pernicioso, cui
9. 15, 33. I. Jo. 3, 7.
t P. ne quis se ipse decipiat,
(v. 4. 5.), de vitiis suis parum
orro indulgeat, securus animadversio-
(addit) *sibi illudi non patitur*. Μυκτη-
F. ἅπαξ λεγόμενον) pr. naso adunco sus-
niverse i. q. deridere aliquem, *Sextus Empir. adv.*
c. 10. I. Maccabb. 7, 34. LXX. Proverbb. 1, 30. 15,
Jerem. 20, 7. hebrr. בָּזָה, לָעַג, נָאַץ. Apud *Quinctil.*
instit. orat. VIII, 6, §. 59. ed. Wolf. T. II. p. 122. μυκτηρισμὸς definitur: dissimulatus quidam sed non latens derisus. Deus (ait) non permittit, ut sibi irrideatur (quemadmodum μὴ νικῶ *Romm. 12, 21.*: ne vinci te patiaris, *I. Corr. 6, 7.* ἀδικεῖσθαι: iniuriam patienter ferre), i. e. non patitur praecepta sua et comminationes parvi haberi, quod ii faciunt, qui vitiis secure indulgent, sibi placentes, tanquam si Deus vel ignorare possit ullum hominis peccatum, vel nequeat omnia punire. Sententia, quam huic effato inesse voluerunt Ambros. (nemini dubium est, Deo imposturam fieri non posse) et Oecum. (οὐκ ἀπατᾶται) probata etiam Borgero et Flattio: Deum iustissimum et omniscium fallere non potestis excusationibus vanis, an verbis simpliciter spectatis recte vindicetur dubitamus, etsi

Morus Rosenmüller Winer alii. Sponte patet, amplius doceri verbis sic intellectis, quantopere homini Christiano, qui τὸ ἔργον ἑαυτοῦ probe exploraverit, illa agendi ratio conveniat, quam vbb. v. 4. καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν etc. descripserint. Concedimus tamen, hoc: quisque premitur suis vitiis, simul involvere cogitationem (quae pro ipsa rei natura sponte adnectatur) animadversionis eorum quae quisque peccaverit divinae, cui *obnoxii* simus. Neminem mirum habeat, quod Apostolus futurum βαστάσει adhibere maluerit, quam praesens βαστάζει, sive hoc fecerit ut continuaret descriptionem illius cogitandi et sentiendi rationis, quae veram sui ipsius explorationem necessario sequatur v. 4. exhibitam (quoad sensum: intelliget eiusmodi homo, sibi quoque suam veluti sarcinam esse impositam), sive ut declararet, quemvis hominem per totam vitam terrestrem manere imperfectum, veluti sarcinam in itinere vitae ad finem usque portantem (quo sensu φορτίον *Sirac. 21, 16.*).

His arcte cohaeret, quae sequitur, cohortatio universa ad veram vitae honestatem studio indefesso exercendam, persuasioni de iudicio iustissimo olim futuro coniunctissimam.

V. 6 – 10. *Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς.* (v. 7.) *Μὴ πλανᾶσθε· θεὸς οὐ μυκτηρίζεται· ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει.* (v. 8.) *Ὅτι ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν, ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον.* (v. 9.) *Τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐγκακῶμεν· καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν μὴ ἐκλυόμενοι.* (v. 10.) *Ἄρα οὖν, ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως.*

V. 6. Satis usitatum est vb. κοινωνεῖν de iis, qui in societatem, s. communionem vel rei cuiusdam vel hominis veniunt, eius participes s. consortes sunt aut fiunt, sequente modo *genitivo* obiecti, *Hebrr. 2, 14. Xenoph. memorr. II, 6, 22. 23 de republ. Lacedd. I, 9.*, modo *dativo Romm. 15, 27. I. Timoth. 5, 22. I. Petri 4, 13. II. Jo. v. 11. Plato republ. l. 5.*

formulis, quae totam fere vitam Christianam (ἐν πνεύματι actam) ad beneficia potissimum doctoribus exhibenda referant, Apostolus nunquam alibi usus est, quanquam hanc liberalitatem commendavit *I. Corr. 9, 6. sqq.* Nec ullo constat testimonio, quod nonnulli Koppio praeeunte coniecerunt, Galatas admodum avaros immo crudeles se gessisse erga doctores. Immo verba v. 6. eo sensu quem supra explicuimus intellecta *opponuntur* illi (v. 4.) καύχημα ἔχειν εἰς τὸν ἕτερον. Quo quidem opposito enuntiato *redit* Apostolus v. 7. sqq. ad eam sententiarum seriem, quam v. 3. 4. 5. cognovimus. Sic evanescunt difficultates, quas initium commatis 7. Rückerto aliisque interpretibus peperit. V. 7. Μὴ πλανᾶσθε etc. Familiaris est sermoni Apostolorum form. μὴ πλανᾶσθε: *ne decipiamini*, ubi cum gravitate singulari sententiam enuntiaturi sunt, qua lectores avocentur et deterreantur ab errore pernicioso, cui facile possint indulgere, *I. Corr. 6, 9. 15, 33. I. Jo. 3, 7. Jac. 1, 16.* Cavendum esse docet P. ne quis se ipse decipiat, quum sua virtute superbiat (v. 4. 5.), de vitiis suis parum nihilve cogitet, iisque porro indulgeat, securus animadversionis divinae. *Deus* (addit) *sibi illudi non patitur.* Μυκτηρίζειν (in N. F. ἅπαξ λεγόμενον) pr. naso adunco suspendere, universe i. q. deridere aliquem, *Sextus Empir. adv. gramm. c. 10. I. Maccabb. 7, 34. LXX. Proverbb. 1, 30. 15, 5. 20. Jerem. 20, 7.* hebrr. בָּזָה, לָעַג, נָאַץ. Apud *Quinctil. instit. orat. VIII, 6, §. 59.* ed. Wolf. T. II. p. 122. μυκτηρισμὸς definitur: dissimulatus quidam sed non latens derisus. ...us (ait) non permittit, ut sibi irrideatur (quemadmodum μὴ ... *Romm. 12, 21.*: ne vinci te patiaris, *I. Corr. 6, 7.* ἀδικεῖσθαι: iniuriam patienter ferre), i. e. non patitur praecepta ...t comminationes parvi haberi, quod ii faciunt, qui vitiis ... indulgent, sibi placentes, tanquam si Deus vel ignorare ... ullum hominis peccatum, vel nequeat omnia punire. Sen... quam huic effato inesse voluerunt Ambros. (nemini ...est, Deo imposturam fieri non posse) et Oecum. (οὐκ ...) probata etiam Borgero et Flattio: Deum iustis... mniscium fallere non potestis excusationibus vanis, ...mpliciter spectatis recte vindicetur dubitamus, etsi

quae doctor honeste cogitaverit et fecerit, ille etiam (discipulus) cogitet et faciat, doctoris sermone et exemplo ad perfectiorem Jesu Christi cognitionem et virtutem ei accommodatam perveniat (cfr. Ambros. ad h. l. Phil. Hennicke *de nexu loci ad Gal. 6, 1—10. Lips. 1788. 4.* J. P. Mynster *kl. theol. Schriften, Kopenhagen, 1825. p. 70.* Matthies ad h. l.). Sin posterius praeferatur (cum Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Hieron. Calvino Koppio Borgero Flattio Winero Rückerto), κοινωνείτω ad κατηχούμενον pertinet, quatenus *dat τῷ κατηχοῦντι: qui docetur cum docente in communionem veniat, quod bona vitae attinet,* opes suas cum eo communicet, liberalem se gerat erga doctorem. Sed prius duplici argumento maxime commendatur. *Primum* quidem iis, quae proxime praecedebant. Audivimus Paulum v. 4. 5. haec dicentem: etsi homo Christo addictus virtute profecerit, aliquam tamen portat vitiorum sarcinam, nec habet, quod gloriando se ipse comparet aliis, quos deteriores habeat, quorum vitia captet sibi placiturus. His egregie adnectitur sententia v. 6.: attamen sedulo quisque captet, quae vere bona sint in aliis, discipuli potissimum in communionem veniant intelligentiae virtutisque doctorum. Qui commendationem liberalitatis doctoribus evangelii praestandae inesse existimant, concedant necesse est, Apostolum v. 6. nulla amplius ratione habita nexus sententiarum interioris subito ad cohortationem novam transiisse (nisi cum Winero dixeris, quod operosius videtur, Paulum, quum v. 4. 5. ea tetigisset, quae *priva* sibi quisque habere debeat, nunc ad haec descendere, quae cum aliis *communicanda* sint). Quanquam in sectionibus postremis epistolarum Paulin. haud raro praecepta enunciantur diversissimi generis, quae sibi invicem minus arcte cohaereant, in hac tamen ep. ad Galatas data fere ad finem usque magis accurata apparet sententiarum series. *Deinde,* quod maxime observandum, si versum 6. de liberalitate doctoribus praestanda interpretatus fueris, parum recte intelligitur, quomodo his cohaereat sententia universa, quae v. 7. 8. haud exigua sermonis gravitate recte facientibus salutem aeternam promittit, male facientibus miseriam comminatur. Eiusmodi quippe

formulis, quae totam fere vitam Christianam (ἐν πνεύματι actam) ad beneficia potissimum doctoribus exhibenda referant, Apostolus nunquam alibi usus est, quanquam hanc liberalitatem commendavit *I. Corr. 9, 6. sqq.* Nec ullo constat testimonio, quod nonnulli Koppio praeeunte coniecerunt, Galatas admodum avaros immo crudeles se gessisse erga doctores. Immo verba v. 6. eo sensu quem supra explicuimus intellecta *opponuntur* illi (v. 4.) καύχημα ἔχειν εἰς τὸν ἕτερον. Quo quidem opposito enuntiato *redit* Apostolus v. 7. sqq. ad eam sententiarum seriem, quam v. 3. 4. 5. cognovimus. Sic evanescunt difficultates, quas initium commatis 7. Rückerto aliisque interpretibus peperit. V. 7. Μὴ πλανᾶσθε etc. Familiaris est sermoni Apostolorum form. μὴ πλανᾶσθε: *ne decipiamini*, ubi cum gravitate singulari sententiam enuntiaturi sunt, qua lectores avocentur et deterreantur ab errore pernicioso, cui facile possint indulgere, *I. Corr. 6, 9. 15, 33. I. Jo. 3, 7. Jac. 1, 16.* Cavendum esse docet P. ne quis se ipse decipiat, quum sua virtute superbiat (v. 4. 5.), de vitiis suis parum nihilve cogitet, iisque porro indulgeat, securus animadversionis divinae. *Deus* (addit) *sibi illudi non patitur.* Μυκτηρίζειν (in N. F. ἅπαξ λεγόμενον) pr. naso adunco suspendere, universe i. q. deridere aliquem, *Sextus Empir. adv. gramm. c. 10. I. Maccabb. 7, 34. LXX. Proverbb. 1, 30. 15, 5. 20. Jerem. 20, 7.* hebrr. בָּזָה, לָעַג, נָאַץ. Apud *Quinctil. instit. orat. VIII, 6, §. 59.* ed. Wolf. T. II. p. 122. μυκτηρισμὸς definitur: dissimulatus quidam sed non latens derisus. Deus (ait) non permittit, ut sibi irrideatur (quemadmodum μὴ νικῶ *Romm. 12, 21.*: ne vinci te patiaris, *I. Corr. 6, 7.* ἀδικεῖσθαι: iniuriam patienter ferre), i. e. non patitur praecepta sua et comminationes parvi haberi, quod ii faciunt, qui vitiis secure indulgent, sibi placentes, tanquam si Deus vel ignorare possit ullum hominis peccatum, vel nequeat omnia punire. Sententia, quam huic effato inesse voluerunt Ambros. (nemini dubium est, Deo imposturam fieri non posse) et Oecum. (οὐκ ἀπατᾶται) probata etiam Borgero et Flattio: Deum iustissimum et omniscium fallere non potestis excusationibus vanis, an verbis simpliciter spectatis recte vindicetur dubitamus, etsi

lubenter concedimus, notionem circumveniendi, s. fallendi aliquem haud alienam esse a notione irridendi. Immutabilitatem potissimum et efficacitatem summam eorum, quae Deus decreverit de punienda quavis improbitate, remuneranda probitate h. l. animo tenuit Apostolus. Sequitur enim: ὃ γὰρ ἐὰν etc. Vocula ἐὰν pro natura sua conditionali et h. l. et aliis locis N. F. ubi ὃς ἐάν, ᾧ ἐάν, ὅ τι ἐάν et similia leguntur, utique habet, in quo offendas. Concedimus, quoties talia apud scriptores classicos obveniant, scribendum esse ἄν (Hermann ad Vigerum *de idiot. gr. Vol. II. p. 795. ed. 1802.*). Nolim eadem confidentia cum Lachmanno et Wahlio (*Claris N. T. ed. II. T. I. p. 58.*) loca corrigere N. F. contra omnem codd. et patrum auctoritatem, quum Graeci seriores in vita communi ἄν et ἐὰν interdum promiscue adhibuisse haud improbabiliter existimentur, vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 257.* *Quaecunque enim* (ait Apostolus) *homo severit, ea metet*, i. q. (vd. v. 8.) olim sortem accipiet iis quae in hac terra fecerit prorsus accommodatam; prouti in hac vita vel male vel bene se gesserit, in altera vel miseriae erit obnoxius vel salute vera fruetur. Locutio est proverbialis universe de iis usurpata, quae pro diversa factorum natura consequantur, *I. Corr. 9, 11. II. Corr. 9, 6. Proverbb. 22, 8. Aristot. rhetor. III, 3, 18. Cic. de orat. 2, 65.* (ut sementem feceris, ita metes). Sententia communis transfertur in seqq. ad illa vitae genera diversissima, de quibus V, 17. sqq. sermo fuerat, ita ut natura hominis et inferior sensibus indulgens (σαρξ) et praestantior per Spiritum div. animata (πνεῦμα) agris comparetur, qui conserantur, frugesque proferant diversissimas indoli seminis convenientes. Non dixerim cum Rückerto, imaginem seminis iam prorsus cedere imagini agrorum. Solent quippe pro varia agrorum indole *diversa seminum genera* adhiberi. V. 8. Ὅτι ὁ σπείρων etc. *Siquidem, qui in carne sua serit* (qui se totum addixerit carni, s. qui cupiditates pravas foveat, altasque radices agere patiatur, fruges inde exspectans) *ex carne metet perniciem.* Φθορά et de corruptione, interitu, morte sensu physico dic. *I. Corr. 15, 42. 50. LXX. Michae 2, 10. Herodian. I, 12, 2. 6. Plato Timaeus p. 15.* ed. Lin-

dau, et de summa animi depravatione, *Coloss. 2, 22. II. Petri 1, 4. 2, 12. 19. Plato republ. l. 6. c. 6. in. p. 264. ed. Ast.* Etsi Rückerto lubenter largiamur, non prorsus synonymum esse vocabuli ἀπώλεια (quod alibi in eiusmodi comminationibus leg. v. c. *Philipp. 3, 19.*) admodum facili tamen cogitationum serie corruptioni adnectitur miseria, cfr. *Romm. 8, 21.* ubi φθορά universe conditionem innuit fragilem et aerumnosam. Miseriam post mortem futuram iis, qui prave egerint, destinatam (alibi θάνατος, v. c. *Romm. 7, 5.*) h. l. intelligi iubet oppositum ζωὴ αἰώνιος. Causam, quare Apost. maluerit φθοράν scribere, quam ἀπώλειαν, hanc fuisse putamus, quod simul ad significationem vocabuli σὰρξ *propriam* respiceret, atque de sorte *carnis* inevitabili, corruptione qua in putredinem abit, cogitaret (qui severit in carne, ea percipiet quae carni corruptioni obnoxiae conveniant). Ceterum nolim cum nonnullis contendere, Apostolum h. l. praesertim doctores vanos ante oculos habuisse, qui circumcisionem Christianis commendarent. Comminatio enuntiatur, quae universe valeat (cfr. V, 19. sqq.) ad Christianos imbecilliores, quales in Galatia pariter atque in aliis coetibus fuerunt, a vitiositate graviter deterrendos. [Quod in codd. *Clarem. Sangerm. Aug. Boerner.* in verss. *Aethiop.* et *It.* itemque apud Chrysost. et Theodor. post τῆς σαρκὸς additur αὐτοῦ, speciem habet glossematis ex antecedd. profecti.] Opponuntur haec: *qui vero in spiritu severit* (se totum addixerit naturae praestantiori per Spiritum div. animatae, adfectus nutriens nobiliores, pietati Christ. toto animo deditus) *ex spiritu metet vitam beatam aeternam.* Non est, quod fusius demonstremus, substantivum ζωὴ haud raro, praesertim in formula ζωὴ αἰώνιος in evangeliis (maxime Jo.) et epistolis Paulinis atque Joanneis frequenter obvia emphatice dici de vita *beata* (de voc. αἰών vd. ad I, 4. 5.). Qua de causa eorum intt. sententiae calculum non addamus, qui τὸ σπείρειν εἰς τὴν σάρκα sensu angustiori de usu perverso pecuniae, σπ. εἰς τὸ πν. de usu rei familiaris honesto, v. c. ad liberalitatem erga doctores evang. exercendam, interpretati sunt (vd. Morus *dissertt. theoll. et philoll. p. 150. sqq.*), ex iis patet, quae de v. 6. recte intel-

ligendo diximus. Adnectit Apostolus, vocula δέ usus, quae saepenumero orationi simpliciter continuandae inservit, cohortationem ad *constantiam* huius agendi rationis, quae serat in πνεύματι v. 9. Τὸ δὲ etc. *Nolite autem recte agendo defatigari.* Cfr. ad *II. Thess. 3, 13.* obs. Pro vulg. ἐκκακῶμεν cum Lachmanno formam ἐγκακῶμεν, quam usus loquendi postulat, auctoritate codd. *Alex. Vatic. Clarem.* edendam curavimus. Similiter cetera N. F. loca corrigenda, ubi vulgo ἐκκακεῖν legitur. Argumentum additur movens ex antecedd. depromtum καιρῷ γὰρ etc. *suo enim* (divinitus constituto) *tempore metemus* (ζωὴν αἰώνιον), *modo ne deficiamus.* Ἐκλύεσθαι: exsolvi, dissolvi, unde: minui, debilitari, modo de iis usurpatur, qui corpore defatigantur, languescunt, *Matth. 15, 32. LXX. I. Sam. 14, 28. I. Maccabb. 3, 17. Theocr. id. 10, 7.* modo de hominibus animo deficientibus, animum despondentibus, *Hebrr. 12, 3. 5. LXX. Deuter. 20,* 3. *Diod. Sic. 20, 1.* Usus loquendi neque permittit, ut Lutherum Wolfium Boltenium allosque sequamur vertentes: metemus continuo, sine intermissione, neque iis favet qui praeuntibus Theodor. Theophyl. Oecum. Apostolum hoc sibi voluisse existimant: eiusmodi messem faciemus, qua non defatigemur, quemadmodum messores in hac terra inter laborem arduum languescunt (sic enim, quod scite monuit Rückert, scripturus fuisset Apostolus οὐκ ἐκλυόμενοι). Conditio declaratur, ex qua pendeat τὸ θερίζειν: dummodo nos constantes geramus, nec animum abiiciamus inter contentiones tentationes vexationes virtutis studio coniunctas. Sequitur inde, sedulo adhibendam esse quamvis opportunitatem nostrum virtutis studium factis comprobandi, v. 10. Ἄρα οὖν etc. Καιρὸν ἔχειν frequenter dic. Graecis, cui opportunitas aliquid faciendi contigit, *Aristot. de republ. V, 10. Polyb. 40, 10.* vd. Wetsten. ad h. l. Simil. καιρὸς de tempore ad aliquam rem opportuno *Jo. ev. 7, 6. Actt. 24, 25.* Quo sensu dicatur ὡς καιρὸν ἔχομεν dissentiunt. Satis commoda evadit sententia, si cum Wolfio Hombergio Boltenio Zacharia verteris: *prouti* opportunitas nobis contigerit. Desideramus tamen particulam ἄν (cfr. *I. Corr. 12, 2.* ὡς ἂν ἤγεσθε), neque

negari potest, sermoni Paulino hoc sensu magis familiare fuisse καθώς. Alii (Michaelis Koppe Scholz Paulus) voculae ὡς vim tribuunt causalem: quum, quoniam. Nec his interprr. rationes linguae obstare dixerim. Etenim, quum ὡς frequenter inserviat convenientiae cuidam duarum rerum significandae, facile etiam in hac vel illa orationis serie ad causam s. rationem moventem transferri potuit (proprie: accommodate ei, quod opportunitatem habemus, i. q. *quoniam* opport. habemus). Eodem sensu leg. *II. Timoth. 1, 3.* Apud profanos interdum similiter usurpari ὡς: nam, siquidem (quanquam in eiusmodi tantum enuntiationibus, quae ad nullam referantur apodosin) exempla docent Heindorfio laudd. ad *Platonis Gorgiam §. 81. p. 113.* Malim tamen sententiae accedere intt. veterum (cfr. Peschito Vulg. Chrysost. Theophyl. Hieron. Ambros. quibuscum Erasmus Beza Grotius Morus Flatt Rückert Matthies faciunt), inservire h. l. tempori denotando: *quamdiu, dum opportunitatem habemus.* Nolumus quidem ὡς simpliciter synonymum haberi voculae ἕως. At nemo dubitat interdum h. s. dici: eo tempore quo, *Platonis Euthyphron c. 4. Jo. ev. 2, 23.* (unde: quoties, *Herodot. 1, 17.*). Quidni etiam h. l. vertatur: eo tempore quo s. quoties opportunitas nobis contingit, i. e. si sensum spectaveris: quamdiu etc.? Cfr. *Luc. 12, 58.* Huic interpretationi maxime favet, quod Apostolus h. l. *constantiam* recte agendi commendat, et v. 9. mentionem fecerat *messis instantis.* Quando messis apparuerit, dudum praeterito tempore serendi, non amplius καιρὸν ἔχομεν. Vb. ἐργάζεσθαι a potestate angustiori: opus facere (praesertim de manuum labore, vd. ad *I. Thessall. 2, 9.* obs.) transfertur ad latiorem peragendi, sive de factis agatur malis (ἐργάζεσθαι ἀνομίαν *Matth. 7, 23.*) sive de bonis et honestis (ἐργάζ. τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ *Jo. ev. 9, 4.* ἐργαζ. δικαιοσύνην *Actt. 10, 35.*). Quanquam phrasis ἐργαζ. τὸ ἀγαθὸν universe possit studium recte factorum cuiusque generis innuere, *Romm. 2, 10.*, verba tamen seqq. πρὸς πάντας etc. ostendunt, eatenus potissimum hoc studium praedicari, quatenus salutem aliorum adiuvet. Sic ἀγαθὸν de beneficio, re salutari *Romm. 8, 28. 10, 15. 12, 21.*,

quemadmodum ἔργον καλὸν ἐργάζεσθαι εἴς τινα *Matth. 26, 10.* Quum tropice dicatur οἰκεῖος τινος, qui rei cuidam aut homini propius est coniunctus, *Strabo I,* 1. Wesseling ad *Diod. Sic. 13, 91.* liceat quidem genitivum τῆς πίστεως hoc sensu ad οἰκείους referre: *qui coniuncti* s. *addicti sunt persuasioni Christianae* i. q. οἱ πιστεύοντες (cfr. Koppe Borger Winer ad h. l.). Sed vix putaverim Apostolum formulam verbosiorem (alibi nunquam sic positam) adhibuisse, ut notionem Christianorum universam simpliciter exprimeret. Causam, opinor, indicaturus erat, quare nostrum recte factorum studium praesertim (μάλιστα, *I. Timoth. 4, 10.*) erga Christianos vim suam beneficam exserere debeat. Quae causa facile patet, dummodo (quod Michaelis Baumgarten Rambach Rückert praeferunt) οἰκείους τῆς πίστεως hoc sensu acceperis: *qui nobis propius coniuncti sunt quod attinet persuasionem Christianam* s. persuasione Christiana, *quos veluti domesticos habemus.* Neminem fugit haec propria vocab. οἰκεῖος significatio, *I. Tim. 5, 8. Herodian. VII, 3, 17. Xenoph. memorr. I, 2, 48.* Constat, ecclesiam Christianam cum οἶκῳ familia Dei comparari *Ephes. 2, 19. sqq. I. Tim. 3, 15.* Genitivus πίστεως accuratius explicat, cuiusnam rei respectu illi dicantur domestici (cfr. πτωχοὶ τοῦ κόσμου *Jacobi ep. 2, 5.*). Homines Christo addictos amor interior, qualem religionis communio sponte adfert, impellere debebat, ut opportunitate multiplici pro ratione illorum temporum iis oblata Christianos inter Judaeos atque Ethnicos magnopere vexatos auxilio sublevandi sedulo uterentur. [Nihil est, quod nos iubeat, Hieronymo praeeunte, doctores tantum evangelii intelligere sub οἰκείοις.]. *Itaque* (ait Ap.) *quamdiu opportunitate utimur, beneficia praestemus omnibus, maxime iis, qui domestici sunt, quod fidem Christo habitam attinet.* Ceterum pro ἐργαζώμεθα nonnulli codd. (in quibus *Alex.*) et *Oecum.* exhibent ἐργαζόμεθα, in ed. Lachmanni expressum, ubi legitur ἆρα οὖν ὡς etc. et post πίστεως signum interrogationis ponitur. Quod parum recte fieri verissime observ. Rückert ad h. l. quum vbb. μάλιστα δέ etc. si totum comma interrogationem habueris, languidiora appareant, nec voc. ἄρα

in sermone Paulino *sequente* οὖν inserviat interrogando. Facilius dixeris cum Winero, indicativum h. l. cum emphasi positum (facimus pro: facere nos oportet). Attamen scriptura vulg. satis munita est auctoritate externa.

Redit Apostolus sub finem epistolae ad rem primariam Galatis maxime inculcandam, fugiendos esse doctores vanos, qui terrestria tantum cogitantes circumcisionem commendent, suumque testatur studium iis quae illi moliantur prorsus oppositum.

V. 11 — 15. *Ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί.* (v. 12.) *Ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, οὗτοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκωνται.* (v. 13.) *Οὐδὲ γὰρ οἱ περιτεμνόμενοι αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν, ἀλλὰ θέλουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι, ἵνα ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται.* (v. 14.) *Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται κἀγὼ τῷ κόσμῳ.* (v. 15.) *Οὔτε γάρ περιτομή τι ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις.*

V. 11. Si usum loquendi tenueris, quo vocab. *πηλίκος* de *quantitate* magnitudine interrogat (*LXX. Zachar. 2, 2. Polyb. I, 2, 8. Hebrr. 7, 4.* ubi ad magnitudinem dignitatis transfertur), verba huius comm. duplici modo intelligi possunt, prouti *γράμματα* vel sensu proprio de *characteribus litterarum* interpretatus fueris (*Ammon. Grammat. sub v. γράμμα, Diog. Laërt. VII, 56. Luc. 23, 38.*): *videte, quam grandibus litteris vobis scripserim mea ipsius manu,* quod sic intelligi volunt: *quam deformes pinxerim litteras* dexteritatis scribendi expers (Chrysost. Theodor. Theophyl. Oecum. Hieron. Semler Winer Rückert), vel de *epistola litteris consignata Actt. 28, 21. Polyb. 28, 11. Herodian. II, 10, 1. IV, 10, 8. al.* h. s. *videte, quantam* quam longam *vobis scripserim epistolam etc.* (Erasmus Bengel Morus Matthies Borger). Interpretatio prior, nisi omnia me fallunt, obscuritate quadam sententiae premitur haud facile tollenda. Quid enim fuit, quod Apostolus lectores epistolae ad

proceritatem litterarum (charactt.) attentos redderet? Voluitne curam Galatarum, quam gesserit, eximiam declarare, quae fecerit ut deficiente litteras bene pingendi dexteritate *sua tamen manu* praeter consuetudinem (cfr. ad *II. Thess.* 3, 17. obs.) epistolam totam exararet? Tum, opinor, sufficiebat dixisse *τῇ ἐμῇ χειρί*. Supervacaneum apparet eiusmodi additamentum, quo granditas potissimum litterarum notaretur, nisi dixeris (quod nexui huius sermonis parum videtur accommodatum) Apostolum orationem usurpasse iocosam. Accedit quod granditas characterum per se spectata absque eiusmodi deformitate cogitari potest, quae hominem scribendi parum peritum arguat. Praestat voc. *πηλίκοις* ad *ambitum* referre *totius epistolae*. Etsi enim pro vulgari loquendi ratione exspectaveris accusativum *πηλίκα γράμματα* sive *πηλίκην ἐπιστολήν*, non prorsus tamen desideramus exempla permutationis ablativi (graec. dativi) et accusativi, ubi res ipsa nomine substantivo indicata ita considerari potest, ut actioni quae verbo indicatur definiendae inserviat, v. c. *εἰπὲ λόγῳ Matth.* 8, 8. Lc. 7, 7. Neque obstat, quod haec epistola ad Gal. non potuit longa appellari, si aliis Pauli epistolis (ad Romanos et Corinthh.) comparetur. Longa omnino dici poterat, vel, quatenus ipse sua manu exaraverat totam (quum plerasque ceterarum epistolarum scribae dictaret, exceptis paucis sub finem additis), vel ea de causa, quod *illo tempore* longiorem nondum scripserat. Amorem suum paternum de conditione Galatarum vere Christiana, propter doctores vanos haud parum periclitante, magnopere sollicitum ita testificatus fuerat, ut litteras, quibus illos ab errore pernicioso revocaret, praeter consuetudinem absque mora *ipse* exararet. Nolebat quippe hoc negotium differre, donec scribam, cui epistola dictaretur, in promtu haberet. Nisi coniicere malueris, noluisse Apostolum quaecunque haec epistola severe notatura esset in Galatis, vel scribae cuidam vel per scribam aliis innotescere, qui illo tempore Ephesi apud Paulum commorarentur. Plerique existimant has litteras propterea ipsius Apost. manu scriptas fuisse, ut omnes agnoscerent originem eius vere Paulinam, aut, ne forte per aliam epistolam, quae nomen Pauli mentita fuisset, decl-

erentur. Nos cum Rückerto opponimus, hoc satis caveri otuisse, si Apostolus more consueto salutationem tantum potremam ipse consignaret. Eandem sententiam commati explicato vindicant, qui voc. *πηλίκοις* de multitudine accipiunt (cfr. Grotius et Rosenmüller ad h. l.): *videte quam multis illeris usus*, quam copiose, *vobis scripserim* etc. Sed neque hacc vocabuli potestas satis explorata est, nec universa qualitatis significatio, apud *Hesychium* quidem commemorata, quam nonnulli intt. (v. c. Vulg. et Hieron.) amplectuntur: videte uali litterarum ductu vobis scripserim etc. Ceterum vb. *ἴδετε* rohibet, quominus coniecturam Hieronymi Grotii Semleri Bolteni aliorumque probemus, qui illud *ἔγραψα τῇ μῇ χειρί* ad eam tantum epistolae partem referri voluerint, uae ab hoc loco ad finem usque pertineat. Jam vero sibi, morem de Galatis sollicitum huius ipsius epistolae consignatione palam profitenti, opponit Apostolus doctores vanos Galatis ugiendos v. 12. *Ὅσοι θέλουσιν* etc. Vb. *εὐπροσωπεῖν* in N. F. semel obvium, nec apud profanos obveniens quanquam similiter composita habent, *σεμνοπροσωπεῖν*, *φαιοπροσωπεῖν*) haud dubie i. q. speciem prae se ferre honestam, quae aliis facile placeat. Dicitur enim *εὐπρόσωπος*, qui aciem habet honestam s. pulcram s. hilarem, *Xenoph. memorabb. I, 3, 10. Herod. l. 7. c. 168. Sophocl. Aiax v. 1028.* d. Wetsten. et Wolf in *curis* ad h. l. Parum accurate ormulli hanc totam form. *εὐπροσωπεῖν ἐν σαρκὶ* vert. delicate ivere, carni indulgere. Immo praeter usum quem modo lustravimus adiectivi *εὐπρόσωπος* etiam vbb. sqq. *μόνον ἵνα ᾖ*) etc. V. 13. *ἵνα ἐν τῇ* etc. et quae v. 14. opponuntur *ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι* etc. (collata formula simili *I. Corr. 5, 12. καυχᾶσθαι ἐν προσώπῳ*) huiusmodi interpretationem efflagitant: qui placere studeat eiusmodi rebus quae d hominem externum pertineant, qui laudem captet ex rebus xternis (cfr. Chrysost. Theophyl. Hieron. Ambros. inter recentiores Koppe Noesselt *opusce. fascic. II. p. 198.* latt Winer Rückert). Concedimus de circumcisione otissimum cogitasse Apostolum, quippe qua sedulo iniungenda Christianis doctores vani, Christum praedicantes, simul Judaeis

vellent commendari, ne ipsos a lege Mosaica defecisse dicerent. Attamen in explicando voc. σὰρξ notio universa rerum externarum (III, 3.) ideo tenenda, quod Paulus his vbb. causam, quare homines illi circumcisionem studiose commendent, proferre voluit, in universa illorum cogitandi sentiendique ratione rebus externis s. mundanis dedita ppsitam. [Eadem de causa nolim Oecumenio adsentiri ἐν σαρκὶ pro ἐν ἀνθρώποις accipienti, apud homines s. coram hominibus.] *Quicunque eiusmodi rebus, quae ad carnem pertinent, speciem honestam prae se ferre volunt, ii vos circumcidi cogunt* i. q. graviter impellunt ad circumcisionem, cfr. de ἀναγκαζ. II. 3. 14. Amplius explicatur illud θελουσιν εὐπροσ. verbis μόνον ἵνα etc. Haud exigua quidem auctoritate commendatur scriptura codd. *Alex. Vatic. Ephr.* reser. *Clarem. Sangerm.* aliorumque minuscc. verss. *Peschito* et *Vulg.* patrumque Augustini Hieron. Pelag. apud Lachmannum expressa: ἵνα τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ μὴ διώκωνται. Durior tamen apparet haec vocularum ἵνα μὴ seiunctio interpositis τῷ στ. τοῦ Χρ. Nec putaverim Apostolum hoc dicendi genus singulare propterea usurpasse, ut animos lectorum ad notionem τοῦ σταυροῦ prae ceteris converteret. Sic enim scribendum fuerat μόνον τῷ σταυρῷ τοῦ Χρ. ἵνα μὴ διώκ. Vbb. τῷ σταυρῷ τοῦ Χρ. non dubitamus cum Erasmo Calixto Borgero Flattio Rückerto aliisque h. l. de *doctrina Jesum Chr. in cruce mortuum praedicante* interpretari, cfr. ad *Gal. 5, 11.* obs. ita ut dativus causae significandae inserviat. *Romm. 11, 20. II. Corr. 2, 12. Antonin. Philos. l. 8. §. 1. Thucyd. I, 83.* vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 175. sq.* Vos circumcidi iubent, *tantummodo ne ipsi propter praedicationem Christi in crucem acti persecutionem subeant.* Interpretatio aliis probata (Hieronymo Luthero Grotio Semlero Michaeli Koppio Moro Winero): ne ipsi vexentur *adflictionibus, quae similes sint malis a Christo in cruce toleratis*, defendi quodammodo possit effatis *Marc. 8, 34. 10, 21. Matth. 10, 38.* Nec usus loquendi repudiat hanc versionem (in comment. Flattii commemoratam): ne ipsi vexentur *calamitatibus propter Christum perferendis*, cfr. phra-

sis similis *παθήματα Χρ. II. Corr. 1, 5. θλίψεις Χρ. Col. 1, 24. ὀνειδισμὸς Χρ. Hebrr. 11, 26.* Acquiescere nos iubet in explicatione supra commendata et locus huius ep. V, 11. (quod Apost. l. l. professus fuerat de vexationibus sibi illatis propter doctrinam de lege Mosaica per mortem Christi sublata, etiam h. l. ante oculos ei obversatum esse videtur) et huius cap. v. 14. Quo magis Judaei in eo offendebant, quod Christiani hominem in cruce mortuum profitebantur Messiam, veramque salutem ex morte eius pendere persuasum habebant; eo studiosius doctores illi vani a Paulo notati, ut Judaeis placerent, minori certe essent offensioni, circumcisionem praedicabant, tanquam si ipsi prorsus non cogitarent de abrogatione legis Mosaicae. Sic autem non faciebant ex pia legis observantia, sed meram gloriolam captantes v. 13. *Οὐδὲ γὰρ* etc. Facile quisque intelligit, dummodo vbb. contulerit membri posterioris *ἀλλὰ θέλουσιν* etc. participio *περιτεμνόμενοι* eosdem innui *doctores vanos*, necessitatem circumcisionis urgentes, quos Apost. v. 12. notaverat, non eos qui illorum auctoritate impellerentur ad circumcisionem subeundam. Mirum videtur quod (secundum lect. vulg.) dicantur *περιτεμνόμενοι*, quum doctores *Judaeo-Christiani dudum* fuissent circumcisi. Exspectaveris *περιτετμημένοι* (*I. Corr. 7, 18.*) quod auctoritate codicis *Vatic.* cui plures minuscc. diversarum familiarum consentiunt apud Lachmannum in textum est receptum, Rinckio quoque probatum (lucubr. crit. in Acta etc. p. 177. sq.) cui scriptura vulg. ex verbo seq. *περιτέμνεσθαι* profecta esse videtur aberrantibus oculis librariorum. Nec mihi in promptu est defensio lectionis receptae (siquidem, quo minus praesens pro praeterito accipiatur, rationes linguae impediunt) nisi existimaveris, Apostolum, quum diceret *οἱ περιτεμνόμενοι*, de eiusmodi potissimum praeconibus circumcisionis cogitavisse, qui, quum olim fuissent Proselyti Judd. circumcisionis expertes (Prosel. portae), inde ad sacra Christiana transiissent, nunc demum Judaeis placituri circumciderentur. *Φυλάσσειν* haud raro de iis, qui legem quandam agendo observant, *Actt. 7, 53. 16, 4. Romm. 2, 26. al. Aelian. V. H. 2, 31. Herodian. VIII, 7, 8. Neque enim*

(ait) *ipsi qui circumciduntur legem* Mos. *observant*, i. e. amplius non curant legem praeter circumcisionem, cetera eius statuta ipsi negligunt, *πῶς γὰρ* (verba sunt Theodoreti) *ἔστιν αὐτοὺς φυλάξαι τὸν νόμον πόρρω τῶν Ἱεροσολύμων διάγοντας; πῶς ἐπιτελοῦσι τὰς ἑορτάς; πῶς τὰς θυσίας προσφέρουσι; πῶς ἀκαθάρτων ἁπτόμενοι περιῤῥαίνονται:* (Remotior est sententia, cuius ope nonnulli cum Hieronymo effatum Paul. interpretantur: lex non potest perfecte impleri propter imbecillitatem humanam.) Quo patet, nolle eos re vera esse Judaeos, nec pietate, qua legem venerentur, impelli ad circumcisionem praedicandam, *ἀλλὰ θέλουσιν* al. *sed vos tantum volunt circumcidi, ut de carne vestra possint gloriari* (*καυχᾶσθαι* vd. ad *II. Thess. 1, 4.*). Sententia primaria eadem manet, sive *σαρκὶ* sensu pr. de carne *mutilata* circumcisa acceperis (cui interpret. simillima est quam Koppe commendat, praeputium ipsum abscissum intelligens), sive universe de *conditione externa* ad carnem pertinente qualis est hominis circumcisi (vd. supra v. 12.): hanc apud Judaeos captantes ex eo, quod auctoritate sua eos impulerint ad circumcisionem subeundam. Huic perversae doctorum vanorum opponit Paulus suam agendi rationem v. 14. *Ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο* etc. Quam parum Apost. eiusmodi gloriolam expetat, qualem illi captent, formula profitetur quae graviter exprimat animum aliquid deprecantem et aversantem *ἐμοὶ μὴ γένοιτο* hebr. חָלִילָה לִי מִן *Genes. 44, 7. Jos. 24, 16.* nec profanis incognita *Alciphr. epp. l. 1. ep. 26.* cfr. loca apud Raphel. in *adnott. ex Polybio* laudd. *A me vero longe absit, ut glorier, nisi de cruce Domini nostri Jesu Christi*, i. e. de eo, quod Christum in cruce mortuum habeam Servatorem, nec aliunde (ex rebus Judaicis) salutem veram exspectem (*ὅτι ὁ Χριστὸς*, ait Chrysost., *δι' ἐμὲ δούλου μορφὴν ἀνέλαβε, καὶ ἔπαθεν, ἅπερ ἔπαθε δι' ἐμὲ τὸν δοῦλον τὸν ἔχθρον τὸν ἀγνώμονα*, simil. Oecumen. ad h. l.). Sic enim vbb. *ἐν τῷ σταυρῷ* etc. h. l. intelligenda esse (non de aerumnis propter Christum toleratis) et argumentum docet v. 15. et consilium Apostoli satis perspicuum, persuasioni atque doctrinae illorum, quos v. 12. 13. notaverat, suam oppo-

nendi. Cfrr. Borger et Rückert ad h. l. Ad sententiam illustrandam vd. *I. Corr. 1, 17. 23. 2, 2.* Commemoratio Christi in cruce mortui facile adducebat ex more cogitandi et loquendi Paulino tropicam illam moriendi notionem, quam supra II, 19. 20. cognovimus, ubi Apost. profitebatur, se legi Mos. esse mortuum, veluti cum Christo in crucem actum, i. e. se, ex quo tempore Jesum in cruce mortuum recte cognovisset salutis verae auctorem, prorsus abiecisse pristinam cogitandi et sentiendi rationem, cui olim tanquam Judaeus esset addictus: δι' οὗ ἐμοὶ etc. Sententia haud mutatur, sive pronomen οὗ propius ad subiectum Χριστοῦ retuleris, sive ad remotius σταυροῦ. Quae h. l. facta praedicantur, pariter dici poterant effecta per mortem Jesu cruentam, atque per ipsum Christum quatenus in cruce est mortuus. Κόσμος in N. F. et de *hominibus* usurpatur *profanis* (*oppon.* iis qui per Christum Deo sunt consecrati) vd. ad IV, 3. obs. et de eiusmodi *rebus ac studiis, quae prorsus aliena sunt ab indole et ingenio Christi* eiusque doctrinae et oeconomiae, quae tantummodo ad terram, felicitatem terrestrem, vanam hominum laudem pertinent *I. Corr. 7, 31. 33. sq. II. Corr. 7, 10. Jac. 4, 4. I. Jo. 2, 15. 16.* In hac orationis serie praesertim tenenda significatio posterior, quanquam haud negamus, *simul* ad homines respici, quatenus Paulus, ex quo tempore Christum recte cognovisset, non amplius penderet ex opinionibus et iudiciis hominum profanorum. Ἐσταύρωται pro ἀπέθανε ponitur, siquidem ex eo mortis genere quod Christus in cruce subiit causa derivatur, quare prorsus desierit quae olim esset Pauli cum κόσμῳ coniunctio. Haec enim notio universa rationis mutuae quae olim κόσμον inter et Paulum (Pharisaeum, Christianis vexandis laudem synedrii captantem, lege Mosaica observanda favorem Dei ambientem) fuerit prorsus sublatae, imagine mortis adhibita (vd. II, 20. V, 24. *Romn. 6, 2. 6. 7, 4.*) enuntiatione proponitur reciproca, qualem *Jo. 6, 56. II. Thess. 1, 12.* legimus (quod Koppe Flatt Borger Winer Rückert verissime intellexerunt): *per quem* Christum *et mundus mihi in crucem actus est et ego mundo.* Alter pro mortuo habet alterum. Illa rerum terrenarum stu-

dia hominumque profanorum (Judaei maxime intelligg.) iudicia tam parum me tangunt, meamque voluntatem adficiant, si omnino non amplius adsint. Ego tam parum illa curo, si omnino non amplius cohaeream rebus mundanis hominibusque huius saeculi (mortui instar). Bene Chrysostomus (consentiente Theophyl.) *οὔτε αὐτὰ [τὰ βιωτικὰ] ἐλεῖν δύνανται καὶ χειρώσασθαι, νεκρὰ γὰρ ἔστιν ἅπαξ, οὐδὲ ἐγὼ ἐπιθυμῆσαι αὐτῶν, νεκρὸς γὰρ αὐτὸς εἰμὶ καὶ ἐμ*. Haec interpretatio et laudem habet simplicitatis, et prorsus accommodata est imagini mortis, qualem Paulus locis supra laudd. adhibuit. Eadem aliis vbb. dicc. *Philipp. 3, 7.* sq. Fuerunt qui parum recte *ἐμοὶ* pro *ὑπ' ἐμοῦ* et *τῷ κόσμῳ* pro *ὑπὸ τοῦ κόσμου* acciperent: mundus a me veluti crucifixus est, ego a mundo. Neque probatur, quod nonnulli vb. *ἐσταύρωται* ad meram cogitationem eius, a quo aliquis abhorret, referri voluerunt: ego res mundanas hominesque profanos fugio, vicissim illi me abominantur (sic *κόσμος* in membro extremo posteriori nimis angustis coërcetur limitibus). Ceterum non quidem apparet necessitas articuli *τῷ* ante *κόσμῳ* (vd. Winer *Grammatik etc. ed. III. p. 107—110.*), quem ed. Lachmanni auctoritate codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr. Claromont.* ex manu pr. *Aug. Boerner.* delevit. Verum quid fuerit, quod articulus textui adderetur, h. l. minus facile intelligitur, quam causa omissionis errore calami factae (propter syllabam post. vocabuli antec. *κἀγώ*). Sententiae modo enuntiatae argumentum additur ex indole oeconomiae novae per Christum institutae desumtum v. 15. *Οὔτε γάρ* etc. Quod nos edidimus *οὔτε γάρ περιτομή* etc., quanquam auctoritate externa cedere videtur lectioni vulgatae: *ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομὴ* etc. (exstat quippe l. brevior in cod. tantum *Vatic.* uno minusc. vers. *Aethiop.* apud Chrysost. Syncellum in *chron. p. 27.* Hieron. August. Ambros. similiterque verss. *Peschito* et *Sahid.* habent: *οὐ γὰρ περιτομή* etc.), praeferendum tamen iudicavimus cum Semlero Borgero Rinckio *lucubr. crit. in Acta etc. p. 178.* Vulgata speciem habet correctionis ex loco V, 6. margini adscriptae, tum textui illatae. Eadem fuit origo scripturae vulg

ἰσχύει (post περιτομή τι) cuius loco Mill Griesbach Knapp aliique verissime edidd. ἔστιν quod codd. omnes praestantiores verss. *Peschito Arab.* (ed. Erpen.) *Copt. Sahid. Aethiop. It.* ex patribus Hieron. August. Ambros. aliique habent. *Neque enim* (ait) *circumcisio aliquam vim habet* (de form. εἶναί τι vd. ad v. 3. observv.) *neque praeputium, sed nova creatura.* Κτίσις pr. effectio rei cuiusdam, *Sophocl. Trachinn.* v. 230., praesertim exstructio, v. c. urbis, coloniae, *Joseph. c. App. I, 2.*, in scriptura sacra pariter dic. de *actu* creationis *Romm. 1, 20.* atque de *rebus* creatis omnibus *Sapient. 16, 24. Hebrr. 4, 13.* sensu angustiori de naturis omnibus vita praeditis *Judith 16, 14.* praesertim de toto hominum genere *Marc. 16, 15. Coloss. 1, 23.* Quemadmodum verbum κτίζεσθαι tropice usurpatur de homine, qui fide Christo habita per Spiritum div. prorsus emendatur, veluti iterum creatur, secundum imaginem Dei *Ephess. 4, 24. 2, 10. 15.* alibi ἀναχαινοῦσθαι s. ἀνανεοῦσθαι *Col. 3, 10. II. Corr. 4, 16. Ephess. 4, 23.* (hebr. בָּרָא *Ps. 51, 12.* de effectione animi puri); ita κτίσις καινή h. l., praeeuntibus oppositis περιτομή et ἀκροβυστία quae ad statum externum pertinent, conditionem internam innuit hominis per Spir. div. prorsus immutati, in quo Christus vivat (II, 20.). Respondet formulae apud scriptores rabbinicos obvine בְּרִיָּה חֲדָשָׁה vd. Schoettgen. *horae hebr.* et Wetsten. ad *II. Corr. 5, 17.* ubi homo ipse veluti recens creatus κτίσις καινή appellatur (ἄνθρωπος καινὸς *Ephh. 2, 15. Col. 3, 10.*). Ad illustrandam sententiam cfr. insuper V, 6. et *I. Corr. 7, 19.* ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστιν, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν θεοῦ.

Hanc normam credendi agendique omnibus esse tenendam, qui Deo vere probari velint, ita profitetur Apostolus, ut precationem faustam adnectat.

V. 16. 17. 18. *Καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ.* (v. 17.) *Τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω· ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ (κυρίου) Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω.* (v. 18.) *Ἡ χάρις*

τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν, ἀδελφοί. ἀμήν.

V. 16. *Κανών* apud profanos satis usitatum de *norma* s. *regula*, secundum quam aliquid dirigendum est aut peragendum, v. c. de fune mensorio s. perpendiculo, ad quod aedificium exstruitur, *Eurip. Hippol. v. 468. Plat. Philebus p. 78. ex. ed. Fisch.* de mensura in saliendo observanda vd. Lamb. Bos *antiqq. grr. p. 88. ed. Leisn.* itemque de norma iudicandi et vivendi *Dionys. Halic. τέχνη ῥητορ. c. 11. §. 1. p. 324.* editionis quam Lipsiae a. 1804. curavi, *Eurip. Hecuba v. 602. Liban. epp. p. 638. ed. Wolf.* Praeter hunc locum ter occurrit in N. F. *II. Corr. 10, 13. 15. 16.* de finibus provinciae scriptis, quae alicui demandata est (loco enim *Philipp. 3, 16.* vocab. *κανόνι* spurium esse plerique recte largiuntur). Sed h. l. in promtu est persuasionem quam Apost. v. 15. enuntiaverat normam appellari, cui vitam accommodare debeant homines omnes Christo vere addicti. De usu vb. στοιχεῖν sq. dativo ad V, 25. vid. Quod pro vulg. *στοιχήσουσιν* in codd. *Alex. Ephr.* rescr. *Clarem. Sangerm.* Aug. *Boerner.* vers. *It.* apud Cyrill. Hieron. August. Ambros. exhibetur *στοιχοῦσιν* facile oriebatur ex vitio scribendi syllabis contrahendis. Futurum bene se habet, partim ad Christianos respiciens, qui illo tempore declinaverant a norma v. 15. proposita, emendatione indigentes, partim ad eos qui posthac transituri erant ad sacra Christiana. *Quotquot secundum hanc regulam incedent, iis continget* (s. *contingat*, utrumque enim et ἐστιν et ἔστω suppleri potest) *salus et misericordia.* Subst. ἔλεος, misericordia, (profanis haud incognitum, cfr. *Hom. Il. l. 24. v. 44. Herodian. IV, 5, 4. VI, 9, 6.*, quamquam profani formam tantum mascul. ὁ ἔλεος, non item neutrum τὸ ἔλεος habuisse videntur, quod utrumque in graecitate scriptorum sacr. occurrit) in N. F. et de *misericordia humana* dic. *Luc. 10, 37. Matth. 23, 23. al.* et de *divina Luc. 1, 50. 78. Ephes. 2, 4. Tit. 3, 5.* An benignitatem simpliciter unquam significaverit, parum certe exploratum habemus. Si sensum spectaveris, h. l. misericordiam innuit, *quatenus sese exserit* salute hominum per Christum reparanda. Proinde ἔλεος con-

iungitur cum εἰρήνη (*salute, I. Thess. 1, 1. Gal. 1, 3.*), cfr. salutatio ep. *Judae* v. 2. alibi cum εἰρήνη et χάρις *I. Tim. 1, 2. II. Tim. 1, 2. Tit. 1, 4. II. Jo. v. 3.* Ἐπὶ veluti de motu ad locum s. scopum quendam dic. *I. Thess. 2, 16.* quo sensu hebr. עַל in formulis fausta promittentibus et optantibus v. c. *Ps. 125, v. 5.* עַל־יִשְׂרָאֵל. Hunc locum ante oculos habuisse videtur Apost. in iis quae seqq. καὶ ἐπὶ etc. diversimode intellectis. Plures quippe (cfr. Baumgarten Bolten Borger Rosenmüller Winer Paulus) referunt haec ad singulos omnes Christo vere addictos, ad eosdem de quibus antea dicebatur στοιχήσουσιν τούτῳ τῷ κανόνι, voculae καὶ vim tribuentes explicandi s. definiendi: *id est Israelitis Deo consecratis* s. *quippe qui vere pertinent ad populum* [genit. τοῦ θεοῦ vel eodem sensu dic. quo in form. ἄνθρωπος θεοῦ *I. Tim. 6, 11.* vel ita ut auctorem innuat: populo quem Deus veluti peculium suum reddidit, cfr. εὐλογημένοι τοῦ πατρός *Matth. 25, 34.* vicissim Deus appell. θεὸς Ἰσραὴλ *Matth. 15, 31. Luc. 1, 68.*]. Haud temere quidem interprr. illi in auxilium vocant locum *Romn. 9, 6.* ubi Apostolus alludens ad significationem religiosam nominis Ἰσραὴλ etymo adnexam (*Genes. 32, 28. 35, 10.*) non omnes qui ab Abraamo, quod carnem attinet, stirpem ducant pro Israelitis veri nominis (qui vere pertineant ad populum Deo probatum) habendos esse profitetur, cfr. *Romn. 11, 5. 7.* ep. nostra III, 14. sqq. IV, 21. sqq. Neque negaverim voc. καὶ potestatem explicandi apud profanos habuisse, praeeuntibus locis Fritzschio laudd. ad *Matth. 1, 24. p. 52.* Ex scriptis vero Paulinis nemo adhuc locum excitavit nostro hac in re prorsus similem. Illud enim θεὸς καὶ πατήρ: Deus qui idem est pater, *I. Corr. 15, 24. Ephh. 4, 6. 5, 20. Col. 3, 17.* quum πατήρ, omisso articulo, substantivo θεὸς per voc. καὶ proxime adiungatur, differt omnino ab hoc loquendi genere ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ etc. Facilior est, quod voc. καὶ attinet, Koppii interpretatio, qui prius: ὅσοι τῷ κανόνι etc. ad Galatas potissimum pertinere existimat, posterius καὶ ἐπὶ τὸν etc. ad ceteros omnes omnium locorum qui Christo vere sint addicti. Malim tamen (quod Ambros. Beza

Grotius Bengel Morus Rückert Matthiae praeferunt) vbb. τὸν Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ sensu accipere proprio. Videtur quippe Apost. quum diceret καὶ ὅσοι τῷ κανόνι etc. praesertim de *Ethnico-Christianis* cogitasse. Ad hos enim natalibus non circumcisos proxime pertinebat, quod Apostolus v. 15. probe perpendendum esse monuerat, ne quis perperam cederet doctoribus vanis circumcisionem praedicantibus. Sic mirum videri non potest, quod Paulus, populares suos amore complexus quem loca similia *(Romm. 2, 9. 10. 9, 1. sqq.)* testantur, promissionem illam s. precationem faustam etiam de Christianis ex genere circumcisorum (de iis qui ex populo vetere Deo consecrato ad novum transiissent) separatim enuntiaverit. Omissio voculae καὶ in codd. *Clarem.* ex manu prima *Sangerm.* uno minuso, (probata Rinckio in *lucubr. crit. p. 178.*) exiguam habet auctoritatem, facile explicanda vel ex corrigendi studio (quum vocula h. l. difficultate quadam prematur) vel ex oculo festinante librarii. Scriptura codd. *Clarem.* ex manu pr. *Sangerm. Aug. Boerner.* κυρίου pro θεοῦ oculis debebatur librariorum ad vbb. v. 17. τοῦ κυρίου aberrantibus. Huic populo Deo consecrato (pergit Apost.) me ipse adcensere haud dubito, id quod palam profiteor contra adversarios; quaecunque in causa evangelii perpessus sum, testantur, me Christo vere esse addictum, nihil curantem praeter κτίσιν καινήν (v. 15.). Hoc enim, opinor, sententiarum nexu quem oratio Apostoli h. l. abruptior adfectum spirans paulo obscuriorem reddidit, cohaeret v. 16. sequenti v. 17. Τοῦ λοιποῦ etc. Τοῦ λοιποῦ suppl. χρόνου frequenter i. q. *porro, posthac Herodot. 3, 15. Xenoph. Oecon. c. 10. §. 9. Herodian. VIII, 4, 17.* vd. Koppe Wetsten. Borger Winer ad h. l. Parum recte olim plerique, commate post λοιποῦ posito, verterunt: ceterum, quod reliquum est, τοῦ λοιποῦ permutantes cum λοιπὸν *(I. Thess. 4, 1.)*. Κόπους παρέχειν scriptoribus N. F. eodem sensu solenne quo profanis πράγματα παρέχειν, negotia facessere, molestias exhibere, *Matth. 26, 10. Luc. 11, 7.* Cuiusnam generis κόπος intelligatur? varie quaesitum. Alii praeeunte Hieronymo: ceterum labores mihi nemo exhibeat, ne rursus in vobis neces-

sitatem habeam laborandi. Alii (ut Calvin.): nemo mihi molestus fiat contradicendo iis quae pro veritate dixi divina. Alii (Chrysost. Theophyl. Ambros. Baumgarten): ne quis exspectet, me unquam alia esse scripturum (quae his litteris scripsi, rata sint in perpetuum). Simil. Theodoretus: *οὐκέτι γράψω τι πάλιν ἀνέξομαι.* Alii (ut Wolf. in curis) universe: nemo vestrum me amplius vexet. Quum verba quae proxime seqq. documenta externa constantiae commemorent, qua Paulus usus fuerit in praedicanda vera de Christo doctrina, malim cum Oecumenio Flattio Rückerto *τὸ κόπους παρέχειν* ad aerumnas referre ex obtrectatione malevola hominum oriundas, qui dixerint, Apostolum parum sibi constare, quum modo abrogationem legis Mos. per Christum factam defendat, et circumcisionem reliciat, modo hos ritus Judaicos commendet, cedatque doctoribus Judaismo faventibus. In definiendo nexu verbb. *κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω* cum seqq. Pauli mentem parum assequuntur, qui eum hoc sibi voluisse existimant: nemo amplius negotia mihi facessat, satis quippe malorum experto in causa Christi. Nunquam enim detrectavit immo gloriae sibi duxit mala propter Christum toleranda. Causa profertur, quare calumniatores istos malevolos tandem aliquando silere oporteat: *ἐγὼ γὰρ τὰ* etc. *Στίγματα* (in N. F. *ἅπαξ λεγόμενον*) pr. puncta, quae instrumenti acuti ope infiguntur, praesertim de notis usurpatur corpori inustis. Quod fieri solebat partim in servis, militibus, captivis, hominibus facinorosis, vel poenae causa, vel quo facilius, si forte anfugissent, deprehenderentur, *Herodot. 7, 233. Aelian. V. H. 2, 9. Cic. de off. 2, 7. Veget. de re mil. 2, 5. Seneca de ira 3, 3.* cfr. Wetsten. ad h. l., partim in iis qui Numini cuidam in perpetuum se consecraverant, *Lucian. Opp. ed. Reitz. Vol. III. p. 489. Prudentius περὶ στεφ. hymn. 14. v. 1076. sqq.* Zorn *bibliotheca antiquario-exegetica T. I.* Dresig *diss. de usu stigmatum apud vett. Lips. 1733.* Eiusmodi notis comparat Paulus externa amoris sui quo totus Christo adhaereat documenta, *vestigia malorum* quae in administrando munere evangelii recte et constanter praedicandi perpessus fuerat, verberum, vincu-

lorum, lapidationis (*II. Corr. 4, 10. 11, 23. sqq.*) *corpori suo impressa* [paulo argutius nonnulli haec signa opponi existimant circumcisioni, notae Judaeorum]. *Notas quippe Domini Jesu in corpore meo gesto.* Suspectum habemus κυρίου ante Ἰησοῦ, omissum quippe in codd. *Alex. Vatic. Ephr. rescr.* verss. *Arabb. Aethiop. Arm.* Mature hic vs. additamentis locupletatus esse videtur, quum codd. *Clarom.* ex manu pr. *Aug. Boerner. Peschito* locum sic exhibeant: στίγματα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ etc. De sensu huius genit. accuratius definiendo quaeritur, utrum Ap. hoc sibi voluerit: *notas malorum quales ipse Jesus cruci adfixus corpore suo gestavit, II. Corr. 4, 10.* πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες (cfr. Morus et Borger ad h. l.), an: *notas malorum, quae propter Jesum sustinui*, vd. loca ad v. 12. laudata (sic Oecum. Grotius Rosenmüller Flatt Winer al.), an denique: *notas mal. quae me insigniant Jesu addictum*, quibus me ministrum suum insigniri voluit Jesus (cfr. Calvin. Schoettgen. *horae hebr. T. I. p. 754.* Baumgarten Koppe Rückert). Secunda pariter ac tertia interpretatio (utraque enim, si rem primariam consideraveris, ab altera parum differt) consilio huius effati Paulini prorsus est accommodata. Paulo remotior videtur a nexu huius sermonis ea sententia, quam prima suppeditat. Finis imponitur epistolae precatione fausta v. 18. Ἡ χάρις etc. *Gratia Domini nostri Jesu Christi adsit, fratres, animis vestris. Sic fiat!* Cfr. ad *Philem. v. 25. II. Tim. 4, 22.* Egregie Apostolus (quod dudum viderunt intt. vett. Chrysost. et Theophyl.) Galatis hoc modo valedicit: μετὰ τοῦ πνεύματος etc. quo altius impressa animis Galatarum inhaereat persuasio, salutem veram non pendere ex σαρκὶ, immo totam in eo positam esse, quod animus humanus iuvante gratia Domini per Spiritum div. magis magisque illustretur et perficiatur. De subscriptione vulgo addita: πρὸς Γαλάτας ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης, vel prorsus vel ex parte omissa in codd. antiquioribus et hic illic additamentis aucta, idem valet, quod de omnibus subscriptionibus epistt. consensu unanimi conceditur, neminem Apostolorum eiusmodi notas subiecisse.

Index

vocum et locutionum quae in commentario uberius illustratae sunt.

ἀγαθωσύνη p. 195. sq.
ἀγάπη τοῦ θεοῦ p. 269.
ἁγιάζειν p. 167. sq.
ἁγιασμός p. 107.
ἅγιοι de angelis p. 104.
ἀδικεῖν p. 505.
ἀδικία p. 290. sq.
ἀήρ p. 136.
αἰών et αἰὼν οὗτος p. 325.
ἀκαθαρσία p. 60.
ἀκοή p. 77.
ἀκοὴ πίστεως p. 414. sq.
ἀκούειν p. 523.
ἀληθινὸς (θεὸς) p. 56.
ἀλληγορεῖν p. 524. sqq.
ἅμα p. 150. sq.
ἁμαρτωλοὶ p. 393. sq.
ἀναγινώσκειν p. 174.
ἀνάγκη p. 97.
ἀνάθεμα et ἀνάθημα p. 333. sq.
ἀνακόπτειν p. 551. sq.
ἀναπληροῦν p. 587.
ἀναστατοῦν p. 560.
ἀνέρχεσθαι p. 349.
ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας p. 209. sqq.
ἀντέχεσθαι τινὸς p. 157.
ἄνωθεν p. 498.
ἀξιοῦν τινα τινος p. 194.
ἅπαξ (καὶ ἅπαξ καὶ δίς) p. 86.
ἀπεκδέχεσθαι p. 549.
ἀπὸ quomodo differat ab ἐκ p. 66. et a διὰ p. 322. sq.
ἀποκαλύπτειν et ἀποκάλυψις. p. 339. sq.
ἀποκόπτεσθαι p. 560. sq.
ἀπολαμβάνειν p. 491.
ἀπορφανίζεσθαι p. 84.
ἀποστασία p. 208. sqq.
ἀπώλεια (υἱὸς τῆς ἀπωλείας) p. 210.
ἄρα p. 401. sq.
ἀπ' ἀρχῆς p. 257.
ἀσέλγεια p. 572. sq.
ἀσθένεια p. 505. sqq.
ἄτακτος p. 157.
Attractio grammatica p. 58.
αὐτὸς ad subiectum refertur supplendum p. 55.
αὐτοὶ sq. ὑμεῖς cum emphasi dic. p. 119.
βάρος p. 67.
βασκαίνειν p. 410. sq.
γιγνώσκειν p. 496. sq.
γράμματα p. 601. sq.
δέχεσθαι λόγον p. 50.
διαθήκη p. 437. sqq.
δίκαιος p. 395. sq.
δικαιοσύνη p. 421.
δικαιοῦν p. 396. sq.
δοκεῖν et δοκοῦντες εἶναι τι p. 362. sq.
δόξα κυρίου p. 259. sq.
δοξάζειν p. 265.
δωρεὰν p. 409.
ἐὰν pro ἄν p. 596.
εἰ μή an significet: verum s. attamen? p. 331.
εἰδέναι i. q. respicere, curare p. 154.
εἶδος p. 165. sq.
εἰδωλολατρεία p. 573.

Εἶναι s. *γίνεσθαι ἐν τινι* p. 64. *εἶναι μηδὲν* p. 588.
Εἰς sq. accusativo: quod attinet ad p. 47. 161. sq. cum infinitivo de effectu sive eventu necessario p. 81. cum accusativo de obiecto sermonis p. 443. de termino temporis ib.
Εἰς ἑαυτὸν p. 589.
Εἷς p. 465.
Ἐκλογὴ p. 46.
Ἐκλύεσθαι p. 598.
Ἔλεος p. 610. sq.
Ἐλευθερία p. 366.
Ἐλπὶς τοῦ Χριστοῦ p. 44.
Ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ p. 44. sq.
Ἐν inservit qualitati indicandae p. 47. an pro *σύν* dicatur? p. 425.
Ἐνδοξάζεσθαι p. 190.
Ἐνδύεσθαι p. 475.
Ἐνεργεῖσθαι p. 77. sq.
Ἐνι p. 476. sq.
Ἐνιαυτοὶ p. 499.
Ἐξαγοράζειν p. 432.
Ἐξέρχεσθαι de doctrina s. narratione p. 53.
Ἐξηγεῖσθαι p. 52.
Ἐπὶ cum dativo vel genitivo de rebus tempore iunctis p. 42. p. 97. sq. dativo et de conditione et de consilio p. 115. sq. accusativo de eo qui super aliquo stare, sedere, facere aliquid dicitur p. 211. sq.
Ἐπιδιατάσσεσθαι p. 438. sq.
Ἐπισυναγωγὴ p. 200. sq.
Ἐπιτελεῖσθαι p. 416.
Ἐπίτροπος p. 480. sq.
Ἐπιφάνεια p. 228.
Ἔργον τῆς πίστεως p. 43. sq.
Ἔργα νόμου p. 398. sq.
Ἐριθεία p. 575.
Εὐλογία p. 435.
Εὐπροσωπεῖν p. 603.
Εὑρίσκεσθαι p. 400. sq.
Ἐφίστασθαι p. 142.
Ἐχθρός τινος p. 513. sq.
Ζηλοῦν p. 514. sq.
Ζωὴ p. 467. sq.
Ζωοποιεῖν p. 468.
Ἡγεῖσθαι p. 155.
Ἡμέρα κυρίου p. 140. sq.
Θεὸς τῆς εἰρήνης p. 166. sq.
Θυμὸς p. 574.
Ἰμείρεσθαι p. 69.
Ἵνα dicitur *ἐκβατικῶς* p. 144. sq.
Καθὼς p. 177. sqq.
Καιρὸς (*πρὸς καιρὸν ὥρας*) p. 84. sq. differt a *χρόνῳ* p. 140.
Καλεῖν de Deo p. 329.
Καλοποιεῖν p. 276.
Κανὼν p. 610.
Καρπὸς p. 577.
Κατὰ sq. accusativo p. 339.
Καταδουλοῦν p. 367.
Καταλαμβάνειν p. 145.
Καταλύειν p. 408. sq.
Καταξιοῦσθαι p. 181.
Κατηχεῖν p. 593.
Κέλευσμα p. 132.
Κληρονομία p. 445. sq.
Κλῆσις p. 194.
Κοινωνεῖν p. 592. sq.
Κόπος τῆς ἀγάπης p. 44.
Κτᾶσθαι p. 109. sq.
Κτίσις et *κτίσις καινὴ* p. 609.
Κῶμος p. 576.
Λόγος κολακείας p. 64.
Λοιπὸν οὖν p. 104. sq.
Λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην p. 421.
Μαρτύρεσθαι et *μαρτυρεῖσθαι* p. 74.
Μεσίτης p. 451. sq.
Μετατίθεναι p. 328.
Μήπως p. 95.
Μυκτηρίζειν p. 595.
Μυστήριον p. 221. sq.
Νοῦς p. 202. sq.
Νόμος an de lege Christiana? p. 405. de vaticiniis V. T.? p. 406.
Νῦν et *καὶ νῦν* p. 219. sq.
Οἰκεῖος p. 600.
Ὁλόκληρος p. 171.
Ὁλοτελὴς p. 168.
Ὀμείρεσθαι p. 69.
Ὀρθοποδεῖν p. 389.
Οὔτε post *οὐδὲ* et *οὐκ* p. 60. sq.
Ὄφελον p. 559. sq.
Πάθημα p. 581.
Πάθος ἐπιθυμίας p. 111.
Παιδαγωγὸς p. 472.
Παράδοσις p. 260. sq. p. 344.
Παράκλησις p. 262.
Παραλαμβάνειν doctrinam et *δέχεσθαι* p. 76.
Παρουσία p. 88.

Πάσχειν p. 417.
Πείθειν p. 335. sqq. *πείθεσθαι τινι* p. 411.
Πειρασμὸς p. 553.
Περιεργάζεσθαι p. 274.
Περιλείπεσθαι p. 129.
Περιποίησις p. 149. sq.
Πιστεύεσθαι τι p. 61.
Πίστις πρὸς τὸν θεὸν p. 52.
Πλάνη quomodo a *δόλῳ* differat p. 60.
Πληροῦσθαι p. 564. sq.
Πληροφορία p. 48. sq.
Πλήρωμα τοῦ χρόνου p. 487. sq.
Πνεῦμα hominis a *ψυχῇ* quomodo differat p. 169. sq. de praedictione Spiritui divino perperam tributa p. 204. sq. de effectu Spiritus divini p. 161. coll. p. 416. sqq. 550.
Πνευματικοὶ p. 585.
Πραότης et *πραΰτης* p. 579.
Προγράφεσθαι p. 412. sq.
Προϊσταμένοι p. 153.
Προλαμβάνειν p. 584.
Πρὸς cum accusativo de motu ad locum, itemque de norma p. 390.
Προσανατίθεσθαι p. 347. 376.
Πρόσωπον, ἀπὸ προσώπου κυρίου p. 188. sqq. *πρόσ. λαμβάνειν* p. 375. *κατὰ πρόσωπον* p. 385.
Πρόφασις p. 64. sq.
Προφητεία p. 163. sq.
Πῦρ φλογός p. 185.
Ῥήσσειν elliptice p. 537.
Σαίνειν p. 92. sq.
Σάλπιγξ θεοῦ p. 133. sq.
Σάρξ καὶ αἷμα p. 347.
Σβεννύναι tropice p. 162. sq.
Σέβασμα p. 212. sq.
Σημειοῦσθαι p. 276. sq.
Σκεῦος (ἑαυτοῦ) p. 108. sqq.
Στέγειν p. 89.
Στέλλεσθαι p. 271.
Στίγματα p. 613. sq.
Στοιχεῖον et *στοιχεῖα τοῦ κόσμου* p. 483. sq.
Στύλοι p. 378.
Συγκλείειν p. 469.
Συνίστημι et *συνιστάνω* p. 404.
Συρία p. 356.
Συστοιχεῖν p. 590. sqq.
Τὸ absolute positum p. 93.
Τοῦ ante infinitivum p. 428.
Τῷ dativus commodi de consilio p. 92. sq.
Τιοθεσία p. 490.
Τιοὶ φωτός p. 146.
Ὑπερβαίνειν p. 111. sq.
Ὑπερβολή, καθ' ὑπερβολὴν p. 342.
Ὑπομονὴ τοῦ Χριστοῦ p. 269. sq.
Ὑποστέλλειν p. 388.
Φαρμακεία p. 573.
Φθάνειν p. 81. sqq.
Φθορὰ p. 596. sq.
Φίλημα ἅγιον p. 173.
Φορτίον p. 591. sq.
Φρουρεῖν p. 471.
Χαίρειν (λέγει s. *λέγουσιν)* p. 40.
Χαρὰ πνεύματος ἁγίου p. 50.
Χαρᾷ χαίρειν p. 99.
Χαρίζεσθαι p. 446.
Χορηγεῖν et *ἐπιχορηγεῖν* p. 418. sq.
Χριστὸς an de coetu Christiano dicatur? p. 441. sq.
Ὠδίνειν p. 519. sq.
Ὠδὶς p. 143.
Ὡς p. 598. sq. *ὡς ὅτι* p. 207.

Lipsiae ex officina Friderici Niesii.